





Hora Subseciva

Ne totum avaleat

Nihil sine fine

Sapientia

IOANNIS LUDOVICI
 SCHÖNLEBEN
 HORÆ SUBSECIVÆ
 Dominicales,
 sive
 DISCURSUS
 Prædicabiles
 In Dominicis Anni

Ludovicus de Clero Solin.

Sam. Dan. Beng.

Salisburgi, Sumptibus et Typis Nicolai Haan, Typographi
 et Bibliopola. Anno 1676.



JOANNIS LUDOVICI
SCHÖNLEBEN,

Carnioli Labacensis, SS. Theologiæ Do-
ctoris, Protonotarij Apostolici, Archi-Dia-
coni Carniolis Inferioris.

HORÆ SUBSECIVÆ
DOMINICALES.

SIVE

DISCURSUS
SACRI DE TEMPORE

In Dominicis totius Anni

PARS HYEMALIS ET VERNÆ

AB ADVENTU AD PENTECOSTEN

Insertis aliquot Allocutionibus Academicis

Cum quadruplici Indice I. Discursuum.
II. Locorum Sacræ Scripturæ. III. Rerum & Verborum.
IV. Historiarum & Mythologiarum.

Cum Facultate Superiorum, & Privilegio Cæsareo.



SALISBURGI,

Sumptibus & Typis MELCHIORIS HAAN, Typographi
& Bibliopolæ.

ANNO M. DC. LXXVI.



1676

Quædam tempora eripiuntur nobis, quædam subducuntur, quædam effluunt. Turpissima tamen est jactura, quæ per negligentiam fit : & si volueris attendere, magna vitæ pars elabitur malè agentibus, maxima nihil agentibus, tota aliud agentibus. Quem mihi dabis, qui aliquid pretium tempori ponat ? qui diem æstimet ? qui intelligat se quotidie mori ? Fac ergo : omnes HORAS complectere : sic fiet, ut minus de crastino pendeas, si hodierno manum injeceris. Dum differtur vita, transcurrit. *Senec. Epist. 1. ad Lucil.*

1N=030007477

ILLUSTRISSIMO ET EXCEL-
LENTISSIMO DOMINO,
DOMINO

WOLFGANGO
ANDREÆ

S. R. I. COMITI ET DOMINO
DE ROSENBERG,

Libero Baroni in Lerchenau, & Graffen-
stein, Domino in Sonegg, Stain, Feyersperg,
Höchenbergen, Keutschach, Hagen & Welzenegg, Supre-
mo Hæreditario Aulæ Præfecto in Carinthia, Sac. Cæs. Maj.
Actuali Consiliario Arcano & Camerario, Inclytæ Pro-
vinciæ Deputatorum Præsidi perpetuo, Burg-
gravio, & Colonello. &c.

DOMINO SUO GRATIOSISSIMO.



I hætenus gentilitiæ *Tuæ ROSÆ Il-
lustrissimæ & Excellentissimæ Domine Comes* senti-
bus & spinis caruerunt : Ecce dimidij Anni
sentictum spinas copioso satu progerminans.
Quid enim terra mea parturiret aliud quàm
spinis & tribulos, subjecta mille *Tribulationibus*. Atq; utinam

D E D I C A T O R I A.

vel hæ spinæ fatis forent acutæ, quæ non extimam solum cutem attingeret, sed in ipsis penetralibus corda peccatorum compungerent. Erubescō, quod cum omni careant acumine, adeo tamen ambitiosæ sint, ut *Tuas* ambient *ROSAS*. Sterile ingenium, quod à se non potest, allunde solet quærere ornamentum. Ego *ROSAS loqui* non didici, sed neq; fidelis est animarum Pastor qui tantum *Rosas loquitur*; neq; gratus, qui nullas. Patere igitur, ut in frontispicio *Sterilis* opusculi, ne spinas meras Lectores abhorreant, *Tuas* proponam *Rosas*, quæ & ornamentum sint operi, & tutela authori. Si quid enim inconcinnum, inamænum, insuave hic profero, id *ROSÆ Tuae* affatim gratiosum efficient; & secuta erunt scriptionis piacula à gravi censura, cum privilegio immunitatis gaudeat, quod dicitur *SUB ROSA*. Ferunt Hectorem honori Veneris *ROSARUM* fascem gestasse in Galea, cuius gratia facti permotam Deam corpus occisi unguento *ROSEO* perunxisse ut à canum moribus, quibus id Achilles objecerat, immune esset. Idem mihi pollicetur *Tua ROSA Pentaphylla*, ut Momi genuinos effugiam. Sed potiora sunt quæ me impulerunt ut *Tuo* nomini has *HORAS subsecivas* inscriberem, virtutis *TUÆ* argumenta. Nihil assentationi debeo: dum veritati obtempero: nec pecco in *Tuam* modestiam, qui generoso fastidio mereri mavis, quàm audire vel legere *Tua* Elogia: dum meis debitis & gratitudini velifico. Præventum beneficijs *Tuis* servitutis meæ officium, quod hæctenus intra terminos desideriorum se continuit, nunc velut cancellis verecundiæ fractis erumpit & de *Te* fateri cogitur, quod olim de Gratiano suo Aufonius: *Spem superas, cupienda prævenis, vota præcurris, quæq; animi nostri celeritas Divum instar affectat, beneficijs præeuntibus anteceditur. Præstare Tibi est quàm nobis optare velocius*. Mitto etiam hæc, quæ veneror. Miror autem *Tuam* illam rarissimam in tanta rerum mole, & multiplici negotio-

DEDICATORIA.

tiorum labore cum divina tractas pietatem, cum humana suscipis prudentiam; cum publica integritatem, cum privata conscientiam; & inter hæc omnia immotam mentis tranquillitatem; quodq; maximum est in maxima fortunæ indulgentia moderationem animi, in eiusdem severitate præsentissimam quietem, eundemq; semper vultum, quo velut è suggestu quodam æqualiter admittis sine ambitu prospera, sine tædio adversa: quæ ferè sunt HORARUM mearum argumenta. Unde cum & Deum places, & placeas populis, coguntur boni omnes Deo gratias agere, quod *Te* in gubernanda Carinthia Burggravium Magno Patri maiorem Filium successorem esse voluerit; Cæsari quod dederit; qui ita totus vigilas ut subditis tutum sit dormire, ita perpetuis pro patria curis distringeris, ut illi tranquillum sit otium; & quidquid in regimine laboris est id ad *Te* solum existimas pertinere; si quid commodi & quietis, ad eos pro quibus hoc munus suscepisti. Solis instar partiris diem, & quid ni meas *Tibi Horas* famulatrices exhibeam? Nam cum, uti Poëta canit:

- - *Titan velocibus imperat horis* Ovid. 2. Met.
Jussa Deæ celeres properant:

Ille nimirum de quo Boëtius: Boët. lib. 2.

- - - *Phœbus ROSEUM diem* metr. 9.
Curru præbebit aureo.

Sed sequuntur suos labores merita, & quos assiduo colis obsequio, gratijs rectè facta compensant superi Cumulantur honores honoribus, gratiæ gratijs, quasi Charites ipsæ *Tibi* è ROSIS ferta contexerent. Optanda *Tibi* esset supernaturalis quædam replicatio, ut in pluribus locis ex æquo plura obires munia, cum ad magnas designaris Legationes. Quibus tamen in ancipiti deliberatione patriæ anteponis necessitatem, & publica commoda proprijs potiora judicas, ad onera pro-

DEDICATORIA.

pronior quàm honores. Quid quod proles Patri per omnia similis, necdum adulta iam inter adultos aurea clavi donata ad Augusta penetralia accessum habet, & presso pede insistit paternis vestigijs, an potius *Arvitis*. Emergit quippe in lucem temporum obliterata injurijs nobilissimæ stirpis origo, eandem aliquando passâ fortunam, quàm plures aliæ, sed iam cum pluribus protracta in apricum. Dissimulare non possum, quod pridem in aliorum adversarijs legere, nuper verò in *Tuorummet* maiorum chartophylacijs videre mihi concessum est. Jam inde ab Anno circiter 1230. ex certissimis & originalibus documentis constat nobilissimum stemma sub *Rosenbergio* nomine & *Rosa Pentaphylla* clypeo propagatum in Carinthia primum, de in Styria; quod denuò in Carinthiam transtulit proavus tuus *Udalricus*, eiusdem prorsus esse radicis, qua *Rosenbergia* Familia nostro seculo in Bohemia extincta meritò gloriabatur. Enim verò & illos in Carinthia ab Anno circiter 1165. ad annum 1231. habitasse pro comperto habeo, & subscribo non tam Francisco Sansovino (qui abhinc annis ferè nonaginta scripsit) quàm manuscriptis *Principalis Ursinæ* domus documentis, non ante millesimum ducentessimum trigesimum primum *Rosenbergios* ab *Ursina* radice prognatos Bohemiæ immigrasse sub Wenceslao Rege, quem ad regni fasces assumptum dicto anno testantur fasti. Quo eodem tempore in Carinthia, & ipso quidem Anno 1231. *Henricus de Rosenberg* diem obiit, Frisaci tumulo illatus, ubi etiamnum *Rosa Pentaphylla* rubro sepulchrali marmori insculpta cernitur, quem ego filium alterius *Henrici*, & fratrualem *Vitelli III. Ursini de Rosenberg* (vulgo appellati *Vittek*) fuisse existimo, stirpis nobilissimæ in Carinthia plantatæ mox in Styriam translatae propagatorem, cum *Vitellus III.* ad Wenceslaum Bohemiæ Regem se contulisset. Ab hoc *Christophorus de Rosenberg* progenitus Anno 1237. Græcij Syriae

D E D I C A T O R I A.

Styriæ habitasse putatur cum illic literas signaverit, successore relicto *Henrico III.* qui Ducis Carinthiæ aulam secutus diplomatis pro Carthusia Freydenhallensi supra Labacum non semel subscripsit, & Anno 1261. ac seqq. supremum Styriæ Capitaneum egit. Eius filius *Hercules* ! Anno 1307. Marchburgi Styriæ sepultus fundavit ibidem in Parochiali Missam perpetuam, subscripto literis etiam *Hermanno filio*, qui alterum *Herculem, Henricum IV. & Christophorum II.* Orbi dedit. Horum stirpis propagator *Hercules Wolsingum* progenit, *Christophorus* vero Ernesto Austriæ Archiduci per literas, quæ extant, evocatus numerosâ militum caterva stipatus suppetias tulit : *Henricus IV.* ducta Adelheide filia Henrici Comitis de Schaunberg vidua Hermannii Comitis ab Ortenburg, Joannem reliquit maritum Barbaræ Schaunbergicæ, & per hoc connubium affinem Hermannii Comitis Ciliæ, & Comitatus Segoriensis Capitaneum. Sed ut lineam rectam contexamus, collaterales suo loco daturi. *Wolsingus* Anno 1414. feuda recepit ab Ernesto Archiduce. *Petrus* eius filius ex Sabina de Rackhniz *Georgium* ; *Gertrudem* coniugem Georgij de Walsee, & *Margaretam* Georgio de Rackhniz nuptam, quam multæ Illustrissimæ familiæ hodieq; agnoscunt magnam aviam, post se reliquit. *Georgio I.* natus est *Georgius II. Maximiliani*, & plurium liberorum pater. *Maximiliano* progenitus *Udalricus, Udalrico Andreas*, & ab hoc Illustrissimus & Excellentissimus parens *Tuus Joannes Andreas S. R. I. Comes & Burggravius Carinthiæ*, quem cum ob summam prudentiam suavissimis junctam moribus, & quod in tanto viro stupendum fuit, ob raram animi demissionem quoad vixit, Patrem Patriæ agnovit Carinthia, tum vel maximè eo felicem adhuc prædicat, quod translatus ad meliorem vitam, reliquerit post se multiplicatam suam effigiem *par nobile fratrum*, & ex singulis *par nobile nepotum*, omnes si-

DEDICATORIA.

bi quàm simillimos, *Te* inquam *Illustrissime & Excellentissime D. Comes, & Illustrissimum ac Excellentissimum fratrem Tuum Georgium Nicolaum Sac. Cæs. Maj. in Arcano Græcensi Consilio Consiliarium.* Vides *Illustrissime & Excellentissime D. Comes* quot nominibus *Tibi* sim obligatus cùm in *Te* omnium maiorum Virtutes intueor. Illud solum doleo, quod aliud *Tibi* dicare non possim, quàm pauculas *HORAS*, & fugacis temporis pennas, quas carptim & *subsecivè* nocti potius quàm diei subtraxi. A *Te* didici vigilare, neq; tamen scientiam *Tuam* omnigenam, & eloquentiam qua polles sum assecutus. Sed novi animum *Tuum* cui nihil exile est, quod ab animo bono proficiscitur. Rem metiris non ex cortice, sed, ex nucleo, & radice. Agnoscis bonum animam etiam in re non magna. Unde licet hoc Opusculum *Tua* magnitudine indignum sit, spero tamen quod *Tibi* futurum sit si non gratitudinis inmemosynon, saltem boni affectus, & submissæ venerationis tributum. Dabam è musæo meo pridie Cal. Nov. 1675.

Illustrissimæ & Excellentissimæ Dominationi Tuæ

Obligatissimus Servus & Capellanus

Joan. Ludov. Schönleben.
Archid. Inf. Carn.



APPROBATIO.

PRæfentes admodum Reverendi Clarissimi Domini JONNIS LUDOVICI SCHÖNLEBEN, SS. Theol. Doct. Protonotarij Apostolici. &c. conciones à me jussu Archiepiscopalis Salisburgensis Consistorij revisas, per omnia fidei catholicæ & probis moribus conformes existimo, quare jure prælo subdi & vulgari poterunt.

**MICHAEL FRIDERICUS Wasserlieb/
I. U. D. Celsissimi Principis & Archiepiscopi
Salisburgensis, S. Sedis Apostolicæ Legati &c.
Consiliarius Consistorialis, Decanus & Parochus Hallinensis.**

Præmonitio ad Lectorem.



Nulla sumptuosior jactura est, quam temporis, nulla facilior, nulla communior. *Alij parcè illo utimur, alij prodigè: alij sic impendimus, ut possimus rationem reddere: alij ut nullas habeamus reliquias.* Nullus omnino est, cui non aliquid elabatur, quantumcunq; avarè id confervet. Dimidium ferè nobis àbripit somnus. Ex reliquo maiorem partem sibi vendicant curæ corporis, amicorum, domesticorum, & pro vitæ conditione negotia sæpè necessaria, sæpè inutilia;

Et fugit interea, fugit irreparabile tempus.

Quotusquisq; est, qui citra veri periculum dicere potest: *Nulla HORA sine linea?* Opus est assiduo *Labore, & Vigilantia,* & cui multum deperditum est, reliquum saltem quod superest, custodiendum. Ego fugax retinere, & avolanti HORAS aliquot subtrahere, easq; nocturnas potius quam diurnas conatus sum: Et quia plurimis alijs occupationibus interruptas, ideo SUBSECIVAS voco, aliorum ante me exemplo, qui & *Succisivas* appellant. Plinius secundus de se: *Occupati officijs succisivis temporibus ista curamus &c. Dum ista musinamur pluribus HORIS vivimus. Profecto enim vita vigilia est.* Quasi non agnosceret vitam in dormiente, Otiosam aliquis hanc dicet occupationem, cum innumeri alij melioris notæ, doctrinæ, eruditionis, elegantix quotidie prodeant scriptores. At ego cum Attilio sentio, qui *facetissime* (ut alibi Plinius) *& eruditissime dixit: Satius est otiosum esse, quam nihil agere.* Non scribo doctis, & re libraria instructis, sed rudioribus, & quibus librorum curta supellex: nec omnia omnibus personis, locis temporibus. Illis me non accenseo, de quibus Nazianzenus: *Sunt qui sumentorum venustate, verborumq; lenocinio, quasi præstigijs quibusdam aures animosq; ludificant.* Neq; illis qui timent vitia carpere, ne carpantur, & Satyrici potius quam veridici audiant. Non carpet carpentem vitia, quem vitij conscientia non accusat. Multis ingeminare possis illud Ennodij: *Puchra sunt que scribis, sed ego plus amo fortia; redimita sunt floribus, sed*

*Sen. lib. 1.
de tranq.
c. 3.*

*Virgil.
Georg. 3.*

*Camerar.
Bisciola.
Plin.
Præf. nat.
hist.*

*Plin. lib. 1.
Epistol.*

*Greg. Nazianz.
orat. 1.*

*Ennod.
Ep.*

Præmonitio ad Lectorem.

poma plus diligo. Primum Ecclesiastæ munus est in vitia deto-
nare. Extirpanda sunt prius mala, ut locum inveniant bona.
Quid agat cui licitum non sit vera loqui? qui non audeat ob-
sequi Apostolo monenti: *Argue, obsecra, increpa?* Nihil ego
supra fidem humanam sciens adstruo: quod reprehendo, fieri
posse, & (si non passim) alicubi subinde fieri, nullus sapi-
ens negaverit: nusquam ad particularia, & individua digre-
dior. Si quid latè patens attingo, fidem meam obligo: & si
quæ exaggeratius dicere videor, apud alios Authores proba-
tos vel eadem, vel similia, vel graviora monstrare volo. Mo-
res corruptos ingemisco; & hæc est querela à condito mun-
do. *Erras* (inquit Seneca) *si existimas nostri seculi esse vitium,*
luxuriam, & negligentiam boni moris, & alia quæ obijcit suis
quisq; temporibus. Hominum sunt ista, non temporum: nulla ætas
vacavit à culpa. Semper verum fuit quod aiebat Plutarchus,
& nunc est: *Volunt homines ita præceptum esse ut agunt, non ita*
agere, uti præceptum est. An ergo ideo tacendum Ecclesiastæ?
Si navem laxatis compagibus irrupit aqua magno impetu,
num feriatur nauta, aut potius foramina obstruit, sentinam e-
gerit, resistit? an quia quantum exhaustum est illicò subnasci-
tur, laborem intermittit? *Lento adiutorio opus est contra mala*
continua & sæcunda, non ut desinant, sed ne vincant. Sepono nunc
Censores, qui præter sua nihil probant, & subinde quorum si-
militudinem desperant, eorum affectant similitatem, ut aiebat Apu-
leius. Hos quippe non metuo. Cum multos habeam similes,
omnium etiam me libenter discipulum profiteor; ut vel ita
inter amatores sapientiæ numerer. Hebræorum sapiens placitum est:
illum sapientem esse qui ab omni homine discit. Illud tamen
discere non cupio, ut in scriptore quem novi, carpam magno privati
affectus argumento, quod in ignoto probarem. Fortè & hæc cuiquam non placet præmonitio? Summa-
tim itaq; monco, qui vel non affers indifferentem affectum,
vel non legisti quos allego, vel verum dici Tibi & alijs non
vis, ne me lege. De methodo hoc habe: ambages rescindo,
amplificationes oratorias tibi relinquo, materiam ferè à longè
ostendo; projicio, non colloco. Fruere si placet & vale;
si non placet, etiam vale.

Senec. Ep. 97.

Plut. de puer. educat.

Sen. de Ira. lib. 2. c. 10. Apul. in Flor.

Hebr. in Pirche anoib. c. 4.



Authores quibus hoc in Opere sum usus.

Aelius Spartianus.
 Aeneas Sylvius.
 Alexander ab Alexandro.
 Alexander Calamatus.
 Alexander Pellegrinus.
 Aloysius Juglaris.
 Aloysius Novarinus.
 Andreas Pintus Ramirez.
 Andreas Vangelisti.
 Antonius Bianchetti.
 Antonius Dauvoulitus.
 Antonius Escobar.
 Aristoteles.
 Augustinus Paoletti.

Bartholo: Gauantus.
 Benedictus de los Rios.
 Benedictus Fidelis.
 S. Bernardus.
 Bernardus Finetti.
 Bernardinus Obicinus.
 Bibliotheca Patrum.
 S. Bonaventura.
 S. Brigittæ Revelationes.
 S. Bruno Astensis.

Calistus Puccinellus.
 Carolus Scribanus.
 Carolus Stengelius.
 Casparus Tausch.
 Cesar Ripa.
 Cesar Zarottus.
 Christophorus de Arvendagno.
 Christophorus de Vega.
 Cicero.
 Conradus Lycosthenes.
 Consalvus Durantus.
 Cornelius Tacitus.
 Q. Curtius.

Didacus de Baëcza.
 Didacus de Celada.
 Didacus de Lequile.
 Dominicus Paolacci.

Emanuel de Nazera.
 Emanuel Thesaurus.
 Erycius Puteanus.
 Eusebius Pamphilus.

Fabius Ambros. Spinola.

Flavius Vopiscus.
 Franciscus Arias.
 Franciscus Bona Spei.
 Franciscus Bosellus.
 Franciscus de Guerra.
 Franciscus Mendocza.
 Franciscus Ribera.
 Franciscus Vercivlli.

Gabriel Vasquez.
 Georgius Stengelius.
 Gilbertus Abbas.
 Gulielmus Pepia.
 Gulielmus Platus.
 Gulielmus Stainburstus.

Henricus Engelgrave.
 Henricus Spondanus.
 Hieremias Drexelius.
 S. Hieronymus.
 Hieronymus Lauvetus.
 Hugo Cardinalis.

Jacobus Balde
 Jacobus Lobbetius
 Jacobus Stainzensis.
 Januarius de Mata & Haro.
 Ignatius Coutinno.
 Innocentius Bignami
 Joannes Antonius Velasquez.
 Joannes Baptista Masculus.
 Joannes Bollandus.

S. Joannes Chrysostomus.
 Joannes di Mata.
 Joannes de Pinna.
 Joannes Dubravius.
 Joannes Erardus Fullonius.
 Joan. Eusebius Nierembergicus.
 Joannes Jonstonus.
 Joannes Junius.
 Joannes Morandus.
 Joannes Paulus Oli-va.
 Joannes Perlinius.
 Joannes Pierius Valerianus.
 Joannes Ravifius.
 Josephus Ambrogi.
 Josephus Langius.
 Josephus Mansi.
 Julianus Heunefue.
 Julius Cesar.
 Julius Cesar Cappacius.
 Julius Cesar Recupitus.
 Juo Parisinus.
 Justinus.
 Justus Lipsius.

Laurentius Beyerlinck.
 Livius.
 Ludovicus Albritius.
 Ludovicus Blofius.
 Ludovicus Sesti.

Macrobius Magister sententiarum.

Marius Bettinus.
Marius Bignoni.
Martinus Dozza.
Marcellinus de Pise.
Mauritius.
Michaël Caluò.

Natalis Comes.
Nicolaus Caussin.

Octavianus Spatbarius.

Paulus Aresius.
Paulus de Barry.
Paulus Sherlogus.
Paulus Zehentner.
S. Petrus Chrysológus.
Petrus Antonius Spinellus.
Petrus de Avendagno.
Petrus à Rota.
Petrus Marchesius.
Petrus Paulus Gherardi.
Petri Wemmers.
Philippus Kifelius.
Philippus Labbe.
Philippus d' Oultreman.
Philippus Picinellus.

Philippus Setaiali.
Plinius.
Plutarchus.

Sallustius.
Sebastianus Barradius.
Seneca Philosophus.
Simon Maiolus.
Speculum Exemplorum.
Suetonius.

Theodorus Moretus.
Theophilus Raynardus.
S. Thomas de Aquino.
Thomas Frances.
S. Thomas de Villanova.
Thomas à Kempis.
Thomas Lansius.
Thomas Reina.
Thomas Somi.
Trebellius Pollio.

Valerius Maximus.
Valerius Venetus.
Vincentius Ballestrier.
Virgilius.





Johann
Ludovicus
Schönleben

Johann Ludovicus Schönleben SS. Theol. Doct.
Prætor Apostolicus Archidiaconus in Carniolum
Anno 1676

JOANNIS LUDOVICI
SCHÖNLEBEN

Carnioli Labacensis, SS. Theol. Doctoris,
Protonotarij Apostolici, Archi-Diaconi Car-
nioliæ Inferioris.

HORÆ SUBSECIVÆ
DOMINICALES.

SIVE

Discursus Sacri de Tempore in E-
vangelia totius Anni.

DISCURSUS I.

DOMINICA I. ADVENTÛS

Excitatorium Somnolentorum

THEMA.

Hora est jam nos de fomno surgere. *Ro. 13.*
Respicite & levate capita vestra. *Luc. 21.*

SYNOPSIS.

- I. Campanæ per iclus interpola-
tos sonus, repentini eventus
index suscitât dormientes: II. Somnus naturalis vivacissimè
talem hodie nobis somnum ge-
minat Ecclesia, ut surgamus
à fomno.
nobis representat mortem,
quod

quod vel ipsi agoverunt gentiles, qui mortem seu lethum somni fratrem sinxerunt.

III. Ideo monet hodie Apostolus, ut surgamus à somno, quia iustis equè ac peccatoribus dictum est vigilate, cum etiam iusti subinde dormitent.

IV. Dormitatio verò iustorum est quedam negligentia in servitio Dei; iniustorum somnus est oblivio Dei.

V. Hæc inde proveniunt, quod nobis venenum affidis somniferum propinet mundus, quo in gravissimum somnum indurationis prolabantur peccatores.

VI. Id ex Chrysaorij infelici exitu, petentis Inducias usque mane, colligitur. Itaque ante supremam ægritudinem e-vigilandum.

VII. Quia iusto Dei iudicio fit, ut peccator, qui in vitâ oblitus est Dei, in morte obliviscatur & sui, uti Monacho illi Perusino contigit, de quo narrat B. Petrus Damiani.

VIII. Respiciant ergo peccatores & levant capita, & recogitent sibi impendere ex alto gladium, qualis appensus fuit supra caput cuiusdam Regis fratris.

IX. Et cum due hore concessæ sint homini, una I A M, altera ALIQUANDO, utamur bene I A M ut felix sit ventura ALIQUANDO. Ne accadat nobis repente quod nuntio, qui coram S. Desiderio dum bibit corruit exanimis, quia venerat Hora.

Luc. 27.

Respicite & levate capita vestra.

I.



Uditis? semel, & iterum lugubre campana sonat. Quam horridus sit nocte præsertim intempesta æris campanæ sonus per lentas ictuum vices repetitus experientia testatur. Perculsi repentino pavore profilimus è stratis, per compita discurremus, investigamus, inquiremus; num vel hostis ante urbis portas minetur exitium, an ortum fortè periculosum incendium. Una tunc omnium cura, se suaquè servare, pro viribus resistere, & instans malum averruncare. Hodie

dic

die S. Mater Ecclesia simile prorsus fidelibus suis erigit Excitatorium. Auditis? exclamat Paulus in hodiernæ Missæ Epistolâ: *Hora est jam nos de somno surgere.* Auditis iterum? exclamat Christus in hodierno Evangelio: *Respicite & levate capita vestra.* Itanè profundus sopor aut mentis Lethargus non occupat, & in utramque stertimus aurem, ut gemino indigemus Excitatorio? ita sanè: *Somnus est præsens vita* inquit Chrysostomus. *Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum*: Canit Psaltes; & quia non omnes in mundo sunt viri divitiarum, observat Apostolus: *Inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi* ad fideles & probos Corinthios scribens, quia scilicet etiam *quandoque bonus dormitat Homerus*: etiam probis sæpenumerò sopor aliquis obrepit, ut stimulis egeant ad virtutem, ut dormituri in viâ perfectionis excitentur, & animosiùs currant. Omnibus igitur hodiè appensum est excitatorium tintinnabulum. *Hora est jam nos de somno surgere: Respicite, & levate capita vestra.* Omnes excitamur; boni & mali; probi & improbi; justi & peccatores; atque isti præsertim, propter quos replicatur Excitatorij vox, & quidem posterior priore vehementior, ut quibus prior somnum non excussit, posterior saltem oculos diducat, & respiciant impendentem desuper gladium divinæ iræ. Quis verò sit somnus justorum & injustorum, & ad quam vigilantiam utriquè excitentur, ex præsentis discursu intelligetis. Attendite.

II. Somnus necessaria fragilis naturæ quies, sapientum calculo cognationem habet cum morte usquè adeò arctam, ut nihil sit in omni naturâ, quod frequentius nobis & vivaciùs mortem ponat ob oculos quàm somnus quotidianus. Deficimus ex

Rom. 13.

Luc. 21.

Chrysost.
serm. quod
carnis &c.
Psal. 75.

1. Cor. 11.

laboribus & molestijs ; languemus ex morbis & vulneribus , angustiatur ex metu & horrore malorum impendentium, terrefimus ex repentinis mortalium casibus : ominamur nobis mortem cum videmus efferi hodie , quos heri lætos conspeximus : sed hæc minimè ad experimentum certæ mortis nos ducunt: solus somnus vivam ejus repræsentat imaginem, cum dormientes conspiciamus omni sensuum externorum destitutos officio , instar cadaveris immotos jacere ; cum nos ipsi quantumcunquè reluctantes succumbimus, & somni necessitate opprimimur ; & experecti cogitamus nos hominis umbram vel statuam potius, quàm homines jacuisse. Id nequè gentilium cogitationes fugit, ut Poëta cecinerit :

Virg. 6. Æneid.

Ovid. 2. Amo. El. 9.

Hom. Odif. 2.

Sen. Heu. fur.

Pressitquè jacentem

Dulcis & alta quies, placidequè simillima morti.

Et Ovidius amans :

Stulte quid est somnus , gelidæ nisi mortis imago ?

Eadem phrasi Homerus appellavit somnum *morti proximè similem*. Menander verò : *mortis præmeditationem*. Quin Seneca Tragoëdus somnum nominat *mortis fratrem* :

Frater duræ lauguide mortis

Et alloquens ipsum somnum canit :

Parvidum lethi genus humanum

Cogis longam discere mortem.

Quasi somnus foret brevis mors, & experimentū longæ mortis. Pausanias refert visam à se Olympiæ noctis statuam figurâ habituquè mulieris, quæ dextrâ tenebat puerum album, sinistrâ nigrum ceu filios, utrumquè dormienti simillimum, quorum nigro nomen *Lethum*, albo *somnus* adscriptum erat. Verè duræ mortis frater est somnus , non tam similis quàm

penè idem ; & quem Coluthus *mortis affeclam*: Tertulianus *mortis comitem*: rectiùs dixit Prudentius *formam mortis perpetis*, quod à morte solo tempore videatur differre, cum ad breve tempus id præstet, quod in perpetuum à verâ expectandum est morte. Hinc Gorgias Leontinus, cum sentiret somnum sibi lethalem obrepere, interrogatus ab amico ponè assidente, quo pacto se haberet? respondit: *Jam somnus incipit me suo fratri tradere*

Coluth. de
vapu. Pro-
serp. Ter-
tull lib. de
anima
Prudent.
hymn. I.
Caten.
Ælian lib.
hist.

III. Non eò hæc tendunt, quasi vellem vos excitare à somno naturali, excitare à morte; nec fuit illa cogitatio Apostoli monentis in hodierna Epistola. *Hora est jam nos de somno surgere*: nec Christi cum dicebat: *Respicite & levate capita vestra*: Sed justis æquè ac peccatoribus dictum id est; quasi *vigilate*. Obrepat subinde etiam justis nonnulla in virtutis progressu somnolentia, ab hac seipsos quotidie excitant, & cum decumbunt, dicunt imitatione Iusti Lipsij: *Ad lectum ad lethum*. Vigilandum est, quia nescimus quâ hora Dominus venturus sit. Congregandæ virtutes, augenda merita ut parati inveniamur. Decem virgines exhibet nobis textus Evangelicus, quæ se paraverunt ad nuptias. Harum verò erant quinque prudentes, & quinque fatuæ: & pariter *Dormita-verunt omnes & dormierunt*. Author Imperfecti per quinque prudentes virgines intelligit homines spirituales, & DEO charos; per quinque fatuas verò homines carnales, & sensualibus cupidijis addictos. Origines, Hilarius, Hieronymus quinque prudentum nomine signari docent fideles Christianos, qui cum fide exercent opera bona: quinque verò fatuarum nomine intelligunt fideles, qui fidem habent sine operibus. Hæ *dormita-verunt omnes & dormierunt*,

Auth. Imp.
ap. Mal-
don.

Hilar. &
Cbrys.
in Matth.
August. E-
pist. 120.
Basil. Mo-
ral c. 5.

non solum somnum mortis, uti interpretantur Hilarus, Augustinus, Chrysostomus, Basilus, sed aliae somnum torporis & negligentiae; aliae somnum peccati & impoenitentiae, ut Author imperfecti exponit; & dum prudentes cessarunt a vigilia & solitudine in profectu spirituali, fatuae ne quidem de necessarijs sollicitae ad quietem piaculari socordia se composuerunt. Audite itaque iusti & peccatores: *Hora est. Respicite & levate capita vestra.* Audite praesertim peccatores, ad quos potissimum hodiernus collimat sermo. Nam

S. Aug. in
Psal. 62.

IV. Negligentia in servitio DEI oscitantia quaedam & dormitatio est, at verò vita peccaminosa miserandus est animae somnus, & mortiferi genus Lethargi, quo dum sopitur anima, in aeternum saepe indormit interitum *Illud*, monet sapienter Augustinus, *illud cavere debemus, ne ipsa anima nostra dormiat. Malus enim est animae somnus. Somnus animae est obli-visci Deum suum.* Nihil periculosius homini alienis exposito insidijs, alienis odijs obnoxio, quam somnus: obruitur quippe ab hoste nihil metuens, ligatur, fauciatur, spoliatur, perimitur facili negotio, qui sui securus etiam armatus jacet. *Talem reliqui qualem inveni*, aiebat Epaminondas, cum militem vigiliae destinatum somno immersum deprehendens gladio confixisset. Longè periculosius malum obli-vio DEI, & impoenitentia in longum protracta, quae ceu gravi lethargo anima oppressa indormit & adveniente fatali hora talis relinquitur, qualis invenitur. *Ne tardes ergo converti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictae disperdet te.* Monet Ecclesiasticus. *Hora est jam nos de somno surgere:* clamat Paulus. *Re-*

Brus l 6.
c. 8.

Eccles. 5.
v. 9.

Respicite

Spicite & levate capita vestra, hortatur æterna sapientia. Quotidiana eaque repentina mortalium funera, miserandi multorum casus idipsum ingeminant, & nos tamen veluti per syngrapham assecurati de vita supino indulgemus otio, alto immerfi animæ somno instertimus, nec expergiscimur donec fatalis hora incautos opprimat.

V. Nempè venenum soporiferum nobis propinat mundus, quo nos fragilitatis humanæ faciat oblivisci, ut nimium securi dormiamus in nostrum exitium, & in deplorandum interitum proruamus: intenti præsentibus, futura non providemus. Asp̄is juxta Plinium, venenum homini, quem mordet, instillat; quo in somnum prolapsus non amplius evigilat. Tale venenū oblivio Dei est, & longa impœnitentia, sopore necat, quiete fallit, securitate extinguit. Hugo Cardinalis aptè in rem nostram: *Aspis est Somnifera, quia quem momorderit, vadit ad interitum. Delectatio intelligitur per aspidem, quæ dormire facit, & dormiendo mori.* In omni peccato aliqua intervenit delectatio ut docet S. Thomas: neque enim peccaret homo, si sentiret in peccando molestiam. Omne proinde peccatum asp̄is dici potest, lethalis somni conciliatrix, quæ dulci veneno inducit oblivionem DEI, & impœnitentiam, trahens post se alterum somnum, æternam mortem. O quot hoc veneno sopiti, hoc somno oppressi in utramquæ stertunt aures, vix unquam excitandi! Miraculum est peccator inveteratus, qui DEI sui oblitus abiit post desideria animæ suæ, & fræna laxavit cupiditatibus, diuturno peccatorum exercitio, velut lethifero oppressus somno, si aliquando ad frugem redeat, si respiciat & levet caput suum, oculos aperiat, evigilet.

VI. Nun

Plin. lib.
21. c. 31.

Hugo
Card. in
Psalt. 90.

D. Thom.
1. 2. q. 42.
a. 2.

VI. Nunquamne audistis infelicem illum Chrysaorij somnum, de quo S. Gregorius fidem facit? Procrastinata ille poenitentia cum vitam omnibus diffluentem flagitijs exegisset, ac morbo lethali correptus, jam morti proximus multis sese videret cinctum infernalibus spectris, exclamavit repetitis vocibus *Inducias usque mane: Inducias usque mane*. Sed incassum, quia ut ait Sanctus: *Inducias petisse non profuit*. Tardè nimis petebantur induciæ, cum ultima vitalis clepsydrae stilla fluxit. Inter illos quippè clamores sese volutans in lecto exspiravit. Ah infelix! quid *usque mane inducias?* quid crastinum expectare? *Iam*, nunc, eo temporis momento agenda erat poenitentia, cum vitalis adhuc spiritus supererat; cum patiens. DEUS horrificâ visione contritum cor exspectabat. *Qui poenitenti veniam sponndit, peccanti diem crastinum non promisit*, inquit idem S. Gregorius. Quamdiu igitur vires suppetunt, sanitas integra est, sensus vigent, memoria firma, intellectus suæ functioni idoneus non vacillat, hoc ipso *Iam* hoc ipso *Nunc*, evigilandum è somno, tergendî oculi, agenda poenitentia. *Ecce hunc diem* (iterum monet Gregorius) *hunc diem de quo loquimur, ad inducias conversionis accepimus*. Hac die hac hora renuntiandum vitij, termini ponendi cupiditatibus, agenda seria poenitentia, ne cum seram agere volueris non sit feria. Heu quam difficilè ægroto quem morbus cruciat, curæ domesticæ distrahunt, charorum sollicitudo perturbat, memoria pristinarum cupidiarum titillat! cum omnia languent membra, memoria labitur, rationis usus confunditur, cogitare de feria poenitentia, evigilare ex infelici lethargo! Idcirco monet appositè Augustinus, ut recogitemus:

S. Georg.
Dial. lib.
4. c. 38.

Greg. hom.
12. in E-
vang.

S. Greg. lo.
co cit.

temus : *Cum in extrema ægitudine fuerimus , ò quàm poenosum , ò quàm durum ò quàm lacrimabile erit nobis pœnitere , & dolere de malis commissis , & de bonis omis-*

*S. Aug.
serm. 48.
ad FF. in
Erem.*

VII. Sed nihil æquè peccatori somnolento formidandum est , quàm ne in extremo articulo , iusto DEI iudicio deseratur. & qui in vita oblitus est DEI , in morte obliuiscatur & sui , ut loquitur Augustinus. Fidem faciat asseratæ veritati , quod omni fide dignissimus testis B. Petrus Damiani recenset. In Perusino , inquit , Monasterio Sancti Salvatoris , cui nuper & ipse præfui , Monachus paulò ante fuerat nomine Guzino , astutus nimis , sæcularibus contentionibus vehementer intentus. Hic dum & immutandis Abbatibus , & fratribus perturbandis æstuanus non quiesceret , ad hoc usquè peruenit , ut Diaboli ad superandos æmulos patrocinium quæreret , ejus Ditioni etiam se corporaliter manciparet. Cui tamen seductor spiritus ante promisit , quod tertio die priusquam moreretur , suum exitum sibi nuntiaret. Credidit infelix , & diu postmodum vivens ita sub hac deceptoris securitate permansit. Tandem in ægitudinem lapsò adfuit seductor , & futurum , sicut sponderat , obitum nuntiavit. Protinus ille advocatis fratribus , quæ cum nequissimo pepigerat spiritu per ordinem recenset. Cumquè illi instarent , ut ageret pœnitentiam , confiteretur , DEUM placaret , repentè ipse labebatur in somnum , ut nec pulsu nec clamoribus excitari possêt. Illis verò conticescentibus , & alia diversa quæ pœnitentiam non concernerent loquentibus , expergefactus respondere , & colloquebatur. Sed mox iterùm auditò pœnitentiæ nomine obrigescebat , insensibili cor-

*Aug. serm.
de SS. In-
noc. B.
Pet. Dam.
To. 3. Bibl.
PP.*

reptus sopore , donec horrendæ morti traditus , in ejus devenit potestatem, cui se pridem devoverat. Id ex eo manifestum fuit, quod per plures noctes nigra canum turba non cessavit ejus sepulturæ assistere , & quasi depositum custodire. Ah infelicem animam ! quæ post multorum annorum scelestam vitam, nocta nihilominus per misericordiam divinam inducias, in lethalem demersa somnum obriguit , suo exitio, nostræ cautelæ, ut salubrius amplexi consilium, dum tempus habemus operemur bonum : cum hora est surgamus à somno, respiciamus & levemus capita nostra, ne subito veniat ira illius & in tempore vindictæ disperdat nos.

Joël. I. v. 5.

VIII. *Respiciate ergò & levate capita vestra, justi æquè ac peccatores. Expergiscimini ebrij, & flete, & ululate omnes, qui bibitis vinum in dulcedine.* Addo ego : Expergiscimini avari, gulosi, superbi, invidi, lascivi, iracundi, Blasphemi, detractores, perjuri, violatores legis divinæ, pauperum oppressores, immisericordes, piorum persecutores, expergiscimini & flete & ululate, dum tempus habetis. Impendet capiti vestro gladius divinæ iræ, *Respiciate & levate capita vestra.* Ferunt Regem fuisse, qui omnibus delicijs affluens, nunquam tamen ridere est visus. Hunc frater ex composito interrogavit : Ecquæ causâ mi frater mœroris tui, quod in summâ voluptatum affluentia, & ne quidem in communi tuorum lætitia inter hilares jocos in minimum risus signum solvaris? Rex dilato in alterum diem responso, profundam foveam ignitis impleri jussit carbonibus, desuper fellam vultustate corruptam & fragilem statuit, ponè mensam Regio epularum apparatus instructam, ex alto acutum gladium tenui filo suspendit : dein fratrem in fel-

Spec. Ex-
empl. Dist.
9. c. 209.

lâ confidere jussit, quatuor satellitibus strictis gladijs minaci vultu circumstantibus, quorum unus in pectus, alter in dorsum, alij in dextrum & sinistrum latus mucrones intenderent. Adstabat mensæ chorus Symphonicorum, qui varijs instrumentis aures mulcerent, & ad lætitiâ animarent. Tum Rex ad fratrem conversus. Fruere nunc voluptatibus frater, epulare, oblecta aures concentu Symphonico, jocos & gaudijs delectare. Ah inquit ille, quale hoc voluptatum theatrum, quæ lætitiæ scena? In fragili sellâ confideo, infernè ignem video, in quem levi motu impelli possum, supernè gladius imminet capiti à tenui suspensus filo, quo rupto fatalis me manet ictus: undiquè in me vibrantur acuti gladij, qui unico tuo imperio me possunt fauciare & neci dare. Tunc Rex. Et miraris inquit, mi frater, quod ego in summâ fortunâ constitutus, delicijs omnibus abundans, à risu tamen & jocos abstinenceam, qui longè majorem timoris causam habeo quàm tu modo. Infernè contemplor ignitum barathrum peccatoribus præparatum, supernè aspicio vindicem Dei gladium & judicium in quo omnium mearum actionum rationem reddam; sedeo in throno Regio sed fragili, è quo momento possum excidere; post me video peccata præterita, quæ conscientiam meam pungunt, ante me video mortis fatale telum, quod evadere non possum. A sinistris video dæmones, qui die noctuquè quærunt animam meam: à dextris contemplor Angelos, quorum bonas inspirationes sæpè contempsi, & metuo, ne fiant mei accusatores. Et cum ista infra, supra, & circa me considero, quomodo vis ut risu & jocos delecter? Tam salubri monito Rex fratrem dimisit, & nos unâ edocuit, ut expergefacti à somno peccatorum

rum surgamus dum Hora est, evigilemus dum tempus est, hoc *Jam*, hoc *Nunc*, & dicamus cum Psal- te: *Dixi nunc coepi*. Excutiamus veternum ab anima, & gladium, qui desuper à vitæ filo pendet, metua- mus. *Respicite & levate capita vestra. Hora est JAM nos de somno surgere.* Duæ

IX. sunt horæ, quas Deus omni homini con- stituit. Una est *Jam* in præsentî sæculo, brevis qua nobis offert misericordiam; altera est *Aliquando* in futuro sæculo sine fine, in qua exercet justitiam. Uta- mur benè ista quæ *IAM* est, ut felix nobis obtingat illa quæ *Aliquando* ventura est. *Magna est Dei se veri- tas post judicium, cujus ante judicium incessabilis est mise- ricordia*: Inquit Augustinus. Ergò dum tempus ha- bemus, operemur bonum, dum Hora est *JAM* de somno surgamus, ne in lethargum lapsi morti- ferum æternum obdormiamus. Surge qui dormis: quod olim Diogenes conspiciens adolescentem neg- lectus dormientem, & baculo pungens, Homeri car- men dixit:

Surge; Ne quis dum dormis à tergo infixerit hastam.
id ego hodie repeto mutatis parumper vocibus:


Ne mors dum dormis figat post terga sagittam.

Repeto iterum cum Apostolo: *Hora est JAM nos de somno surgere.* Surgamus, ne inopinata mors fatale telum in nos torqueat, uti accidit illi qui litteras deferebat Maurinio cuidam comiti. Deam- bulabat S. Desiderius Episcopus Catürccensis ad ripam Oltis fluvij, & audivit vocem unacum adstantibus è fluvio emissam. *Hora venit homo non venit.* Cir- cumspectantibus undiquè nullum hominis alicujus vestigium. Non multò post à longè visus accurre- re eques, & cum ad ripam venisset rogatus quo per- geret:

S. Aug.
serm. 22.
de vert.
Dom.

Auth. vita
S. Desid.
c. 10.

geret : Ad Maurinium inquit Comitem festinanter
jussus sum properare cum litteris. Ad quæ S. Desi-
derius : *Sustine paulisper fili quousque litteræ scribantur ,*
ego quoque epistolam dirigere volo, nunc Jam ibis. Loque-
batur adhuc Desiderius , cum ille colorem mutare ,
rubere, palpitare, mixtum aqua poscere cœpit. Al-
latumquæ illicò vinum respuens, guttam aquæ cla-
mare cœpit , & porrectâ aquâ bibens corruit ac ex-
spiravit, quia venerat *Hora.* Ex quâ occasione S.
Desiderius circumstantes monuit , ut omni horâ pa-
rati essent, quia quâ horâ non putamus evocandi su-
mus ad Dei tribunal. Igitur nos dum adhuc *Hora*
est. Evigilemus ad sonum Excitatorij , aperiamus
oculos, levemus capita , metuamus divinam iram :
verbo *surgamus, Hora est.*



DISCURSUS II.

Dominica II. Adventûs

Fascie Sepulchrales.

T H E M A.

Cæci vident , Surdi audiunt , Mortui
resurgunt. *Matth. 11.*

S Y N O P S I S.

- | | |
|---|--|
| <p>I. Excitamus iterum à somnolentia peccatorum, ut præparemus unigeniti Dei vias.</p> | <p>III. Quibus omnes animæ facultates ligantur, dum per consuetudinem peccata peccatis accumulanti, ut difficilimè excitentur.</p> |
| <p>II. Somnus naturalis est ligamentum omnium sensuum : Poëtis Noctis & Erebi filius : peccatoribus funis, restis, catena, fascie mortales.</p> | <p>IV. Tres mortuos Christus excitavit,</p> |

tavit priores verbo, tertium magno labore & miraculo, quia fuit quatruidianus & in malis inveterati peccatoris typus.

V. Prodiit ille ligatus manus & pedes fascijs, quia etiam excitati à peccatorum somno, veteris consuetudinis signa circumferunt, ut facile iterum in somnum relabantur.

VI. Qualis ille Comensis civis, qui post seriam penitentiam in illicitam priorum voluptatum delectationem consensit, & eternam perijt.

VII. Ergò obstandum principijs, & mali habitus corrigendi per bonos, uti egit ex S. Bernardi consilio nobilis Francus.

VIII. Utinam hunc imitarentur multi alij consuetudinarij peccatores, qui saltem illud meminerint post illa vincula peccatorum & fascias sepulchrales restare impenitentibus alia vincula, quibus ligati manus & pedes mittantur in tenebras exteriores.

Cæci vident, Surdi audiunt, Mortui resurgunt. *Matth. 11.*

I.



Adhuc somnolenti sumus; non sufficit nobis geminum Excitatorium, quod ante octiduum nos excitabat. Sollicita de nobis S. Mater Ecclesia iterum hodie in Missâ nos jubet orare: *Excita quesumus Domine corda nostra, ad præparandas unigeniti tui vias.* Nostis quid mundus agat, cum terræ Princeps urbem aliquam aut oppidum ingressurus speratur. Non est tunc somni tempus & otij, sed laboris & vigilantie complanantur viæ, amoventur lapidum temerè jacentium obstacula, explentur fossæ, reparantur pontes, expurgantur compita, ornantur domicilia, eriguntur triumphales arcus: student singuli, quàm decentissimo vestitu obviam venturo Principi procedere.

Itud

Istud à nobis præsentî Adventûs tempore exigit Ec-
clesia, ut præparemus vnigenito DEÏ vias, ut purifi-
catis mentibus ei seruire mereamur, ut evigilemus,
& surgamus à somno peccati. Eodem tendit moni-
tum S. Augustini cum ait : *Quando aliquis homo po-
tens, aut nobilis natalem suum, aut Filij sui celebrare de-
siderat, quanto studio ante plures dies, quidquid in domo
suâ sordium inuenerit, ordinat emundari, quidquid in-
eptum, aut incongruum proijci, quidquid utile & neces-
sarium præcipit exhiberi. Domus etiam, si obscura fue-
rit, dealbatur, pavimenta scopis mundantur & diversis
respersa floribus adornantur. Quidquid etiam ad letitiam
animi & corporis delicias pertinet, omni sollicitudine pro-
videtur. Ut quid ista omnia Fratres charissimi? nisi ut
dies Natalitius cum gaudio celebretur hominis morituri?
si ergo tanta præparas in Natalitio tuo, aut Filij tui,
quanta & qualia præparare debes suscepturus Natalem
DOMINI tui? si talia præparas morituro, qua-
lia præparare debes æterno?* Hæc Augustinus : quæ
cum vel maximè concernant peccatores expectan-
tes non tantùm Adventum Filij DEÏ in carne, sed
etiam Adventum in Majestate & iudicio : agite ex-
citemus iterum peccatores, & causam tam pro-
fundi somni, quantum in nobis est. amoveamus, ut
terso tandem sopore ab oculis, ad præparandas uni-
geniti DEÏ vias aptiores reddantur.

II. Somnus naturalis ex Aristotelis placito,
est ligamentum omnium sensuum exteriorum : cujus cau-
sam efficientem assignat vapores ascendentes è
ventriculo ad caput, & replentes membranam, quæ
circa cerebrum est ac venas, unde spiritus anima-
les torpidi, & graves redduntur atquè exindè sen-
sus externi ligari dicuntur. Hinc est, quod cibi
qui

S. August.
serm. 1. de
temp.

Arist. lib.
de somno
& vigila

qui plus vaporum emittunt somniferi appellantur, & quo magis ijs aggravatur corpus, hoc gravior inde somnus consequitur. Poëtæ de somno somniant, quod sit ex Erebo & Nocte natus, & homines dormire faciat contactu Lethææ virgæ, quæ oblivionem omnium curarum & malorum inducit. Unde Silius canebat :

Sil. Ital.
lib. 10.

- - - oculisque quietem
Irrorat tangens lethæâ tempora virgâ.

Et Euripides in Oreste somnum alloquens vocat oblivionem malorum :

Eurip. in
Orest.

Somne ô levamen dulce, & ægritudinis
Medela dulcis, ut venis mi optabilis
oblivio malorum - - -

Hæc prorsus est natura peccati frequentius admissi, quod hominem ligat & constringit, eumque in noxia quâdam securitate constituit, ac veluti lethæâ oblivionis virgulâ delinitum obliviscî facit malorum impendentium. *Est ligamentum omnium sensuum*, est ligamentum omnium facultatum, memoriæ, intellectûs, & voluntatis. Advertebat hoc sapiens qui dixit : *Iniquitates sue capiunt impium, & funibus peccatorum suorum constringitur.* Non dicit fune aut funiculis, sed funibus, qui ex pluribus funiculis torquentur, & ex peccatis pluribus majorem impio laqueum parant : quod observans Hilarius : *Modo funis*, inquit, *ex plurimis minimis crescentis in multum, peccata tanquam longo fune tenduntur.* Et Beda eodem intellectu : *Qui funem facit torquendo semper & involvendo fila filis adauget :ialis est sortitudo malorum operum.* Peccator ergo funibus peccatorum suorum constringitur, sive ut Jrenæus legit, *restibus*, eò quod facinorosis proprium sit restibus finire vitam. Unde

Hilar. in
Psal. 118.

Beda Pro-
v. c. 5.

Jrenæus.
lib. 3. c. 10.

& Rabbi Sa'omon pro voce constringitur, reponit *suspenditur*, ut innuat peccatorem inveteratum quasi laqueo peccatorum perire. Cui favet Isidorus alludens ad suspendium Absolonis, verba sapientis ita reddit: *Impius crinibus peccatorum suorum suspenditur*. Amplius aliquid moralitatis suppeditant septuaginta Interpretes, qui pro *funibus* reponunt *catenis*, quia videlicet peccata longo exercitio firmata & indurata non solum ligant ut funes, sed æquè difficulter rumpuntur ut catenæ. Id de se ipso fatetur Augustinus cum ait: *Ex perversâ voluntate facta est libido: cum servitur libidini, facta est consuetudo: & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas &c. suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed meâ ferreâ voluntate*. Hæc tam diversâ ligamenta conficit somnus peccati. Accedit Hilarius qui pro *funibus* reponit vocem *fascijs*, vel quia peccator est instar infantis, qui nihil de futuro cogitat, vel quia mortuorum est ligari fascijs. Ecce ex funiculis funes. ex funibus restes, ex restibus catenæ, ex catenis fasciæ mortales, quin & post fascias vincula tenebrarum.

III. At unde obsecro rationalis homo tantam necessitatem incurrit? quomodo qui certo se cognoscit moriturum, & coram severi Iudicis tribunali sistendum, eousquè malitiæ progredi potest, ut ex peccandi consuetudine contrahat necessitatem, incurrat oblivionem futurorum? Audite quid pronuntiet Oseas Propheta: *Ligarvit eum spiritus in alis suis*, quæ Hieronymus legit: *Ligarvit eum spiritus Diaboli in alis suis*. Addit verò Lyranus: in intellectu per excœcationem, in affectu per executionem: hoc est in intellectu, & voluntate, quæ sunt geminæ alæ, quibus animus ad DEUM potest provolare, ut nec

Rabbi Sa-
lom.
Isid. de of-
fic. Eccl.
lib-2. c. 16.
2. Reg c. 18

S. Aug. lib.
6. confess.
c. 5.

S. Hilary.
cit. sup.

Oseas. 4.
Hieron. in
Ose. Ly-
ran. ibid.

intelligat bonum, nec velit. Quid mirum, postquam intellectum & voluntatem possidet malus spiritus, si etiam memoriam obfuscet, & lethæâ quadam virgulâ inducat animæ impendentium malorum oblivionem. Atquè ita qui peccatis longo exercitio assuevit, toto impetu in illa fertur, quia intellectus ligatus est, ut malitiam non cognoscat, voluntas de se cæca faciliè obsequitur, cum ei nullum lumen præfert intellectus; memoria etiam labitur, ut non meminerit, quia peccatum generat mortem. Audite super hoc Augustinum: *Peccata inquit, quamvis magna & horrenda, cum in consuetudinem venerint, aut parva esse aut nulla creduntur.* Cui consonat Divus Gregorius, *Cum culpa in usum veneris, ei jam animus, etiam si appetat, debilius restitit; quasi tot vicibus prave frequentationis adstringitur, quasi tot vinculis ad mortem ligatur.* Hinc profectò magnum censeri debet miraculum, si homo per vitiosam consuetudinem peccatis immersus, è lethargo imaginariæ securitatis excitetur.

IV. Christus benedictus tres mortuos suscitasse legitur; filiam Archisynagogi; filium deinde unicum matris suæ, & Lazarum quatruiduanum. Nullo penè labore stetit priorum duorum excitatio, pauca verbula suffecerunt: *Puella tibi dico surge. Adolescens tibi dico surge.* Ad Lazarum ubi ventum est; non suffecerunt verba. *Hoc opus, hic labor:* ingens in eo ad vitam revocando difficultas. Enimverò ut sacer historicus refert .i. infremuit spiritu. 2. turbavit semetipsum. 3. lachrymatus est. 4. fremens in seipso venit ad monumentum. 5. elevatis sursum oculis dixit: *Pater gratias tibi ago, quoniam audivisti me,* 6. voce magnâ clamavit: *Lazare veni foras.* Tantæ

S. Aug. Enchirid. c. 82

S. Greg. lib. 4. moral.

Marci. 5.

Luc. 7.

Ioan. 11.

igitur molis erat Lazarum excitare? Latet mysterium. Peccatoris inveterati personam sustinet, Lazarus. Peccator semel aut iterum delinquens, sæpè unica bonâ inspiratione, unicâ voce Concionatoris, unico exemplo amici excitatur à somno, revocatur ad frugem: at verò per consuetudinis pravæ frequentatos actus inveteratus malorum dierum, qui pridem DEI leges è cordis sui tabula erasit, qui ambulare consuevit per latam & spatiosam viam, qui DEUM oblivioni tradidit, excitari non potest, nisi per grande miraculum divinæ miserationis, quæ justo DEI judicio quàm paucissimis obtingit. Hoc observans Author Glossæ ad hujus textus Evangelici narrationem attexit: *Fremuit CHRISTUS, lacrymavit, clamavit, quia difficile surgit, quem moles malæ consuetudinis premit: sed tamen post magnam vocem surgit, quia per magnam DEI gratiam vivificatur, dum pœnitet.* Molem vocat pravam consuetudinem quasi quoddam onus superimpositum dormienti aut mortuo, ut difficiliùs expergefiat: quo sensu agebat Gregorius: *Sepulture aggere premitur, qui in perpetracione nequitie etiam usu consuetudinis pressus gravatur.*

*Glossa in
cit. cap.
Ioan.*

*S. Greg. 4.
moral. c.
25.*

V. Sed observate, quid in hac sacri Textus resuscitati Lazari narratione Joannes addat: *Prodiit, qui fuerat mortuus ligatus pedes & manus instritis.* Quæ illæ instritæ, quæ fasciæ nisi peccata peccatis addita, nisi funes peccatorum, qui consuetudinariam peccatorum circumplectuntur. Cum his prodiit resuscitatus, portans secum signa lethalia, quod advertens Basilius ad hunc locum apposuit: *Exiliebat quadri-duanus mortuus letbi signa circumferens, & exuit à morte sepulchralem ornatum non exuerat, sed erat in instritis è se-*

*Basil. se-
leuc. orat.
35.*

pulchro partus, & post partionem fasciatus. Notate illa verba : *lethi signa circumferens* : quasi vincula & fasciæ mortem designent. Sic qui peccato moritur, ligatur, qui diu in peccatis perseverat, signa lethi circumfert, fascijs constringitur ut infans, & licet per pœnitentiã quali de novo parturiatur, signa tamen circumfert, & difficultatem sentit vitandi peccata. O somnum nimium quantum periculosum ! O vincula, ô fascias difficulter solubiles ! quarum signa etiam post excitationem à somno circumferuntur, & causant, sæpenuerò recidivam.

Valladier
 Conc. ser.
 5. in Pass.
 Barnab.
 Kearna.
 Conc.
 Dom. Inf.
 od. Nati-
 vit.
 D'oultre-
 man P. 1.
 Pædag. c. 4

VI. Rem auditu horrendam narrat Valladier, & cum eo plures alij. Comis in Italiã civis concubiniarius iam à medicis depositus, & morti proximus monebatur à confessario, qui ad excipiendam supremam exhomologesim evocatus erat, ut tandem lupam domi suæ tandem retentam ablegaret. Negavit ille primò fidis ancillæ obsequijs se eo rerum statu carere posse. Deindè tamen cum confessarius indictis ad placandum numen precibus pro desperati salute, flexisque adeò genibus, & profusis lachrymis obsecrasset, suæ ut ille salutis, hoc saltem postremo vitæ tempore, memor esset, benè monentem audivit æger, meretricem domo ejecit, & gravi peccatorum sarcinã cum doloris sensu apud sacerdotem depositã, eodem die è vita migravit. Sequenti mane Confessarius pro defuncto sacris operaturus è cubiculo egressus, sentit subito velut impacto corpore se repelli, simulquè vocem audit : *Quo vadis ?* Sacerdos nihilominus : ad sacrarium progreditur, inq; ipso aditu retrò ad duos passus agitur ingenti impetu. Superat tamen, & indutus sacris vestibus altare accedit. Ibi cum minister *confiteor* inciperet, apparuit ad

ad cornu Epistolæ horridum monstrum, quod celebrantem intuens, inquebat : *Ne pro me ora : carvestis ne facias.* Ecce non orem, subdit sacerdos, nonne tu is es, cujus heri apud me peccata cum lachrymis, & verò pœnitundinis sensu per confessionem sacramentalem expiata sunt ? *Heu me !* exclamat triste spectrum : *legitimè confessus eram & peccatis veniam dederat Deus. Sed miserum me ! cum post discessum tuum perditâ illa domum redisset, & officij causa ad lectum accessisset, ego infelix recurrentibus præteritis meis cum illâ criminibus in illicitam delectationem consensi, eoquè penè momento extinctus in æternas præceps stamas rui !* Inunc & noxiæ consuetudinis vinculis constrictus indormi, peccator. *Difficile surgit, quem mala consuetudinis moles premit.* Et si surgat, circumfert tamen fasciâs sepulchrales, ut facillimè damno suo irreparabili relabatur. *Usitata culpa* (verba sũnt S. Gregorij) *obligat mentem, ut nequaquam surgere possit ad rectitudinem. Conatur & labitur, quia ubi sponte diu perstitit, ibi & cum noluerit coactè cadit.* Nisi miserandus hic homo inveteratæ consuetudinis funibus & fascijs constrictus indormivisset, suscitatus per seriam pœnitentiam ad extremum halitumvigilasset. Conatus est se erigere, sed quia se erexit adhuc ligatus fascijs, illicò relapsus, ubi sponte diu perstitit, etiam cum mollet, cecidit.

VII. Abijciamus charissimi hæc vincula, hos funes, has fasciâs, & excitati semel à somno lethifero, maximoperè caveamus, ne in pristinum relabamur rethargum.

Principijs obsta : serò medicina paratur.

Cum mala per longas involvere moras.
monet Poëta. Et Plerumquè *qualis vita, mors*

S. Greg.
hom. 34.
in Evang.

Ovid de
remed.

Mart.
Dum. de
Morib.

est ita. Consuetudo est altera quædam natura, quàm tollere velle est penè lavare Æthiopem. Nunquam tamen desperandum: sed *Bona consuetudo excutere debet, quod mala instruxit.* Sapiens admonitio est Martini Dumienſis, cui conſonat pia Melliflui Doctõris inventio. Repererat ille Nobilem in Franciæ finibus luxuriæ adeò immerſum, ut nullo pacto ab eo ſe deſiſtere poſſe aſſeveraret. Corripuit primò hominem ſanctus Pater, ſed illo conſuetudinem inveteratam obtendente, & impoſſibile ſibi videri ab ijs ſordibus abſtinere, aſſeverante: *Quæſo, inquit Bernardus, ſaltem aliquoties cum Deo iudicias facito, ut minus ad triduum.* Annuit ille, & abſtinet. Triduo expleto rogat Bernardus: *Nunc in Deiparæ honorem tantundem præſta.* Obtemperat ille ſalutari conſilio. Tum tertio Bernardus: *Semel adhuc has inducias poſco in honorem Sanctorum omnium.* Et ille ruruſus promittit, promiſſo fidem ſervat, donec ſpõnte ad Bernardum accurrens diceret: *Nolo amplius diurnas cum Deo, ſed perennes inire inducias* Dictum factum: expulſus ſenſim & vitioſus habitus per actus contrarios, & inveteratæ conſuetudinis depositæ faciæ dormientis in ſordibus peccatorum. Evigilavit maturè à ſomno qui in lethargum mortiferum inclinabat.

VIII. O ſi idem hodie impetrare poſſem ab alijs multis ſopore vitiorum oppreſſis, qui per frequentatos actus ebrietatis habitum contraxerunt, qui ex affiduâ jurandi & blaſphemandi conſuetudine ſingulis penè verbis juramenta & blaſphemias annectunt, qui alijs ejuſmodi vitijs in naturam traductis laborant, & velut quodam lethifero ſomno oppreſſi, etiam poſtquam per pœnitentiam excitantur faciæ circumferunt mortales; næ ego mihi hodie operæ prætium

pretium tulisse viderer, ad Auditores meos verba fecisse cum animarum ingenti emolumento, & gauderet anima mea per excitationem animarum à somno inveteratorum peccatorum, per depositionem fasciarum sepulchralium pravæ consuetudinis præparari Unigenito Dei vias hoc sacro tempore, quo venturum orbis Redemptorem unanimiter expectamus. Sed hoc divinæ potius miserationis effectus est, quam industriæ humanæ, quia ut S. Gregorius asserit: *Majus miraculum est prædicætionis verbo peccatorem convertere, quàm mortuum suscitare.* Illud saltem nunc postulo ab Auditoribus meis, ut meminerint post hæc *ligamenta sensuum*, post hæc vincula, funes, restes, catenas, fascias peccatorum subsequi alia vincula, de quibus Salvator aiebat: *Ligatis manibus & pedibus mittite eum in tenebras exteriores.* Quod ponderans S. Augustinus, in hæc verba erumpit: *Pravitas sibi connexa ducitur in longum: nec cogitans præciderere quod male texuit, sed addere & protendere, habet in fine unde illi ligentur manus & pedes, & iniiciatur in tenebras exteriores.* Resolvamus per veram pœnitentiam nostra vincula, & ligamenta, rejiciamus à nobis fascias sepulchrales, ut filij lucis ambulemus, non ut filij Noctis & Erebi: deseramus vitiosos habitus, expergiscamur à somno, tergamus oculos, audiamus Dei excitantis vocem *Lazare veni foras.* Peccator prodi è sepulchro consuetudinis pravæ, præparemus emundatione conscientiarum Unigenito Dei vias, ut accommodo sensu dici possit de nobis *Cæci vident, surdi audiunt, mortui resurgunt.*

S. Greg.
Dial. lib.
3. c. 17.

P. Augusti.
in Psalm.
139



DISCURSUS III.

Dominica III. Adventûs.

Lectisternia Sacra.

T H E M A.

Vox clamantis in deserto : dirigite
viam Domini. *Joan. 1.*

S Y N O P S I S.

- I. *Romani indicebant in delubris Deorum lectisternia ut Deos placarent, nos peccatoribus noxios puluillos subtrahere volumus, ut meliores substernamus.*
- II. *Spes & desperatio sunt puluilli impœnitentium, ambo periculosi. Indormiunt paleis qui nimium sperant.*
- III. *In iudicium quippe incidunt, qui de misericordia Dei nimium præsumunt.*
- IV. *Non exercet Deus iudicium sine misericordia, nec hanc sine illo, utrumque in Deo decet agnoscere.*
- V. *Quod est osculari & rigare lachrymis cum Magdalena utrumque pedem Christi.*
- VI. *Vnde nullus se debet seourum arbitrari, nisi cum amplius peccare non poterit.*
- VII. *Et ideo Deus ostendit desperantibus indulgentia portum, spe nimia periclitantibus fecit diem mortis incertum. Media viâ incedere tutissimum est, amare misericordem, metuere iustum.*
- VIII. *Quare pro puluillis spei nimia & desperationis substernamus nobis puluillos Injustitie & Indicij, & nos ipsos dijudicando efficiamur Iusti, sic præparabimus sedem Deo.*
- IX. *Vti vanus quidam juvenis, qui audiens ab Asceta: subter te sternetur tineæ, supposuit sibi puluillum Indicij per penitentiam, & Injustitie per reconciliationem cum Deo. Ita securè dormitur.*

Vox

Vox clamantis in deserto : dirigite
viam Domini. *Joan. 1.*

I.



Etus Romanorum mos erat, si cœlestes minæ, terroresve, aut tetra nuntiarentur prodigia, si novæ in cœlo faces aut crinita sidera conspicerentur, si voces insolitæ auditæ fuissent, ad placandas Deorum iras, & mala averruncanda ferias indicare aut *Lectisternia* tribus constratibus lectis Iovi, Vulcano, & Minervæ, quod hi fulminum jactus in potestate habere crederentur decernere. Erant autem *Lectisternia* seu pulvinariæ apparatus Dijs lecticæ in delubris, in quibus Numina pro majestate juxta aras sublimia extabant. Tali Deorum cultu existimavit supersticiosa antiquitas, se mala urbi imminetia evitare posse, & iratos Deos conciliare: *Observatumquæ est* (inquit Alexander ab Alexandro) *ut quoties obsecrationes supplicationesquæ aut Lectisternia indicerentur, à jurgiis & litibus temperarent, vinculisquæ vincula demerent.* Toto hoc sacri Adventus tempore nuntiat nobis S. Mater Ecclesia cœlestes minas, signa in sole, stellas de cœlo cadentes, voces insolitas; invitat fideles ad placandam iram veri Numinis, ad tollenda peccatorum vincula; & hodie rursus auditur *Vox clamantis in deserto.* Agite ergo Auditores mei, adornemus *Lectisternia*; non illa quidem, quæ Romanis usitata fuerunt, sed meliora, quæ Christianos decet. Peccatores somno sepultos præcedentibus duabus Dominicis excitare conati sumus: adhuc dormiunt & dormitant multi, adhuc mollibus pulvillis incubant. Excutiamus

*Alex. ab.
Alex. Gen.
dier. lib. 5.
c. 27.*

mus illorum pulvinaria, & meliores dormientibus substernamus pulvillos. Hæc sint hodie nostra *Lectisternia sacra*. Vos interim Auditores mihi dicturo *dirigite viam* sedulâ attentione.

Macrob.
Saturn.
lib. 2. c. 4.

II. Augustus Imperator referente Macrobio, audiens sub hasta venundari Equitis Romani, qui diu ære alieno gravatus sine cura vixerat, nuper defuncti bona, petijt sibi emi ejus culcitram. Mirantibus Domesticis ait: *Habenda est ad somnum culcitra, in qua ille cum tantum deberet dormire potuit*. Profecto indurati peccatores debent habere mirabilem culcitram, in qua dormire possunt cum sint tanti debitores Dei! Non peto ego tali culcitrae, talibus pulvinaribus indormire: nec vobis ejusmodi *Lectisternia* opto. Adverto enim quàm noxijs & periculosis pulvillis peccatores impœnitentes, & sine Dei timore in scelera proruentes indormiunt, ut potius optandum sit illis ejusmodi pulvillos omni conatu subtrahere, quàm pati ut in ijs æternæ mortis lethargo occupentur. De Achæo Callicone memorat Eustathius, quod dormiturus consueverit fictile vas pulvinaris loco supponere capiti. Verùm quia duritiè illius offēdebatur, idem vas paleis conquisitis implebat, ut mollius cubaret, imaginariâ molitudine se consolans. Idem agunt quotidie peccatores inveterati, substernunt sibi geminos pulvillos fictiles & testeos, ut mollius cubent, alterum ex consideratione peccatorum suorum & inferni, quem sciunt se esse promeritos, durum valde & tamen fictilem quia *Dura sicut infernus æmulatio*. Ut verò huic duritiè remedium adhibeant, paleis inanis spei pulvillum explent, quo suffulti suavius se posse indormire existimant. Spes igitur & desperatio

Eustath.
Com. in
Odyss.

ratio est geminus peccatorum pulvillus, qui cum durum infernum metuunt, & de salute desperant, imaginariam quandam, & inanem spem & securitatem concipiunt, quam ab immensâ misericordiâ DEI mutuuntur. Futurum nempè credunt, ut in fine vitæ pœniteant, & post innumera peccata nihilominus misericordiam consequantur. Sed *mentita est iniquitas sibi*. Indormit paleæ qui nimium sperat. De his pronuntiat Job : *Domus eorum secure sunt, & non est virga DEI super illos*. Sed paulò post subjungit : *Erunt sicut paleæ ante faciem venti*. Frustrabuntur spe suâ, cum minimè cogitaverint, & serò se deceptos videbunt.

Iob. 21.

III. Horum periculum attentitùs considerans Augustinus aiebat : *Ex utroquè homines periclitantur, & sperando & desperando. Sperando quis decipitur qui dicit : bonus est DEUS, misericors est DEUS : faciam quod mihi placet, quod lubet : laxem habenas cupiditatibus meis, impleam desideria animæ meæ. Quare hoc ? quia misericors est DEUS, mansuetus est DEUS. Spe isti periclitantur. &c. Metuendum est, ne te occidat spes, & cum multum speras de misericordia, incidas in iudicium. Quasi diceret : Peccator semper ad extrema tendit, nescius tenere medium virtutis iter. Nam vel considerat justitiam DEI solam, & conscius sibi malè transactæ vitæ in desperationem prolabitur : vel considerat misericordiam DEI solam, & velut de ea securus mala perpetrat, innixus nimix spei peccata peccatis accumulât, quasi DEUS non foret justus. Sed metuendum est, ne te occidat hæc spes*. Peßimè argumentaris. Deus est misericors, ergo peccabo. Deus est bonus, ergò ego malus ero : Deus me amat, ergò odio illum habebò. Substernis tibi quidem pulvillum longè pretiosorem, quam fuerit Regum Persarum

S. Augusti.
Tract. 33.
in Evang.

de quo Athenæus : ad caput lecti regij reposita erant quinquaginta millia talentorum auri, quæ vocabantur *Pulvinus Regius*: longè siquidem pretiosior est misericordia Dei, quàm omneaurum; sed abutentibus eâ est pulvillus plenus paleis, est pulvillus dormituri in æternitatem, est pulvillus, quo Perseus fratrem Demetrium suffocavit; est pulvillus, quo Fredericus II. Imperator à Manfredò spurio necatus est; est pulvillus, qui Ioanni Pappæ XI. in os ingestus eum extinxit; est pulvillus, quo Carolus Parvus Roberti siciliæ Regis filius Ioannam fratris sui Andree uxorem intercluso spiritu è medio sustulit. Et cum *multum speras de misericordia, incidis in iudicium*. Audi super hoc Bernardi categoricam sententiam *Qui sic de misericordiâ ejus sibi blandiuntur, ut à peccatis suis non emendentur, erunt maledicti*.

IV. Psaltes Regius cantaturus DEO laudes acceptabiles, proponit sibi cantare utrumquè justitiam & bonitatem DEI: *Misericordiam & iudicium cantabo tibi*. Cur non solam misericordiam, à qua nihil timendum erat, sed expectandum omne bonum? cur iudicium à quo sibi metuere debuisset peccatis obnoxius? utrumquè dicit se cantaturum, quia scilicet: *Universæ viæ Domini misericordia & veritas* id est verum iudicium, ut exponit Lyranus, quæ premens Cassiodorus inquit, *Potestas Domini semper aut miseretur, aut iudicat. Sed nequè misericordia ipsius sine iudicio; nec iudicium sine misericordia reperitur. Utraquè enim se mutua societate conjungunt*. Quid speres miserande homo, si bonitatem ejus compensas malitiâ, indulgentiam obstinatione, patientiam injurijs, nisi severum iudicium? Est misericors, & misericordiarum ejus non est numerus; sed est simul justus, & retribuit cuiquè bona vel mala pro meri-

Sebellie.
lib. 8. En-
neod. 5 lo-
vig in
Matth.
Magni vi-
ta figeb. &
Platin.
Volateran.

S. Bern.
serm. 29. in
Cant.

Psal. 100.

Psal. 24.

Lyran. in
Exodi c.
34. Cassiod.
in Psal.
100.

meritis. Aspice pendentem in Cruce medium inter duos latrones : uterquè latro est, sed unus misericordiam consequitur, alter justitiam : quia *Universæ viæ DOMINI misericordia & veritas.* Psal. 24. Ne tibi exemplum salvati nimium blandiatur, ne te nimium ruina damnati perterreat. *Latro perit, latro salvatur : uterque latro : non uterquè justificatus, non uterquè damnatus. Est medius JESUS Crucifixus : justitiã suã unum perimit : misericordiã alterum glorificat,* inquit Bachiarus. Utrumque igitur ex æquo amplectar : *Misericordiam & judicium cantabo tibi Domine.* Desebo peccata, ut misericordiam consequar, emendabo vitam, ne in judicium incidam : amabo misericordem, timebo justum. *Absit, ut redundantia clementiæ cœlestis libidinem faciat humanæ temeritatis: nemo idcirco deterior sit, quia Deus melior est,* inquit Tertullianus. Tertull. de pœnit. c. 7.

V. De peccatrice Magdalena refert sacer Historicus, quod lachrymis cœpit rigare pedes ejus, & osculabatur pedes ejus. non dicit osculabatur pedem unum sed ambos pedes. Suffecerat in contestationem amoris & pœnitentis cordis unum pedem rigare lachrymis, unum baliare, at illa rigabat, *osculabatur pedes.* Cur ita obsecro? Audi mellifluum Doctorem : *Alterum sine altero osculari non expedit.* Observo hodie in magnatibus, quod die Cœnæ Domini cum se ad humilem pedum lotionem demittunt, unum tantum singulis pauperibus pedem lavent, quia opera sua mensurant non quanto, sed ex quanto. At Magdalena : *Alterum sine altero osculari non expedit.* Adde causam Bernarde : *Nam & solius judicij recordatio in barathrum desperationis inducit, & misericordie fallax assentatio pessimam generat securitatem.* Ergò Magdalena ambos pedes abluit, ambos deosculatur, quia

S. Bern.
Serm. de
Adventu
Dom.

dum Amat Patrem clementem, Judicem iratum formidat: nec solâ sibi blanditur misericordiâ, nec solâ retrahitur à malo justitiâ. Id agat quisquis per longam in pœnitentiam in lethargum animæ prolapsus, suavem puluillum misericordiæ divinæ sibi substernit. *Utrumque* (monet iterum Bernardus) *utrumque inungat pedem animæ pœnitentis affectus, & nunc misericordiam amplectens, nunc iudicium deosculans, contribulati Spiritus offerat holocaustum.* Obversentur ob oculos non tantum Dei misericordiæ, sed & iudicia, quia sic est erga pœnitentes misericors, ut etiam sit justus in præsumptuosè peccantes & impœnitentes.

VI. Postulabat aliquando Gregoria nobilis matrona à sancto Pontifice Gregorio, ut à Deo peteret per revelationem cognoscere suorum peccatorum remissionem, quo securior de divinâ gratiâ quietem conscientiæ adipisceretur. Cui sanctus respondit: *Rem difficilem, etiam & inutilem postulasti: difficilem quidem, quia indignus sum cui revelatio fieri debeat: inutilem vero quia securus de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis.* Et adducto Pauli exemplo, qui raptus ad tertium cœlum, semper tamen metuebat, ne reprobis efficeretur, nihil sibi conscius, non tamen per hoc justificatus. Et subjungit: *Perpende dulcissima filia, quia mater negligentie solet esse securitas: habere ergo in hac vitâ non debes securitatem, per quam negligens reddaris: Scriptum est enim: Beatus vir qui semper est pavidus.* Hæc sapientissimè Gregorius, insinuans quod alibi etiam docuerat. *Nemo ita confidat de misericordiâ, ut adhibere vulneribus suis dignæ pœnitentiæ negligat medicinam: sed quem præsumit sibi piè parcere, semper etiam cogitet & districtè judicare.* Si ergo nullius culpæ

S. Bern.
serm. de
B. Magda.

S. Greg.
lib. 6. E-
pist. 186.

S. Greg.
lib. 33.
moral. c.
35.

culpæ te reum agnoſcis, nihil quod mordeat conſcientiam, invenis: noli ob id præſumere aut temetiſum certum eſſe de gratia Dei ſuſpicari: noli tibi ſecuritatẽ promittere, quæ maximis ſanctis ante vitæ finem conceſſa non eſt. Miſericordiam Dei amplectere, exora, ſpera quoad vivis, ſed eam tamen tibi non pollicearis niſi cum amplius peccare non poteris.

V II. Quid ni igitur quoad vivimus, cum metu & tremore ſalutem noſtram operamur? Et ſi quidem miſericordiæ Dei innitimur, cur non illicò ad eam properamus? cur in ſeros annos, in ultimum vitæ articulum pœnitentiam differimus? O fallacem nimium ſecuritatẽ! *Propter illos*, inquit Auguſtinus, *qui deſperatione periclitantur propoſuit Deus indulgentiæ portum: propter illos qui ſpe periclitantur, & dilationibus illuduntur, fecit diem mortis incertum.* Nos econtra volumus patere dilationibus & procrastinationibus noſtris indulgentiæ portum, & dum peccata peccatis ſuperſtruimus, ſperamus miſericordiam, quam demeremur. Incerti ſumus de mortis horâ, & de die in diem pœnitere differimus, quaſi ſecuri de gratiâ Dei, quæ tamen non datur dormientibus, ſed vigilantibus. Illos verò ego vigilantes pronuntio non tamen ſecuros, qui ſic mediam ingrediuntur ſemitam inter ſpem & metum, ut & pœnitendo ſperent divinam miſericordiam, & per fragilitatem peccando metuant divinam juſtitiam. Hoc medio tutiſſimus ibis. Monebat populum Iſraëliticum Moyſes: *Cuſtodite igitur & facite quæ præcepit Dominus Deus vobis: non declinabitis neque ad dextram, neque ad ſiniſtram: ſed per viam quam præcepit Dominus Deus veſter, ambulabitis, ut vivatis & benè ſit vobis.* Monebat etiam ut audirent ſacerdotes docentes juxta legem Dei: *Sequeriſq; ſententiam eorum nec*

S. Aug. cit.
ſup. Tract.
33.

Deut. 5.

Deut. 17.

nec declinabis ad dexteram, nequè ad sinistram. Monebat etiam Josue grandævus ætate eosdem Israëlitæ: *confortamini & estote solliciti, ut custodiatis cuncta, quæ scripta sunt in volumine legis Moysi: & non declinetis ab eis neque ad dexteram neque ad sinistram.* Sic ad Auditores meos ego repeto: *confortamini, cum Dei misericordiam consideratis; & estote solliciti, cum ejusdem justitiam perpenditis, & non declinate nequè ad dextram indulgentiæ solam. nequè ad sinistram iræ & judicij solam, Ut vivatis & benè sit vobis.*

VIII. Vos verò peccatores inveterati, & lethargo impœnitentes consopiti nunc adeste: pro duobus puluillis spei nimie & desperationis, alios duos puluillos vobis substerno, in quibus longè suaviùs, & securiùs indormiatis. Hos justitiam & judicium Psaltes nominat. *Justitia & judicium præparatio sedis tue.* inquit ille. Expectamus adventum Redemptoris, apparamus ei domicilium, præparamus sedem, quam non exigit aliam nisi *Justitiam & judicium,* sed hæc diverso à priore sensu intelligite. Nam justitia non tantùm illa est, quâ Deus scelera vindicat, sed etiam quâ nos justî efficitur: Judicium non tantùm illud est, quod Deus exercet in bonos & malos ferendo sententiam, sed etiam quo nosmetipsos dijudicamus, ut non judicemur à Domino. Præparatio igitur sedis venturi Redemptoris est Justitia, quæ justificat impium, & judicium quo peccator dijudicat seipsum. His vult ille sibi præparari sedem in anima fideli, ut Bernardus disserit: *Beata anima quæ sedes est sapientiæ! Quenam est illa anima? utiquè justî. Meritò planè, quia justitia & judicium præparatio sedis hæc est. Ecce quenam illi serica, quæ tapetia, quæ PULVI-*

NARIA

Psal. 88.

*S. Bern.
ser. 3. de
Adv.*

N A R I A oporteat præparari. Sed præcedat justitiam severum in nos ipsos judicium, discutiamus conscientias, accedamus tribunal sacerdotale, ibi sententiam in nos latam humiliter audiamus, & de justitiâ, quæ nos Deo jungat, non dubitemus.

IX. Tales Fulvillos paravit sedi venturi Iudicis ille juvenis, de quo Hieronymus Platus. Erat inquit vanissimus juvenis, qui perpetuum vivebat *Hodie*, parùm aut nihil de crastino sollicitus, mundi cupidiarum sectator, peccatis immerfus & impœnitentiæ somno pridem sopitus. Hunc amicitia causa invisens Asceta, & fortè lectum, in quo solebat recumbere mollibus pulvillis, & sericeis stragulis adornatum intuitus, pauca hæc ad Juvenem Prophetæ verba effatus est: *Alium lectum nobis sternit Isaias. Subter te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* Satis hoc dixisse fuit ingenioso, ut reflexis in conscientiam oculis adverteret se dudum nimiam securitate indulgentiæ divinæ confisum, indormiisse *pulvillo* præsumptuosæ spei, quare à somno flagitiosæ vitæ expectatus, illicò secum deliberare cœpit de christiana Philosophia, quæ est secundum Platonem meditatio mortis, incertæ, periculosæ, distinguentis inter justos & peccatores; nec multò post obsecutus vocanti Deo, cœtui Religioso adscribi voluerit, ut esset in ejus anima *Justitia & judicium præparatio sedis* divinæ. Hos pulvillos Auditores mei, abjectis illis veteribus nobis substernamus, hæc celebremus *Lectisternia*. Cogitemus, quod liquando *subter nos sternetur tinea, & vermes erunt operimentum nostrum*, quod periculosè dormiat, qui nimium sperat, quod proximus sit ad ruinam qui desperat, quod Iustitia & Iudicium sit præparatio sedis divinæ: quare *sobriè & justè, & piè vivamus*

Hier. Plat.
lib. 3. c. 38.
de bono
stat. relig.
D'oultrem
P. 1. Pæ-
dag. c. 8. §.
6.

Isai. 14.

in hoc seculo expectantes beatam spem, & adventum gloriæ Magni Dei.



DISCURSUS IV.

Dominica IV. Adventus

Lethargi Curatio.

T H E M A.

Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Joan. 1.

S Y N O P S I S.

- I. Ad tollendum animabus fidelium peccati lethargum multa sunt adhibita remedia, quæ videntur non profecisse. Tentanda exemplo Augusti lenia medicamenta, quæ adhibet cœlestis Medicus odia nostra sanans amoribus.
- II. Solet ille minari gladios, sagittas, fulmina, sed cohibet iram expectans pœnitentiam, quia pronus est ad misericordiam, velox ad gratiam, tardus ad penam, quod in puniendo Adamo vel maxime ostendit.
- III. Demûdè in puniendo genere humano per diluuium, quod totiscentum annis distulit, & insuper antequam immitteret, septem diebus prius præ-
- dixit, & per 40 dies sensim pluit, cum posset momento uno totum mundum sepelire, semper expectans pœnitentiam.
- IV. Sic etiam tardè punivit Pharaonem, tardè Amalecitas, tardè Ierosolymam: quin nos ipsos quotidie peccantes per multos annos expectat differendo penam.
- V. Econtra velox est ad gratiam, quam meretur David uno verbo Peccati, qua filius prodigus prævenitur, quam latro in Cruce illicè obtinet cum petit, & majorem quam petat, & plures alij, cum nullo non momento illam nobis tribuat.
- VI. Quodsi in tanta bonitatis

consideratione adhuc haeremus in peccatis, & lethargo opprimimur, non est remedium, sed metuentium ne deseramur, uti Iuvenis Tolestanus, qui saepe monitus in ultimo morbo, ut peniteret, re-

mit, ob quod Crucifixus aures suas obturavit orantibus pro peccatore obstinato. Oremus & nos & imploremus misericordiam pro peccatoribus lethargo laborantibus.

Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Joan. 1.

I.



Contemplatus humanam fœcordiam in procurandâ salute animæ salvianus Massiliensis exclamat: *Tanta est hominum cœcitas, ut cum nullus perire velit, nullus tamen id agat ne pereat. Totum incuria & segnitie, totum negligentia & somnolentia possident.* Hanc supinam negligentiam, & profundam somnolentiam, quæ in lethargum degenerare solet, hoc sacro adventûs tempore conati sumus à fidelibus tollere, eosquè à peccatorum somno excitare. Sed nondum satis laboris impensum est, adhuc videntur nonnulli veterno insèpulti, quibus nec Evangelica verba, nec Patrum dicta, nec intentatæ de cœlo minæ, nec pereuntium infelices casus, nec salutis pericula somnûm excusserunt, ut lethargo quodam incurabili videantur laborare. Quid hic consilij? quomodo tantæ negligentie & somnolentie medendum? Augusto Cæsari L. Cinna Pompeij nepos secundo rebellaverat, & struebat insidias. Indoluit Cæsar sortem juvenis, & cum intra cubiculum suum laxatur ingemitus, audiens uxor Livia, accurrit, eumquè sic affatur: *Fac Auguste, quod medici solent, qui ubi usitata remedia non proficiunt, tentant contraria.*

Salvia lib.
3. de ver.
jud.

Severitate nihil adhuc profecisti, ignosce. Idem consilium mihi hodie amplecti placuit. Medicum agam, ut peccatorum & impenitentium lethargum sanem: abstinebo à severis Dei minis & pœnis, lenem & suavem exhibebo forbitiunculam, & ostendam ipsum Deum nobiscum agere ut sapientissimum Medicum, qui dum severitate nihil proficit, ignoscit: odia nostra sanat amoribus: & pronior est ad ignoscendum quàm puniendum, velocior ad indulgentiam quàm vindictam.

II. Usquè adeò Deus clementer nobiscum agit, ut cum peccamus semel, iterùm, tertio, & centies; modò velimus, ignoscat semel, iterùm, tertio, & centies; & licet subindè minis & terroribus nos à peccando revocet, ad vindictam tamen se quam tardissimè accingit. Minatur apud Psaltem Regium: *Nisi conversi fueritis, gladium suum vibravit, arcum suum tendit, & paravit illum.* Putes jam jam volaturas sagittas, jam jam feriendos peccatores: ille tamen magnâ longanimitate exspectat, ut idem Vates Regius admirabundus, illum velati nimis patientem increpet. *Usquequo peccatores Domine usquequo peccatores gloriabuntur?* Nimiùm est quod toleras: detrahis omnipotentiaæ tuæ, quod indulges temeritati humanæ! gloriantur mortales in rebus pessimis, & quia non fulminas, insolescunt: *Tange montes & fumigabunt. Fulgura coruscationem & dissipabis eos; emitte sagittas tuas, & conturbabis eos.* Verùm tanta est Dei clementia, ut omnem sensum humanum superet. Offensus homo illicò vindictam spirat; offensus Deus illicò amorem spirat, velox ad misericordiam, tardus ad pœnam, quod in ipso primorum parentum casu licet observare. Transgressi erant protoparentes divinam legem.

Psal. 7.

Psal. 39.

Psal. 143.

gem. Et Dominus deambulat in Paradiso. Audiverunt illi sonitum deambulantis & timuerunt: *Vocavitquè Dominus Deus Adam & dixit ei ubi es?* Auditis deindè reis tandem sententiam tulit. Quid obsecro necesse fuit venire in Paradisum, deambulare quasi auræ captandæ gratia, præmittere sonitum, ut adventantem audirent: quid, veluti nesciret ubi essent, invocare Adamum, examinare ipsum & mulierem? Nunquid ambulat Deus more hominum? nunquid potest ab oculis ejus se homo abscondere, ut quæri ab eo debeat & vocari? Omnia hæc immensam DEI clementiam & tarditatem in pœnis infligendis ostendunt. *Bonus DEUS* inquit Chrysostomus, *misertus est hominis cum uxore suâ circumventi Diaboli insidijs. Nam veluti medicus ad invalidum & egrotantem, jacentemquè, ac indigentem curâ & medici manu, protinus illum accedit.* Et post nonnulla cum de accusatrice conscientia, quæstione & examine Adæ retulisset, miratur patientiam DEI & longanimitatem, quod non illicò pro ut comminatus fuerat prævaricatorem puniverit. *Vide inquit excellentem misericordiam & patientiam DOMINI.* Nam cum poterat ne responso quidem dignari eum qui peccaverat, sed statim pœnam infligere, quam prius statuerat prævaricaturæ: longanimis tamen est, & suffert, & interrogat, & responsum accipit: & iterum interrogat, quasi ad defensionem eum prævocans, ut arreptâ occasione, etiam post tantam prævaricationem, suam erga illum misericordiam declaret. Comminatus fuerat Adamo DEUS: *In quocunquè die comederis ex eo morte morieris:* & tamen vixit Adam postmodum annis nongentis triginta, quia DEUS comminatum pœnam attemperavit, & distulit, ut vel sic ostende-

S. Chrysof.
hom. 17. in
Gen.

Galfrid, in
Alleg. Tilmann.

Pever. in
Genes.

ret quàm invitus se accingat ad infligendas pœnas, quàm tardus sit ad vindictam cum celerrimè advolet ad exercendam misericordiam. Id expressiùs notavit Galfridus in allegorijs Tilmanni componens cum Adami punitione, visitationem sponsæ per gratiam, ubi ait ad illa Canticorum : *Ecce isle venit saliens in montibus &c. Nunc verò deambulare dicitur, quærens latentem inter frutices peccatorem : retardabatur, & lentis passibus incedebat : utpote qui veniebat tristem mortalibus inferre sententiam. Ad sponsam verò veniens festinat, & letis admodum saltibus advolat, æternæ reparationis asserens medicinam. Quo & illa meritò adjunxeris : Vociferatur Adam ubi es? Non sunt verba ignorantis sed invitantis, sunt Patris querentis filium perditum, sunt medici querentis ægrotum. Verè medici, qui ut parcat ægroto, omnia tentat priusquam ad sectionem membri perveniat, lenia adhibet, quo minùs lædat, & morbum exulceret.*

Gen. 6.

Gen. 5.

Gen. 7.

III. Narrat sacer Historicus, quod temporibus Noë tanta fuerit malitia hominum super terram, ut decreverit DEUS delere universum genus humanum. *Omnis caro corruerat viam suam. Et tætus dolore cordis intrinsecus : Delebo, inquit, hominem quem creavi à facie terræ.* Incipit Judicium à misericordia tactus dolore cordis, velox ad clementiam, tardus ad pœnam. Concedit pœnitentiæ tempus, expectat, monet, differt vindictam. Non caret mysterio, quod cum DEUS diluvium decerneret, Noë dicatur fuisse annorum quingentorum, & cum laxaret cœli cataractas fuisse annorum sexcentorum, ut constaret nobis quanto tempore Distulerit pœnam scelestis, & quàm tradè puniat cum delinquimus. *Eratquè sexcentorum annorum quando diluvij aque*

aque inunda verunt. Toti centum anni inter minas & pœnam interponuntur : adduntur insuper alij septem dies, ceu Critici, quibus expectabat Benignissimus Medicus in ægrotis mutationem. Et cum spe suâ frustraretur, nihilominus tardè impij mundi demersionem aggreditur. *Et facta est pluvia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Non illicò inundatur mundus, ut vel hunc visò multorum interitu, cœteri tempus habeant pœnitendi. Quæ omnia perpendens Chrysoſtomus : *Vide, inquit, misericordiam Domini, quomodo quasi bonus aliquis medicus, varijs vijs morbum eorum curare tentat. Nam quoniam incurabilia erant eorum vulnera, tam prolixum eis tempus præscripsit, volens etiam si in tanto tempore agnoscerent, & resipiscerent, revocare indignationis suæ sententiam.* Et paucis interiectis eandem thesim prosequitur : *Prius tantum temporis ad pœnitentiam dedit. Dein ubi vidit eos quasi insensatos ita se gerere, nihilquè proficere temporis longitudine, jam cum in foribus ipsis esset ut dicitur, diluvium; iterum prænuntiat, non ante tres Dies sicut de Ninivitis dicitur, sed ante septem. Et fidenter dixerim excellentiam misericordie Domini nostri sciens : si vel in septem diebus justam pœnitentiam agere voluissent, effugissent utiquè Diluvij periculum.* O clementem & misericordem DEUM! ô patientem medicum! In condendo orbe sex tantùm absumpsit dies, in destruendo quadraginta diebus & quadraginta noctibus laborat, moras ex moris neçtens ! differt pœnas ut gratias acceleret, quia non vult mortem peccatoris, sed magis ut convertatur & vivat. *Potuisset omnia uno momento perdere diluvio, sed pro suâ misericordiâ tantâ dierum productione*

S. Chrysoſt.
hom. 25. in
Genes.

est usus, inquit idem Chrysoſtomus. Tardus est DEVS ad pœnam, velox ad gratiam.

IV. Hujus veritatis penè innumera ſunt in ſacris litteris testimonia. Quantâ enim patientiâ & longanimitate uſus eſt DEVS, cum induratum cor Pharaonis per ſigna & prodigia multa conaretur emollire: diſtulit pœnam, ut exſpectaret pœnitentiam, & dimitteret pœnam. Amalecitas ob negatum tranſitum Filijs Iſraël delere ſtatuerat, & non deleuit, ſed velut longanimis creditor mandavit Moſy: *ſcribe ob memoriam in libro: debelo memoriam Amalec ſub cælo.* Diu cogitat creditorem agere qui ob memoriam debita in libro ſcribit. Quoties imminatus eſt Iſraëlitis: *Venit ſinis ſuper populum meum Iſraël*, imminentes pœnas illis ob oculos poſuit, & tamen plurimis annis diſtulit. Ipſe Chriſtus Hieroſolimæ interitum prædixit: *Venient Dies ſuper te* &c: qui non niſi quadraginta annis poſt ejus obitum contigit. Tardus nempe eſt ad pœnam DEVS, quod vel nos ipſi fateri cogimur. Unde Bernardus: *Magna omnino miſericordia exſpectatio Dei eſt, nam peccantem Angelum non exſpectavit, ſed præcipitavit &c. Nunc jam exſpectat, diſſimulat, ſuſtinet, decem annis viginti, uſquè ad ſenectum, & ſenium.* Atquè utinam vel in ſenio peccatores obdurati bonitatem & clementiam ejus agnoſcerent! utinam tandem poſt multos annos è miſerabili ſuo lethargo excitarentur!

S. Bern. de
trip. miſ.

2. Reg. 12.

V. Aggredior nunc alteram ſermonis partem, & divinæ gratiæ celeritatem oſtendo. Peccavit David: mittitur ad eum Nathan Propheta, denuntiat pœnam promeritam. Unicum verbum dicit David *Peccavi*, & reponit Nathan: *Dominus quoquè tranſtulit peccatum tuum non morieris.* In quem locum Baſilius

Baſilius

filius Seleuciensis: *Debitum superavit gratia: pœnam remisit clementia. O magnam repentinamquè bonitatem! concurrat cum culpæ confessione pœna absolutio.* Abierat filius prodigus in regiones longinquas deserto patre, ubi filiquis porcorum pascebatur. Redux ad patrem, *cùm adhuc longè esset, vidit eum pater ipsius, & misericordiâ motus est, & accurrens cecidit super collum ejus. Quid opus tantâ celeritate? Insuper ad famulos versus Pater Citò, inquit, Proferte stolam primam. Vix pœnituit jam receptus in gratiam, jam omnia pristina Citò recuperat qui diu in cœno voluptatum est volutatus. Nempe Tardam misericordiam pater nescit, ut loquitur Chrysologus. Latro in Cruce vix petierat à Christo, ut sui meminisset in regno suo, illicò audiit: *Hodie tecum eris in Paradiso.* Tam prompta ergo est peccatoribus Dei gratia? Ambrosius in hunc locum: *Tam citò Latroni venia relaxatur. Citò ignoscit Dominus, & uberior est gratia quàm precatio.* Non adducam hic Matthæum duobus verbis ad sequelam Christi impulsam, Zachæum conversum, Petrum flentem, Magdalenam Christi pedibus advolutam. Illud solum inclamo ad oppressos lethargo peccatorum: *Qui habet aures audiendi audiat.* Monitum Hugonis: *Sicut nullum est momentum, quo homo non utatur, vel fruatur Dei bonitate, & misericordiâ: sic nullum debet esse momentum, quo eum præsentem non habeat in memoriâ.* Sic facilè expergiscetur à noxio inveteratè peccandi consuetudinis lethargo, & erunt præva indirecta, & aspera in vias planas. Ideò enim hoc sacro adventûs tempore prædicatur *baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Ut qui meruerunt iram Dei, ejus vindicem manum præveniant, & gratiam ejus mereantur: & de quibus hæctenus dictum est: *Omnis**

Basil. sele-
ve. orat. 17

Luc. 15.

S. Petr.
Chryso.
serm. 30

S. Ambros.
lib. 10. in
Luc.

Hugo de
Aust. ant.
lib. 10

caro corruerat viam suam, de ijs verificetur deinceps: videbit omnis caro salutare Dei.

VI. Hæretis adhuc peccatores? nondum vultis excutere veternum? nondum vultis audire *vocem clamantis in deserto*? nondum cogitatis peccandi consuetudinem dimittere? Ah! metuendum ne dicat cœlestis Medicus: *Curavimus Babylonem, & non est sanata: derelinquamus eam.* Lethargo medicinam adhibuimus amaram & dulcem, *non est sanata: iudicium prænuntiavimus, misericordiam obtulimus, non est sanata: derelinquamus eam.* Quod accidit juveni illi Toletano, de quo Georgius Reeb. Fuit inquit Toleti juvenis ab ineunte ætate corruptis moribus, qui cum cœpisset ægrotare ab accedente Confessario de pœnitentiâ monitus, negavit tunc esse necessitatem confessionis. Idem Medicus, idem Sodales & amici eum invisentes, sed frustra suadebant. Demum Medicus deprehensis signis adrepentis mortis seriò urgere, hortari ad pœnitentiam, prædicere post paucas horulas mortem: at frustra. Indormiebat ille suo lethargo mortifero. Tandem prosternit se confessarius ante crucifixum, & orat. *De profundis clama vi ad te Domine: cumquè pervenit ad illa verba: Fiant aures tue intendentes in vocem deprecationis meæ: mirum dictu! refigit Crucifixus brachia de cruce, & manibus aures suas obturat cum ingenti horrore adstantium. Et illicò audita est vox: Quia vocavi te & remissi, ego quoquè in interitu tuo ridebo.* Fulmen hoc fuit, quod ab initio morbi vibratum continuè Deus in manu suâ, exspectans pœnitentiam, dans tempus ut fugeret à facie iræ ejus: sed quia noluit excitari à lethargo, exanimatus hoc fulmine, hac voce infelicem animam efflavit. Sunt sunt adhuc inter


Jerem. 51.
v. 9.

Georg.
Reeb. in
Reg. & mo-
tiv. prud.
Christ. c. 11.

Psal. 129.

nos aliqui sunt, qui laborant gravissimo lethargo impenitentiae, qui his quatuor Dominicis Adventus non sunt curati, qui adhuc procrastinant poenitentiam, nec volunt respicere ac levare capita sua ad impendentem gladium irae divinae: sunt qui fascias sepulchrales etiam excitati circumferunt, & relabuntur in pristina peccata sua: sunt, qui indormiunt pulvinaribus, nimiae spei & desperationis, nec excutiunt somnum ad vocem clamantis in deserto: saltem nunc aperiant oculos: pro his Auditores mei *venite proci- damus ante Deum*, flectamus genua ad Medicum animarum nostrarum Crucifixum I E S U M, & clame- mus: *De profundis clama-vi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam.* Expelle à cordibus peccatorum omnem noxium lethargum, excita corda nostra ad praeparandas unigeniti tui vias: sive ut hodie in Mis- sa oramus. *Excita quæsumus Domine potentiam tuam & veni, & magnam nobis virtute succurre, ut per auxi- lium gratiae tuae quod nostra peccata praepediunt, indulgentia tuae propitiationis acceleret.* O I E S U qui idem es justus & misericors, sepone nunc Iustitiam, exerce misericordiam. *Fiant aures tuae intendentes in vocem deprecationis meae. Si iniquitates observa-veris, quis susti- nebit? Quia apud te propitiatio est.* Poenitemus, pol- licemur emendationem, dimittimus consuetudines pravas, ut evadamus tuae justitiae flagella, invocamus misericordiam. *Speret Israël in Domino, speret qui serio emendationem promittit, & poenitentiam agit,*
*quia apud Dominum misericordia & copio-
sa apud eum redemptio.*

Psal. cit.



ALLOCUTIO ACADEMICA.

In vigilia Nativitatis Domini.
Verbum visibile.

THEM A.

Tranſeamus uſquè Bethlehem, & *videamus hoc verbum quod factum eſt. Luca 2,*



Difficile eſt loqui de eo, qui ſemper loquitur: periculoſum tacere, de quo ſemper loqui debeas. Omnem meretur facundiam eloquentis Magiſter ſilentij: nec caret culpâ mutus Orationis in fœcunditate materiæ. Verùm, de DEO quidquid dixeris infra dignitatem dixiſti, quamvis de Verbo increato nulli poſſit deſſe verborum copia. Eloquar an ſileam? innocens eſſe non poteſt taciturnitas debentis DEO, quod ipſius didicit beneficio; ſed & verba facere de *Verbo viſibili*, non tam operoſum quàm arrogans conſilium eſt. Tacetur meliùs, quod benè explicari non poteſt. Nullus hic ſe ſuſpicetur facundum, ubi Deus ipſe ab omni æternitate locutus, ampliùs loqui non potuit quàm vnum Verbum, idquè abbreviatum. Circumſcripta ſuis anguſtijs finita ingenia, ſi ad infinitatem exſpatriari non timent, pœnas luunt audaciæ. Non unus in hoc mari demerſus Icarus, ſuum una
ſecum

secum demerfit nomen. *Quamdiu* in luteo ferculo modicam participatæ divinitatis portionem circumferimus, ad lucem, *quæ tenebras posuit latibulum suum*, emicare non licet. *Verbum* dissylaba vocula, sed verborum omnium Synopsis, mille jam pertractata Tomis, nunquam satis explicabitur, donec interpositam Deum inter & homines cortinam reducat beatitudo. *Melius est* mortalibus Augustini suffragio, *DEUM scire nesciendo*. Obscurus planè orator est, & luci tenebras, soli maculas, diei noctem, faci fumum, speculo velum prætexit, qui multa verba facit de uno *verbo*. Nullam igitur hodie Academici expectate Orationem, nulla pigmenta Rhetorum, nulla delicatarum aurium lenocinia: supra humanas est vires Incarnatum *Verbum* ornare verbis. Non eget veritas involucris, suâ nuditate grator, suâ simplicitate nobilior. Dicam tamen: quid dicam? Expers sit omnis humanitatis, qui sermonem divinum intercipit. Tacendum homini quando loquitur Deus. Tacebo igitur; etiâ nec Orator nec Ecclesiastes, sed Auditor, sed spectator unâ vobiscum concedam in Bethlehemi stabulum (Scholam aut Lycæum divinum volebam dicere) ubi videam & audiam quid loquatur DEUS. Hac viâ siquid incomptè, inornatè, frigitè præsumpsèro dicere, id non Oratori aut Ecclesiastæ, sed affectui, sed mihi adscribite. Affectus utitur verbis in ore natis, & cum *Verbum* diligit, verba non deligit.

Transeamus usquè Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum est. Nemo non hodie sit Peripateticus, quando ipse sit Peripateticus DEUS, quia viator. Quid moramur? *Hora est jam nos de somno surgere.* Transeamus à tenebris ad lucem, à caligine

S. Aug. de Trin.

Rom. 3.

Ibid.

ad solem à nocte ad diem ; Transeamus, & ut Christianos decet Peripateticos, *sicut in die honestè ambulemus.* Tergantur oculi ad protoplastis somnolentiam afflueti, ad insolitum evocamur spectaculum. *Videamus hoc Verbum quod factum est.* Qui nudi solis objectum sustinere non possumus, ex insidijs captemus velatum carne, umbratum nube, reflexum in speculo. Ipse jam radios divinitatis suæ refregit in corpore, & fulgorem majestatis immensum temperatione humanitatis delinivit. Tractabilis est visui, postquam est virginali opere elaboratus ad umbram. O Prodigium ! Videri jam potest qui DEUS est !

Videamus hoc verbum in Bethlehem stabulo, ubi sociantur divinis humana, nectuntur ima cum summis, & unus rerum ordo est mutatus ordo. Auditus objecta proponuntur visui ; & quæ per aures tantum penetrabant ad animum, per oculos jam habent ingressum. Videri jam potest, qui *Verbum est.* Si fides Olao Magno in Borealibus terris rigor hyemis loquentium verba gelat in glaciem, durat in crustam, quæ subindè mitiore afflatu Favonij sub veris initium in pluvias dissoluntur. *Æterni Verbum* Patris rigidissima prolatum in terris hyeme Bethlehemi congelatur in stabulo, amoris Zephyro liquatur in lachrymas.

Videamus hoc Verbum. Redierunt tandem felicia illa sæcula, quibus verba non erant tantum verba sed fiebant res. Candor vetus orbi reducitur : Vir Verbi, Verbum viri mensura est. *Verum & Verbum* posthac ne una quidem littera distinguuntur. Veri gypso incrustata mendacia, & synceritatis fucos fraudes illitæ proscribuntur. Nullus deinceps

Ola. Mag. dist.

ceps in ore ficto ludat Polycletus. Verba ut olim ab ore loquentis in rem, in saxum abeant. Fiat quod dicitur, ne tantum sit dictum. Ab ore loquentis DEI *Verbum caro factum est.*

Videamus hoc Verbum. Ecce ad oculum nobis explicat Pater æternus suæ conceptum æternitatis. Usquè adeò æterna veritas hominibus persuaderi non potuit, nisi fieret palpabilis, & DEUM esse mundus non creditit, nisi ad oculum demonstraretur.

Videamus hoc Verbum quo argumentatus ad hominem DEUS, & principium petijt, & circulum commisit, sed optimam nihilominus consequentiam mundo intulit universo. *In principio erat Verbum.* & *Novissimè diebus istis locutus est nobis in filio, qui Verbum erat apud Deum.* Ab Alpha progressus ad Omega, ab Omega regressus in Alpha, æternitatis circulum suæ Emblemata gloriæ delineavit in carne. Et cujus erat gigantea è cælo egressio, infantilis est in præsepiti quies, Virilis erit occursum ejus usquè ad summum ejus. Dicat nunc Propheta *AAA, Domine DEUS: ecce nescio loqui, quia puer ego sum: docebit virum loqui hoc Verbum infans A, O, Amo.*

*Ioann. 1.**ad Heb. 1.**Ier. 1.*

Videamus hoc Verbum. Adeste Philosophi: novam hic discite Philosophiam: Infinitum actu est clausum terminis; infinitum per essentiam, est in quantitate finita; carens terminis carneis terminis circumscribitur immensitas. Qui omnem ambit locum, mensuratùrà loco; & cui non est locus in diversorio, locum habet comunem cum brutis. Geminæ naturæ omninò dispares in unum coalescunt compositum, & quæ duo fuerant, fiunt unum. Divinum hoc inventum est, quod una in persona Deitas & huma-

humanitas connectantur, & idem ille qui immensus est per Deitatem, per pueri tenellum corpus mensuretur in carne. Divinum inventum est, duo disparia tam prodigiosè sociari extrema, extendi ac contrahi, excurrere ac circumscribi, dilatari, & stringi: & cum soli DEO conveniat DEUM comprehendere, ut id etiam ab homine fiat, sub novæ comprehensionis analogia carne amiciri.

Videamus hoc verbum. Adeste Theologi, videamus intensiore oculorum nisu, defixo obtutu in originem, terminum, proprietatem. Loquitur Pater Origo verbi, *Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea Regi. Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis. Speciosus forma præ filijs hominum.* Ne caligate hic oculi; videbimus abscondita à constitutione mundi, & divinæ arcana sapientiæ felici scrutabimur curiositate. O catenam mysteriorum, cum vinctus fascijs in præsepi Deus concatenatur hominibus! In stabulo Deus scholam aperit, ac veluti scientiarum omnium Encyclopædiam unico suæ intellectionis verbo auspiciatur. Nec Asini quidem meretur nomen, qui nihil capit in hoc Athenæo. *Cognovit enim bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui.* Dicitur Pater, excipit spiritus velociter scribens, quia *nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia.* Explicat Filius *speciosus formâ præ filijs hominum,* qui idem *correpetitor,* an *Cor repetens, Fili præbe mi cor tuum,* quia petens principium: *Omnia quæcunquè audivit à Patre suo nota fecit nobis.* Pythagoricum videri posset traditurus dogma, cum Magister filertij *verbum* infans præsepis suggestum occupet, circa quod tantum muta animalia occupantur, nisi ipsum Filij silentium esset Patris facundia, & compendiosa omnis doctrinæ

Psal. 44.

Isai. 1.

Psal. 44.

Ioan. 15.

næ professio. *Cum quietum silentium contineret omnia, Sap. 18.*
 & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo
 tuus è cælo à regalibus sedibus venit. Quomodo silen-
 tium si sermo? quomodo sermo si verbum? quomo-
 do verbum si tacens? nempè nocte mediâ vel ipsùm
 silentium vocale est, & de Deo verbo clamant omnia,
 etiam quæ non clamant. Silet mundus, loquitur
 cælum; sed filet mundus, quia obsurduit, loquitur
 cælum, ut aures mundo reseret. Sic uno verbo fre-
 git Deus mundi silentium, apud quem tacere virtus
 esse non potest, cum necessariò per omnem loqua-
 tur æternitatem. Utinam verbi Echo sit mundus,
 & ex passivo verbo Activum faciat, amantem redam-
 met! uno verbo Deus profiteri cœpit in tempore
 Theologiam sibi coævam, sibi impressam, sed simul
 eam impressit humanitati usus Typographo spiritu,
 qui est calamus scribæ velociter scribentis. Atquæ
 ita prodijt Anno Conditi Mundi quater millesimo *Salian,*
 quinquagesimo secundo sub altissimâ umbrâ com-
 pendium Theologiæ divinæ: editio secunda auctior
 humanæ carnis frustillo, cum gratiâ & privilegio
 æterni Regis, & totius approbatione universitatis.
 Prodijt inquam nocte mediâ editus in lucem Patris
 Filius, æterni æternus, qui *lucem habitat in accessibilem* *1. Tim. 6.*
 sub umbrâ lucis, in umbrâ carnis, & visibilem se
 præbuit invisibilis DEUS, *verbum caro, verbum vi-*
sibile. A Patre luminum expectare non debuimus
 filium nisi *amictum lumine sicut vestimento,* & lucis sti- *Psal. 103.*
 patum satellitio, quia in splendoribus Sanctorum
 generatum; qui nocte nasci fructum reputet suæ
 gloriæ, quippè lucis alienæ nihil indigus, cum nul-
 lâ nocte componi potest. Omnes præsentia suâ de-
 tenebrat tenebras, denoctat noctes, exumbrat um-
 bras *splendor paternæ gloriæ.*

- Videamus hoc verbum, an verò etiam vestiti humanæ carnis epomide doctrinam audiamus. Tractat de habitibus & actibus humanis. Et homo factus, habitu inventus ut homo. Unico actu Theandrico facilitatus ad omnes humanitatis labores* *Portans omnia Verbo virtutis sue.* Tractat de gratia. *Apparuit gratia DEI saluatoris nostri omnibus hominibus, quia ipse plenus gratiæ & veritatis, de cujus plenitudine omnes accepimus. Ipsa quoque mater ex eo gratiâ plena.* De jure & Iustitiâ : *Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris nostri DEI non ex operibus Iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit.* Exarmata scilicet DEI Iustitia misericordiam induit, & dum illa de cœlo prospicit, quando veritas de terra oritur, in terrâ misericordiâ & veritas obviaverunt sibi amoris osculo, Iustitiæ & pacis nomine personatæ. De Iustificatiōe. *Iustificati gratia ipsius heredes simus secundum spem vitæ æternæ.* Nemo divinæ pulchritudinis effigiem odioso peccati lituratam nigrore, ad primigenias revocaret lineas, nisi Trinitatis imago & character DEUS homo statueretur exemplar. In nubecula parva vestigium hominis, indolem DEI venari debet, qui ad prototypi lineamenta collineat. De Indulgentiis. *Purgationem peccatorum faciens.* Scriptum noxialis pomi venenato succo mortis chirographum Virgineus tantum sanguis potuit obliterare. *Reconciliati salvi erimus in vita ipsius. Quoniam quidem Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliatiōis.* Ipse hodie infantili voce vagiens A A nota absolutionis & albo calculo donat reos. De contractibus. *Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni*
- Heb. 1.
- Ad Tit. 2.
- Ad Tit. 3.
- ad Tit. 3.
- ad Heb. 1.
- Rom. 5.
2. Cor. 5.
- ad Tit. 2.

omni iniquitate. Si unquam alias jam certè *Meum* & *Tuum*, *frigidum est verbum*, sed quod omnia mundo invexit bona. Non disputent amplius Iurisperiti, an ejusdem rei Dominium possit esse in solidum penes duos. Hoc *verbum* ita *Meum* est ut sit etiam *Tuum*, ita *Tuum*, ut etiam *Meum*, ita utriusquè, ut etiam omnium. De fide, spe, & charitate. *Estis salvati per fidem. Exspectantes beatam spem, & adventum glorie magni DEI. In hoc apparuit charitas DEI in nobis, quoniam filium suum unigenitum misit DEUS in mundum.* Hac gratiarum Triade omnes sumus Theologi, qui credimus, speramus, amamus.

Videamus hoc verbum. Unum hoc ad nostræ felicitatis deerat incrementum, ut generatus à Patre Filius necessario per intellectum, generaretur etiam liberè per voluntatem. *Eructavit inquit cor meum Verbum bonum* si verbum, quomodo bonum? si bonum, quomodo Verbum? Verbum cognitionis terminus, bonum voluntatis amantis objectum est. Intellectus res ad se trahit, voluntas trahitur à rebus. *In principio erat verbum, & Verbum erat apud DEUM* Erat in Patris intellectu in ternis veluti conclusum penetralibus; sed quia *scriptum est de me ut facerem voluntatem tuam, DEUS meus volui*, exarsit amor in corde Patris, extraque deduxit Filium, ut juxta voluntatis indolem, quæ extra se fertur, profiliret è corde Patris in cor Virginis, è corde Virginis in uterum, ex utero in præsepe. Nempè obediens Patri Filius per potentiam obedientialem se demisit ad hominem, ut homo per eandem elevaretur ad DEUM. *Exinani vit semetipsum formam servi accipiens*, sequestratâ divinitatis majestate, depressâ altitudine, obvelatâ gloriâ. Sed exina-

S. Chrysof.
in Gen.

Ephes. 2.
ad Tit. 2.
1. Ioan. 4.

Ioan. 1.

Psal. 39.

Philip. 2.

ri sublimitas non potuit, & humanis DEUS mancipari obsequijs, nisi vel amore, vel servitute. Voluit & amore & servitute. Servus quidquid est, Domini est, cui vitæ & mortis debet stipendium: amans quidquid est, amati est, in quem transit suavi amoris impulsu. Rapitur voluntas placidaquè obsidione animum amantis captivat, & amato tradit in mancipium. Totum amantem evacuat, ut totum transfundat in amatum. Sic DEI Filius exinanivit semetipsum *Verbum caro factum*. Ingenium Filij mater imitata Filium generans cum esset ingenua Ancillam se tamen Domini profitetur, ut videlicet vel in ipso conspectu servile stigma fronti prolis inureret, ac formam ancillæ susciperet, de quâ nasciturus erat *formã servi accipiens*. Imitata etiam generationem Patris consensit per voluntatem. *Fiat mihi secundum verbum tuum*: eodem verbo, *Fiat* mundum quasi recreans, quo Pater creaverat: & facta *Mater pulchræ dilectionis*, ex amore genuit Filium paternæ dilectionis; quem dedit Pater, quia Mundum dilexit, edidit Mater, quia amans consensit. Uterquè partu libero & necessario: Pater necessario intellectûs, libero voluntatis: Mater libero voluntatis, necessario uteri: & quem Pater *ex utero ante luciferum* loquendo genuit, hunc Mater ex utero nocte media (ut sic dicam) gignendo locuta est.

Ecclesi. 24.

Ah quot modis gignitur Deus ille, cui generari proprietas est: quot modis nascitur cujus nativitatis finis nullus est, quia nullum paternæ generationis principium! En verò iterum se catenato arcanorum nexu mysterio vinculat mysterium. Unâ contentus non erat generatione Filius, ut vel suos vel maternos augeter titulos, sibi ambivit fraternum. Quo-
modo

modo enim Matrem beatam dicerent omnes generationes, nisi vel plures haberet filios, vel eundem sæpius generaret? quomodo Pater Filio fratrem daret, cum Deus se totum exhauriat gignendo Deum, & infinitus intellectus, infinito verbo totus impendi debeat, nisi matris fœcunditas unitatem filiationis divinæ, fratrum adoptivorum multitudine compensaret. Peperit igitur Mater Filium suum primogenitum, ut esset primogenitus in multis fratribus. Pater verò prædestinavit nos in adoptionem filiorum per JESUM Christum in ipsum, secundum propositum voluntatis suæ. Felices nos hac generatione, quia si filij & cohæredes, cohæredes autem Christi.

Matth. 2.
Rom. 8.
Ephes. 1.

Rom. 8.

Vidimus non tantum audivimus Academicum verbum quod factum est. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, gloriam quasi primogeniti à matre. Transivimus usque Bethlehem, transeamus porro ad terminum. Semper in transitu sunt viatores. In solo termino quies est. Ne sit tamen transitus noster sine mutatione reali, sine modo: Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobriè, & justè, & piè vivamus in hoc seculo. Semper christiani Peripatetici sicut in die honestè ambulemus. En realis mutatio, eruti à tenebris, ut filij lucis simus. Augustinus præscribit modum: Deum amare modus est sine modo diligere. Ecce modus Cum verbum caro factum est, nos facta carnis mortificèus: Si autem spiritu facta carnis mortifica veritis, vivetis. Quicumquè enim spiritu Dei aguntur, ij sunt Filij Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Videamus, quamdiu videmus hoc verbum quod factum est. Oculi amo-

Joan. 1.

ad Tit. 2.

S. Aug. lib.
de mort.
Eccles.
Rom. 8.

ris sunt januæ, per oculos exit ab amante anima, per oculos intrat in amatum. Nunquam amplius claudamus oculos ad protoplastis somnolentiam assuetos, donec se perdant in lucis divinæ Oceano & penitus absorbeantur. In hoc mari pati naufragium, est invenire salutis portum. Felix oculorum jactura in uno oculorum, qui *totus est oculus*. Omnium instar visionum est unica visio videntis omnia. Videamus quamdiù videmus, fratrem nostrum primogenitum felices Narcissi *in speculo & enigmate*; olim videbimus eum sicuti est *verbum visibile, verbum bonum*. Dixi.

*Aug. in
Psal. 121.*

1. Cor. 13.



DISCURSUS V.

Dominica infra octavam Nativitatis.

Statuæ.

T H E M A.

Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur. *Lucæ. 2.*

S Y N O P S I S.

- | | |
|---|--|
| <p>I. Noluît Achaz petere à Deo signum, quo esset securus contra hostilem impetum: sed Deus illi dedit signum non petitum infantem Virginis filium panis involutum, qui positus est in ruinam & resurrectionem.</p> | <p>II. Inter signa serè præcipua sunt statuæ, quas veteres ponebant ad excitandam in posteris majorum virtutem.</p> <p>III. Tale signum erectum est, Bethlebemi supra basim præsepis, cui debent conformari nostra signa, ut non representent colossos</p> |
|---|--|

colossos superbos, sed humiles
pumiliones.

IV. Nam humiliari opus est ejus,
qui egressus à Deo ad Deum
vadit, superbire verò ejus, qui
à dæmonibus exit, & ad dæ-
mones vadit. Dei filius decre-
vit ad infantem, ut cresceret
in colossum.

V. Positus ille est velut prototy-
pon, ad quod Christianorum
statuæ conformari deberent.
Sed hoc signum tale est, cui à
multis contradicitur, sicuti à
Nabuchodonosore, qui homo
esse desijt, cum superbire cœ-
pit, & statua ejus à parvo
lapillo confracta est. Hunc
imitantur, qui se supra cœte-
ros erigunt, sed in suam rui-
nam, imitantes primum su-
perbum Angelum.

VI. Horret Deus statuas cassas
& virtute destitutas, ut ho-
mines statuas imperitè scul-
ptas, & quia sunt perverse,
sunt everse. Nam Deus su-

perbos deprimit, humiles ex-
altat. Sapiendum ergò ad
sobrietatem.

VII. Agesilau, Cato, & Ferdi-
nandus Castelle Rex statuas
sibi poni veterunt, contenti
honorificâ beneactæ vite me-
moriâ, quod & nobis place-
re debet, ut per vallem humi-
litalis conscendamus mon-
tem gloriæ.

VIII. Contradicit Christo, qui non
sectatur humilitatem: imi-
tatur Christum, cui placet
humilitas. Unde S. Francis-
co alta in cælo ponitur sedes
quam perdidit Lucifer. Et S.
Antonius edoctus à Deo est
viri simplicis & humilis Ale-
xandrini magnitudinem pre-
sua excrevisse, quòd se omni-
bus inferiorem estimaret.
Qui ergò caret humilitate,
malè statuam suam statuæ
Christi commensurat, & ha-
bet sibi contrarium Deum.

Ecce positus est hic in ruinam & in re-
surrectionem multorum, & in signum cui contra-
dicetur. *Luce. 2.*

I.



N magnâ consternatione Urbis Jerusa-
lem, cum adversus eam ingentem du-
cerent exercitum Rex Syriæ & Rex Is-
raël, monuit Deus misericors Achaz
Regem Juda per Prophetam Isaiam, ne
quidquid metueret; *Noli inquit timere,*

Isai. 7.

&

Et cor tuum ne formidet à duabus caudis titionum fumigan-
 tium; quasi diceret: Hostes tui sunt velut quidam por-
 tentosi Cometæ, longas post se armatorum caudas
 trahentes, primo aspectu terribiles, & qui rerum fu-
 turarum ignaro, magnam possunt incutere formidi-
 nem; sed noli timere hæc Phænomena; quod enim
 videntur portendere malum: *Non stabit, & non erit
 istud.* Utquæ Regem Achaz Deus magis securum red-
 deret, offert illi signum ad beneplacitum, ut ipse sibi
 deligat, sive in alto, sive in profundo; signum aliquod,
 quo asscuratus nihil timeat: *Pete tibi signum à Domi-
 no Deo tuo in profundum inferni, sive in excelsum supra.*
 Quem locum expendens D. Hieronymus: *Pete,* in-
 quit, *tibi signum nequaquam ab Idolis quorum errore reti-
 neris, sed à Domino Deo tuo qui tibi auxilium pollicetur.*
 Verùm quid ad hæc Achaz? *Non petam & non tentabo
 Dominum:* Fictâ humilitate & prætextu non tentan-
 di Dominum recusat signum: unde iterùm Hierony-
 mus: *Non humilitatis est, sed superbiæ, quod non vult sig-
 num à Domino postulare.* Eam ob causam reprehend-
 ditur à Deo ceu molestus Deo & hominibus. Et pro-
 mittitur illi de futuro signum non petitum: *Propter
 hoc dabit Dominus ipse vobis signum: Ecce Virgo concipiet
 & pariet filium.* De hoc signo nuper locuti sunt
 Angeli ad Pastores: *Et hoc vobis signum: Invenietis in-
 fantem pannis involutum & positum in præsepio.* Mirabi-
 le signum, Filius Virginis, idemquæ pannis involutus
 & positus in præsepio: Mirabile inquam; & quantum
 mirabile, tantum amabile: quis enim non medullitus
 inardescat tenerrimo amoris affectu in infantem, quem
 ipsa origo & partus commendat virgineus? sed longè
 mirabilius est, quod hodie de hoc signo prophetatur:
Positus est hic in ruinam & resurrectionem, & in signum
cui

D. Hier. in
 Isai.

cui contradicetur. Ergone tam ferus, tam inhumanus quispiam esse poterit, ut tantum affectus illicium, tam amabile signum odio prosequatur? ut infantulo Virginis filio struat infidias, ut contradicat tacenti? Evolvendo huic mysterio inquiramus præfenti discursu, quale hoc sit signum, & quæ illius contradictio. Ego ordior vos linguis favete.

II. Signa ex Philosophorum placitis illa censentur, quæ præter sui cognitionem, alterius rei nobis ingerunt notitiam: inter quæ ferè primatum obtinent *statue* à præfentis sapientibus non tam memoriæ perpetuandæ, quàm virtutis imitandæ causa excogitatæ. Quod Sallustius innuit, qui *sepè* inquit, *audi-vi Q. Maximum P. Scipionem, præterea civitatis nostræ præclaros viros solitos ita dicere, cum majorum imagines intuerentur, vehementissimè sibi animos ad virtutem accendi: scilicet non ceram illam nequè figuram tantam vim in se habere, sed memoria rerum gestarum eam flammam egregijs viris in pectore crescere, nequè prius sedari, quam virtus eorum famam & gloriam adæquaverit.* Quod sanè accidisse memorant Julio Cæsari, quem conspectâ aliquando Gadibus Alexandri statuâ ingemuisse ferunt, quòd in eâ ætate nihil memorabile gessisset, quâ Alexander totum penè terrarum orbem subegerat, subitoquè Romam reversum ad captandas magnarum rerum occasiones. De T. Manlio Torquato refert Valerius Maximus, severitatem vel ideò exercuisse in filium præcepti paterni transgressorem, quia: *Videbat se in eo atrio consedisse, in quo illius imperiosi Torquati severitate conspicua imago posita erat: prudentissimoquè virosuccurrebat, effigies majorum cum titulis suis idcirco in primâ ædium parte poni solere, ut eorum virtutes posteri non solum legerent, sed etiam imitarentur.*

Salust. in Incuriis.

Suet. in Julio Plutarcho, lib. ex prof. mixt.

Val. Max. lib. 3. c. 8.

III. Tale signum, talem statuatam superioribus diebus erexit Bethlehemi Benignissimus Deus, cum filium suum unigenitum nobis in Magisterium & exemplar virtutis proposuit, cujus rerum gestarum memoria excitati ad magna & ardua animaremur. *Et hoc vobis signum: invenietis infantem pannis involutum.* Deum immortalem quale hoc signum! Dei Filius pannis involutus! ille nempe de quo canebat Psaltes: *Exultavit ut gigas*, ille instar pumilionis nobis imitandus proponitur. *Verbum nobis proposuit abbreviatum: Nisi conversi fueritis, & efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum cœlorum. Acerba sententia apud illos, qui propriæ indulgent voluntati.* Ait B. Isaias Abbas. Sed cur Acerba videri debeat, si magna spiramus aut speramus, si ad culmen gloriæ volumus eniti, si conformari optamus exemplari nobis proposito? *Qui cum in formâ Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed exinaniavit semetipsum formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo.* Et rursus: *humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Facto correspondet Doctrina. Nam monuit: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Non inquit discite mundum fabricare, mortuos suscitare, cœcos illuminare, claudis passum, surdis auditum, mutis loquelam restituere, sed *discite, quia mitis sum & humilis corde.* Hoc doctrinæ compendium est, hoc totius argumentum Philosophiæ, quam traditurus in mundum venit, hoc prototypon ad imitandum nobis propositum, ut discamus submissè nos gerere, aspicientes in authorem fidei, in signum & exemplar vitæ, quod non repræsentat gigantem, *sed infantem pannis involutum.*

Isai. Abb.
orat. 25.

Philipp. 2.

IV. Athe-

IV. Athenienses adventanti Pompeio & divinos honores recusanti quod se hominem meminisset gratulabundi scripserunt : *Quatenus te hominem censes, eatenus nobis es Deus.* Sapientissimè æstimârunt hominem submillè de se sentientem proximè accedere ad divinitatem, à quo procul est omnis ambitio & fastus. Unde Theophylactus ad illa verba Joannis : *Sciens quia à Deo exiit, & ad Deum vadit,* sic appositè in rem nostram ratiocinatur : *Considera quod humiliari opus est ejus, qui à Deo egressus est, & ad Deum vadit? superbire & fastuosum esse opus est ejus, qui à dæmonibus exiit, & ad dæmones vadit.* Enim verò vides magnum Deum *signum* infantem pannis involutum, de quo possis majori jure dicere, quàm de Trajano suo Plinius : *Cui nihil ad augendum fastigium superest; hic uno modo crescere potest, si se ipse submittat, securus magnitudinis sue.* Cùm esset Dei Filius æqualis Patri, & ab æterno figura substantiæ ejus, cujus magnitudinem nullus imaginabilis æquaret Colossus, hic decrevit ad minutulum pusionem, *securus magnitudinis sue* & ejus quã ab æterno habuit, & ejus quam per humilitatem erat acquisiturus. Nam quia *humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem. Propter hoc exaltavit illum Deus, ut in nomine Jesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium & infernorum.* Mundum creaverat, & in eo sapientissimè omnia disposuerat, universã continebat virtute omnipotentis suæ, & non erat auditum *In nomine JESU omne genu flectatur*, sed postquam *humiliavit semetipsum* illicò decreto æterni Patris statuitur : *In nomine JESU omne genu flectatur.* Quod perpendens D. Ambrosius exclamat : *Quanta fecit Dominus! audeo dicere, & non flexi genu, sed flexi ei postquam se humiliavit.*

Plut. in
Apoph.

Ioann. 13.

Theophyl.
in Ioan.

Plin. in
Paneg.
Trojani.

D. Amb.
in Psal.
118. serm.
14.

V. Ad hoc prototypon conformari deberet vita noſtra; quippe Magnus Deus parvus effectus eſt, & Bethlehemi ſtatuam ſuam humilem ſupra baſin præſepij collocavit, *ut ejus virtutem poſteri Chriſtiani non ſolum legerent, ſed etiam imitarentur.* Sed prædolor hoc ſignum, infans pannis involutus, eſt ſignum cui contradicitur, quod per factum & arrogantiam evertitur, quod calcatur ambitione, quod contemnitur ſuperbiâ noſtrâ. Erigimus nobis alias ſtatuas, quas adoramus, imò ipſi nos cum Nabuchodonofore in novas formamus ſtatuas, quas à ſubditis volumus adorari, immemores quid Nabuchodonofori factus & ſuperbia pepererit: Nam ut ſacer Textus habet:

Dan. 5. Quando elevatum eſt cor ejus, & ſpiritus illius obfirmatus eſt ad ſuperbiam, depositus eſt de ſolio regni ſui, & gloria ejus ablata eſt, & à filijs hominum ejectus eſt: ſed & cor ejus cum beſtijs poſitum eſt, & cum onagris erat habitatio ejus. Notate illa à filijs hominum ejectus eſt, quaſi homo eſſe deſineret qui humilitate & animi demiffione caret. Unde & ſtatua ejus à parvo lapillo dejecta & conſracta eſt. Sanè homo ab humo originem humilitas ab humo nomenclaturam habet; non eſt verè homo, qui non verè humilis. Dabitis id mihi, quod Deus-homo, ſeu Filius Dei hominem indutus fit primus in dignitate in hominum ſerie, & ut ita dicam magis homo, quàm cæteri homines, id verò non ex eo habuit, quaſi plus de humanâ traxiſſet ſubſtantiâ, quàm cæteri homines, ſed quia *exinavit ſemetipſum formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus,* quorum eſt ſagaci intellectu cognoscere originem ſuam, & meminiffe quod non ſint Dij, ſed ſolum Dei ſimilitudo, quorum eſt humiliari ſub potenti manu Dei. Id cum egerit Dei filius aſſumptâ huma-

humanitate. Verè homo effectus est, & propositus hominibus forma & exemplar *formam servi accipiens*, id est typum, & quasi illustre signum, ad quod respicere debeat omnis homo, ejusque *virtutem non solum legere sed imitari*. Huc tendit monitum Magni Leonis : *Ideo viam se esse dixit, ut conservatio Magistri fieret forma discipuli. Et illam humilitatem eligat servus quam secutus est Dominus. Qui ergo in oppositum ambulat, & tumente fastu se supra alios erigit oblitus demissionis sui Magistri, nec respiciens ad exemplar Bethlehemi propositum, quid agit aliud, quàm imitatione Nabuchodonosoris libimet statuam erigit jactu pupilli lapidis prosternendam. Nam sapientis effato : *antequam conteratur, exaltatur cor hominis* : & alibi dixerat : *Contritionem procedit superbia, & ante ruinam exaltatur spiritus* : quod se vidisse canit Psaltes : *Vidi impium superexaltatum & elevatum sicut Cedros Libani, & transivi & ecce non erat*. Id verificatum in Lucifero, qui cum vellet similis esse altissimo, non contentus similitudine & formâ Angeli, projectus est in abyssum, de quo Gregorius : *Sunt nonnulli qui elationis fastigium ascendunt, illum videlicet imitantes, qui se primus apud se extulit, sed elevando prostravit*. Quasi diceret : arroganter statuam in monte testamenti erigebat, sed hanc divinæ justitiæ fulmen dejecit.*

VI. Statuæ plerumq; non satis congruunt suo prototypo, id imperitiæ sculptorum attribuitur. *Apud superbium*, inquit Socrates, *ceu apud malum figulum, aut statuarium, per versas rerum imagines videre est*. In unâ productior est nasus, in aliâ distorti pedes, in tertiâ obesitas nimia, in quartâ effigies elegantior effigiato. Et ut deniquè ad amissim cum prototypo respondeant, statuæ sunt, trunci sunt, vitam non ha-

Leo Pap.
serm. in
Nativ.
Dom.

Prov. 18.

Prov. 16.

Psal. 36.

Greg. 3^a
moral.
cap. 18^a

S. Chryſoſt
hom. 43.
ad pop.

bent. Aptè in hanc cogitationem Chryſoſtomus : *Nonnè vides personas, quæ in scena induuntur, quàm sint pulchræ quidem, quàm splendide, quàm ad extremam pulchritudinis perfectionem effictæ? Potes mihi talem aspectum in veritate monstrare? Nunquid unquam earum amore captus es? Non. Quare? quia vacuæ sunt, & imitantur pulchritudinem, pulchritudo tamen non sunt.* Horret Deus ut casta corpora, sic animas virtute destitutas : nec homines amant cadaver exanime. Sed passim hodie *per-versas rerum imagines videre est, statuas inconcinne fabricatas.* Imò non tantùm *per-versas*, sed & *ever-sas* Deo sumente pœnas de superbis, & sæpè in ipsa erectione dejectas, quod Babylonice turris architectis Pharaoni, Amano, Nabuchodonosori, Balthasari, alijsquè evenisse scimus, unde in hunc sensum Innocentius Papa : *Superbia turrim evertit, linguam confudit, prostravit Goliath, suspendit Aman, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, & Senacherib interemit.* O insanos statuarum fabricatores ! qui dum elevari contendunt, in ima præcipitantur. Sapiens quidem rogatus à Ptolomæo Philadelpho Ægypti Rege quid faciendum cupienti vitare superbiam, respondit : *cogitare quod Deus superbos deprimit, humiles exaltat.* Pone tibi ob oculos quisquis non sapis ad sobrietatem, sed tumente fastu in statuam portentosam erigeris, ambitiosorum, arrogantium, & superbiorum ruinas, & ex paribus delictis pares tibi eventus imaginare.

Innocent.
de vilit.
hom. cond.

Recup. de
sign. præ-
dest.

VII. Laudo Agesilaum, qui dum Græci decrevisſent, in clarissimis quibusquè civitatibus, illi honoris causa statuas erigere, In hunc modum rescripsit : *Mei nulla sit imago, nequè picta, nequè ficta, nequè ullo alio artificio parata.* Causam aliâ occasione in-

Plat. in
Apoph.

nuit.

nuit. Nam cum moraretur in portu Menelai, adstantibus inhibuit, ne quam sibi statuam ponerent, inquiens: *Si quod præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum mei. Sin minus, ne omnes quidem statuæ, cum sint vilium opificum opera.* Hæc cum retulisset Plutarchus sapienter adjecit moralem doctrinam: *Agefilaus ipso honesto contentus negligebat ejusmodi adulationes, malens insculpi prudentium ac bonorum hominum pectoribus, quam in foro æreus aureusve stare. Eximiam virtutem sponte suum consequitur Decus: nec ulla speciosior statua, quam honorifica beneactæ vitæ memoria.* Catonis dictum æquè egregium est: qui videns multis in memoriam gestorum statuas erigi, ajebat: *Malim ut de me quærant homines, quam ob rem Catoni non sit posita statua, quàm quare sit posita.* Eiusdem ingenij fuit Ferdinandus Castellæ Rex qui Anno 1252 vivere desijt: interrogatus enim quale sepulchrum, aut qualem statuam sibi erigi vellet, respondit: *Immaculata vitæ mea, ac gesta qualiacunquè sint mihi sepulchrum & statua.* Hoc vobis dictum esto ambitiosi magnarum vanitatum insani venatores, qui omnem curam eo convertitis, ut magni apud populum videamini, ut possitis

-- -- -- digito monstrari & dici hic est.

ut titularum pluvstris onusti incedatis, ut ab alto fastigio perituri honoris humile vulgus despiciatis. *Nulla est speciosior statua, quàm honorifica beneactæ vitæ memoria, nulla solidiori basi innixa, quàm quæ ad similitudinem Filij Dei infantis humilis conformata. Altitudinem queritis? per vallem per-venitur ad mortem: sedem queritis claritatis? prius bibite calicem humilitatis,* monet Augustinus. Ut possêt crescere Dei Filius decrevit; ut possêt exaltari factus est humilis; qualem typum & formam se ille nobis exhibuit, talem in vobis efformare studete.

Idem Plut.
in Apopht.

S. Aug.
serm. 16. de
Mart.

VIII. Si nobis Christi doctrina & exemplum non sufficit, nec sectatorum eis proderunt exempla. Contradicit Christo, qui non sequitur Christum.

Lucæ. 11.

Nam. *Qui non est mecum contra me est, & qui non colligit mecum dispergit.* Nihilominus quia magnis morbis etiam parva utilia sunt medicamenta, nec illa prætereo, quæ multos juvant. Vifa est aliquando inter seraphinos locata altissima sedes, & vox audita: *Hæc sedes humili servatur Francisco.* Suâ Franciscus humilitate meruit, quod Angelus per superbiam perdidit.

Cic. 1.
Offic.

Quanto igitur superiores sumus, tanto nos submissius geramus. Monet Ethnicus orator, quia quo submissius nos gesserimus, hoc altius eluctabimur. Id quod etiam S. Antonio Abbati divina bonitas ostendit: huic quippè oranti perlata est de cœlo vox: *Antoni necdum ad mensuram Coriarij Alexandrini pervenisti.* Colossus videri potuit Antonius in eremo magnæ abstinentiæ, insoliti vitæ rigoris, ingentium tentationum victor cœteris comparatus mortalibus, nondum tamen ad mensuram Coriarij Alexandrini simplicis homuncionis pervenerat. Cupiens verò scire magnitudinem Coriarij perrexit Alexandriam, & exploratâ vitâ viri ab eo audijt: *Nescio me aliquando boni aliquid egisse, unde manè dum surgō, & vesperi cum decumbo illa in animo meo verlatur cogitatio, omnes à majori ad minimum in hac urbe Alexandrina Deo chariores esse quàm ego sim, omnes consecuturos meritis suis æterna præmia, me solum inter eos mereri pœnas æternas.* Quibus auditis reposuit Antonius. *In veritate fili tu in urbe humilitate tuâ magnis passibus ad cœlum contendis, ego in solitudine multo tempore consumpto necdum perveni ad mensuram virtutis tuæ, Ita Antonius ab hu-*

mili

mili edoctus parva de se sentire, humilitatem humilitate deinceps studuit æmulari. Rectè Cassiodorus : *Magnus ascensus ad Deum est cognitio infirmitatis sue.* Qui hac caret malè se ad Christi statuam commenfurat. *Omnis vera magnitudo, ut loquitur Scribanius, in animo sita est. Nemo prudens statuam basi metitur. Pummilio parvus est, licet in Alpibus steterit. Colossus magnitudinem servat, licet Oceano jaceat conssepultus.* In Præfepi Christus magnus fuit omni colosso major : Angelus erigens se supra altitudinem nubium pygmæus fuit. Hinc agnosce, quomodo Christus *positus est in ruinam & resurrectionem multorum.* In ruinam Angelo, in resurrectionem naturæ humanæ : in ruinam Nabuchodonosori, in resurrectionem Danieli ; in ruinam Amani, in resurrectionem Mardochæo : in ruinam Phariseo, in resurrectionem Publicano. *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.* Unde Cassianus : *Tantum est malum superbia, ut non Angelum non alias virtutes contrarias, sed ipsum Deum adversarium habere mereatur.* Ne igitur Christo humili contradicamus, ne statuam contra statuam erigamus ; amplectamur signum humile. Qui non colligit cum Christo dispergit, & dispergitur, quia *disperfit superbos.*

Cassiod. in
Psalm.

Scriban. in
Philosop.
Christ.

Cassia. lib.
12. Instit.
cap. 7.





DISCURSUS VI.

Dominica infra octav. Epiphaniæ.

Simij & Simiæ.

T H E M A.

Ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei Festi: remansit puer Jesus in Jerusalem. *Luce 2.*

S Y N O P S I S.

- I.** *Recta liberorum educatio maxima est conjugum obligatio, quæ plerumq; plus efficit quam ipsa natura, quare conjugibus tradenda documenta.*
- II.** *Quantum educatio valeat, ostendit Lycurgus educando duos catellos; unum domi, alterum in sylvis, qui ad diversa facti proclives, quod idem in multis hominibus observatum.*
- III.** *Etiã in sacris litteris sunt bonæ educationis exempla, ut Tobia & filiorum Iob, Susanna, Machabeorum, &c.*
- IV.** *In lege Evangelicâ S. Ludovici Regis, S. Desiderij.*
- V.** *Vbi hodie tales parentes? solliciti sunt hodie magis de pecuniâ quam bonis moribus. Unde non mirum mul-*
- tos filios perire, quorum parentes sunt corporum non animarum parentes.*
- VI.** *Similes illi sunt simijs, quæ prolem suam ita amant, ut complectendo necent. Talis simia parens ille à quo filius blasphemare didicerat, & visis demonibus in parentis amplexu blasphemando exspiravit.*
- VII.** *Equè Tragicus est ille casus, quem refert S. Augustinus, de filio, qui patrem occidit, matrem oppressit, duas sorores vulneravit.*
- VIII.** *Quare attendant parentes, ut prolem educant ijsq; forment moribus, quos dediscere non oporteat, & assuefaciant exemplo Christi parentum prolem ad Ecclesiæ frequentationem.*

Ascen-

Ascendentibus illis Jerosolymam secundum consuetudinem diei Festi : remansit puer Jesus in Jerusalem. *Lucæ 2.*

I.



Inter cœteras Christiani conjugij obligationes una illa est & maxima, & difficillima, recta liberorum educatio. Ab hac quippe non tam liberorum, quàm ipsorum quoquè parentum fortuna & salus pendet : imò ut Plato, Aristoteles, & omnes Politici decernunt, omnis publici boni fundamentum est recta institutio juventutis. *Dubitari potest* (inquit non nemo) *utrum ad rectè vivendum efficacius sit benè institui, an benè nasci.* Nonnullis quippe virtutum semina ingenerantur à parentibus, ut etiam in educationis defectu evadant eximij. *Plures tamen* (addit ille) *naturæ malignitatem providâ ac prudenti institutione vicerunt, quàm naturæ probitatem in malignâ institutione retinuerunt.* Rarissimus est, qui quantumcunque bono patre natus indolem conservet nativam in improbâ educatione. Quare cùm nobis hodie textus Evangelicus proponat Sanctissimum par conjugum, & Sanctissimum filium, velut normam & exemplar bonæ educationis, dum parentes Filium templum frequentare docent, Filius templum præfert parentum consortio ; statui nonnulla conjugibus tradere documenta, quibus instructi filios benè genitos, melius educent : Nam ut Comicus ait :

Ut quisquè Filium suum vult esse, ita est.

II. De Lycurgo qui Lacædæmonijs leges tulit, refert Plutarchus, quod cùm cives suos à corruptis mori-

Plato ap. Manut. Diogon. Lœrt. lib. 5. cap. 1. Scriban. in Politico-Christ.

Terent. in Adelpb.

Plut. in Apoph. Lacon.

Bruf. lib.
2. c. 38.

moribus ad temperatum vitæ genus vellet traduce-
re, duos educaverit catulos, eodem patre eademquæ
matre progenitos, quorum alterum domi lautiori-
bus cibus educatum retinuit, alterum in fylvas emis-
sum in venationibus exercuerit. Dein cum ambos
jam majusculos produxisset in forum, positus ab unâ
parte delicatis edulijs, ab alterâ verò dimisso lepore;
is qui domi fuerat educatus ad escam properavit, qui
verò sylvis assueverat, leporem est persecutus. Tum
ad cives conversus Lycurgus: Videtis inquit duos
catulos eiusdem generis, sed diverso modo educatos,
quàm dissimiles sint inter se. Parùm ergo profuerit
benè nasci, nisi accedat bona educatio. Vel hinc col-
ligite plus momenti adferre exercitationem ad ho-
nestatem, quàm naturam. Quales nascantur liberi
nulli in manu est, sed ut rectâ institutione evadant
boni, nostræ est potestatis. Reperit hoc invento
sapiientissimus vir modum, quo multitudini Philo-
sophicis rationibus non satis idoneæ, virtutis ima-
ginem ob oculos poneret: magis enim penetrabant
animos visâ quàm audita. Vultis hoc vobis AA.
ostendam in hominibus? Ecce par nobile fratrum
Boleslaum & Wenceslaum Boëmiæ Duces, eodem
patre, eâdem matre generatos. Wenceslaum ma-
jorem natu avia Ludmilla pientissima scemina edu-
cavit à puero, & hic evasit Sanctissimus: Boleslaum
juniolem formavit Drahomira mater crudelis scemina
& Christianis infensa, idquæ tulit operæ pre-
tium, ut impius, immanis, crudelis fratricida exti-
terit, humani pariter & divini juris violator. Quàm
sapienter igitur monet Sapiens. *Filij tibi sunt, erudi
illos, & curva illos à pueritia eorum*, quia scilicet, qua-
les fuerint in adolescentiâ, tales perseverabunt dein-
ceps

Ioan. Da-
brau. bist.
Bohem. l.
5.

Ioan. Bonif
Inst. Christ.
lib. 1. c. 1.

Ecceles. 7.

ceps in virili ætate. *Adolescens juxta viam suam etiam cum senuerit non recedet ab ea.* Id passim inculcat Deus in sacris litteris, unde Israëlitis mandatur: *Ne obliviscaris verborum, quæ viderunt oculi tui. Docebis ea filios ac nepotes.* Et alibi: *Ponite hæc verba mea in cordibus & animis vestris, &c. Docete filios vestros, ut illa meditentur.* Et rursùm apud Sapientem: *Curva cervicem eius in juventute, & tunde latera eius, dum infans est, ne fortè induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor animæ. Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.*

Prov. 22.

Deut. 4.

Ibid. 11.

Eccli. 30.

III. Nec desunt in sacris litteris illustria bonæ educationis exempla. Tobias, ut testatur sacer historicus, *filium ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato.* Moriturus inter plurima documenta illud inter prima reposuit: *Omnibus autem diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum, & cave, ne aliquando peccato consentias, & prætermittas præcepta Domini Dei nostri.* Et rursùm: *Omni tempore benedic Deum, & pete ab eo, ut vias tuas dirigat, & omnia consilia tua in ipso permaneant.* Sic educati & instructi filij sunt honor parentum, & patriæ, quia *exultat gaudio pater justus: qui sapientem genuit letabitur in eo.* Ad Iobum oculos convertite, hic in summo terrenæ felicitatis apice constitutus: *Consurgens diluculo offerebat holocausta pro filiis.* Dicebat enim ne fortè peccaverint filij mei, & benedixerint Deo in corporibus suis. In quem locum eleganter differit D. Chrysostr. *Hoc modo, inquit, consulitur liberis. Non dicebat, quod pleriquè homines solent: opes illis relinquam: non dicebat, gloriam illis comparabo: non dicebat, mercabor illis principatum: non dicebat, agros emam: Sed quid? Nequid cogitaverint in cordibus suis. Quæ enim ex rebus illis utilitas*

Tob. 1.

Tob. 4.

Prov. 25.

Tob. 1.

Chrysostr.
hom. 3. in
Epist. ad
Philip.

litas eſt, cùm hic reſtent? nulla. Illum inquit omnium Regem propitium illis reddam, & nihil ipsis poſthac deerit.
 Hæc & plura Chryſoſtomus. Longus forem, ſi etiam adducerem, quomodo parentes Suſannæ cum eſſent juſti, erudierint filiam ſuam ſecundùm legem Moyſis: quomodo Mathathias filios ſuos ſalubriter inſtruxerit, & adverſus inimicorum inſultus animaverit, quomodo mater ſeptem filiorum ſingulos hortata ſit ad conſtantiam in lege Dei uſque ad mortem.

IV. Suppetunt nobis etiam Evangelicæ legis probi parentes pro ſuis liberis ſoliciti. Blanca Mater S. Ludovici Regis Franciæ identidem filio ſuo ingeminabat: *Mallem fili te mortuum cernere, quàm auctorem tuum mortali crimine offendentem.* Sic educatus Ludovicus cum jam regni tractaret faſces, ipſe quoquè filio Philippo egregia dedit documenta, ex quibus ſolùm unum alterumve decerpo, ne prolixitate excedam: *Fili mi ante omnia diligenter in eam curam incumbe, ut diligas Deum. Nemo enim poteſt ſalvus eſſe, niſi Deum amet. Amato bonum, odio habe univerſum malum. Sermones qui ſunt de Deo publicè & privatim lubens audias. Crebrò confitearis peccata tua deligasquè tibi ſapientes Confeffarios. Cave ne unquam admittas peccatum mortiferum: Sed omnia potius ferre velis genera tormentorum, quàm aliquam talem perpetrare culpam, &c.* Neque te præteribo pientiffima S. Deſiderij mater, quæ pro filij tui puritate conſcientiæ tam ſolicita fuiſti, ut non unis litteris eum hortata ſis ad innocentiam. Verſabatur Deſiderius in aula Dagoberti Regis, id eſt in lubrico & periculoſo ſtatu. Ad hunc mater jam vidua hæc perſcripſit: *Dulciſſimo atquè amantiſſimo Filio Deſiderio Archeneſſeda. Immenſas omnipotentii*

Dan. 13.

1. Macb.

2.

2. Macb.

7.

Sur. To. 4.
ad 25. Auguſti.Rob. Gaudi lib. 7.
de geſtis.
Franco. Ioan. Nieſſ.
in Alphab.
Cברי. lib. 9.Lobbe.
Bibl. MSS.
Tom. 1. in
vita S. De-

nipotenti Deo egi gratias, &c. Et rogo Domini misericordiam, ut mihi de vitâ & bonâ conversatione tuâ affluenter jubeat letificari. Te verò Dulcissimum mihi pignus non eo, ut assidue Dominum cogites, Deum jugiter in mente habeas, mala opera, quæ Deus odit, nec consentias, nec facias. Dominum semper ames & timeas: ab omni opere per quod Dominus offenditur sollicitè te custodi &c. O bonam matrem, & meliorem filium, qui tam pijs monitis obtemperavit.

V. Ubi hodie tales parentes reperias, qui plus solliciti sint de filiorum probitate, quam honoribus, divitijs, & caducis bonis? Christi monitum est: *Quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adjicientur vobis:* Mundi monitum:

-- -- -- -- -- *querenda pecunia primum*
Virtus post nummos.

Audite Isaac benedicientem filio suo Jacob: *Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ:* Præponit cœlestia terrenis, quod observans Tertullianus aiebat: *Prima promissio cœlestis est roris, secunda terrena opimitatis: nos enim primò ad cœlestia invitamur, cum à seculo avellimur, & ita postea invenimur terrena consecuturi.* Contrarium planè agit mundus: tota parentum cura in eo versatur, ut relinquunt filijs ingentes divitias, ut ad magna munia promoveant, ut ad splendida illos protrudant præcipitia. Id observans suâ ætate S. Augustinus aiebat: *Parentes nostri quando nos in scholam mittebant, non hoc nobis dicebant: discite litteras, ut habeatis unde legere possitis codices Dominicos; discite litteras, ut sitis utiles Ecclesiæ, utiles Reipublicæ: nec ipsi Christiani filijs suis hoc dicunt. Sed quid dicunt? discite litteras fili mi, ut sis homo, hoc est eminens inter homines, illustris, & conspicuus. Unde & illud proverbium:*

sic. t. 6.
fol. 702.

Gen. 27.
Tertull. lib.
3. cont.
Marc. cap.
ult.

S. August.
l. de Disc.
Christi. c.
11.

Salvia.
Massit. l.
2. ad Eccl.

Jerem. 7.
v. 18.

bium: quantum habebis, tantum eris, &c. Hæc Augustinus. Hujusmodi parentes merito corripit Salvianus Massiliensis severiore stylo: *Quid æstus paterna pietas ad conquivenda terrena & peritura? nihil majus filiis tuis præstare possis, quàm si hoc bonum per te habeant, quod nunquam penitus amittant. Non ergò necesse est, ut filio tuo thesauros abscondas: nullâ re eum facies ditiozem, quàm si filium tuum thesaurum Dei feceris.* Noctes & dies toti insumentur ut corradantur divitiæ filijs relinquendæ, de animâ illorum salvandâ vix semel cogitatur. Quid mirum proinde si sæpenumerò verificetur illa Dei querimonia apud Ieremiam: *Filij colligunt ligna, & patres succendunt ignem, mulieres conspergunt adipem, ut faciant placentas Reginae cœli, & libent dijs alienis, & me ad iracundiam provocent.* Videbis filios vagos, indisciplinatos, pravorum consortiò mixtos, lusores, potatores, in omne facinus & scelus promptos, quid hoc aliud est, quàm comportare ligna æterno incendio? Quod si & paterna flabella accedant, & quod malè agit filius laudet pater; audaciam dicat esse magnanimitatem, profusionem nominet liberalitatem, lusum quietem, ingurgitationem dicat esse refocillationem naturæ, quid hoc est aliud, quàm ignem succendere: cui si accedant etiam mulierum inhonestarum consuetudines, & incitamenta libidinis, hoc deniquè est ignem adipe conspergere, ex quo consequitur impetus in omne scelus & flagitium, ut Deus ad iracundiam provocatus in virgâ ferreâ visitet tam filios quàm parentes. Tales profectò satis ostendunt se parùm distare ingenio à brutis, quæ corpora curant non animas: De his eleganter Author Operis imperfecti: *Corpus natorum suorum amant, animam autem contemnunt. Desiderant enim illos valere*

Autb. Imp.
in Math.
dom. 35.

valere

valere in seculo isto, & non curant, quid passuri sint in alio: ut ostendant quia corporum sunt parentes non animarum. Hoc nempe agit carnalis amor; carnem amat non spiritum, & carnem amando, interimmit spiritum.

VI. Cui similem dicam generationem istam? de simijs Plinius: *Simiarum genera, hominis Figure proxima. Eis præcipua erga sætium affectio. Gestant catulos: quos mansuetæ intra domos peperere: omnibus demonstrant, tractariquæ gaudent, similes gratulationem intelligentis. Itaque magnâ ex parte complectendo necant.* Tales omninò sunt parentes, qui filijs nimium indulgent, qui carnem amant non animam, qui salutis eorum curam negligunt, ut dici de ijs possit. Non sunt homines, sed *hominis figure proximi*. Verbo; *simiæ*, quæ *complectendo necant*. Dissimulando perdunt, amando interimunt. Interimendo etiam seipsos in miserandos casus præcipitant. Similem unam simiam cum suo simiolo se novissè narrat S. Gregorius, his ferè verbis: *Quidam vir cunctis in hac urbe notissimus ante triennium filium habuit, annorum (Sicut arbitror) quinque, quem nimis carnaliter diligens remisè nutriebat. Atque idem parvulus, quod dictu grave est, mox ut eius animo aliquid obstitisset, majestatem Dei blasphemare consueverat: qui in hac ante triennium mortalitate percussus venit ad mortem. Cumquæ eum suus pater in sinu teneret (ecce simiolum in complexu simiæ) sicut hi testati sunt, qui præsentés fuerunt, malignos ad se venissè spiritus trementibus oculis puer aspiciens cœpit clamare: Obsta pater: obsta pater. Qui clamans declinavit faciem, ut se ab eis in sinu patris obsconderet. Quem cum ille trementem requireret, quid videret:*

*Plin. lib. 8.
cap. 54.*

*S. Greg.
Dial. lib.
4. cap. 18.*

puer adjunxit dicens : Mauri homines venerunt, qui me tollere volunt. Hoc dicto iterum Majestatis nomen blasphemavit, & animam reddidit. O mortiferum ejusmodi parentum amorem, qui *complectendo necat*. O simias formam aliquatenus referentes humanam, non homines. *Improbi sunt falsi homines non secus ac pitti*, ait S. Chrystostomus & causam annectit : *nequè enim à figura, sed ab actione quod est unumquodquè intelligitur.*

S. Chryst.
Cate. Græc.

VII. *Àquè aut magis Tragica est illa narratio quam recenset Augustinus, vel quisquis ille Author est sermonum ad Fratres in Eremo, his planè verbis : Accidit hodie terribilis casus præclarissimo Civì nostro Hipponensi Cyrillo. Filium habebat, & quia unicus erat, eum superfluè diligebat, & supra Deum. Ideò superfluo amore inebriatus filium corrigere negligebat, dans etiam potestatem faciendi omnia, quæ placita essent illi. O dolorosa libertas ! ô grandis filiorum perditio ! ô paternus amor mortiferus ! Ecce filios se dicunt diligere, quos jugulari procurant, &c. Cupitis audire nunc quomodo Pater & Filius ambo in forream cadunt ? licet enim sciatis, tamen quia est necesse, ut vos quamdiu vivitis timeatis ; ideò quæ hodie facta sunt iterum dicere non erubesco. Ecce enim Cyrillus vester filium habebat ut scitis, quem corrigere negligebat, qui luxuriosè vivendo consumpsit partem bonorum suorum. Sed ecce hodie ebrietatem perpessus, matrem prægnantem oppressit, sororem violare voluit, patrem occidit, & duas sorores ad mortem vulneravit. Ecce quomodo paternus amor & indulgentia non tantùm prolem complectendo necat, sed sibimetipsi exitium parit.*

Aug. serm.
33. ad FF.
in Erem.

VIII. Quare ut paucis multa complectar, vos nunc alloquor qui parentum nomine censemini.
Teneram

Teneram formate bonis moribus prolem. Prima educatio in omnem relinquam ætatem maximam vim habet. Non tam opes illis congregate, quàm opem fert, ut Christianis imbuti virtutibus adolescant. Et cum mores vestri sint prima puerorum doctrina, conformes illi sint divinæ legi. *Proximis applicatur quod tenerum est, & in eorum similitudinem crescit*, inquit Seneca. Nulla pars vitæ magis quàm pueritia ex imitatione agitur. Sint patres Tobiæ, & habebunt filios Tobias, sint Matres Blanchæ & habebunt Ludovicos; sint Ludmillæ & habebunt Wenceslaos. Ad hæc Pædagogi & nutrices deligantur moribus castigatis. Coram nullo magis, quàm coram pueris peccare periculosum est. A rectâ institutione pendet liberorum vita imò animæ salus, familiæ decus, publica felicitas. Cavete *ne fortè filius* (loquor nunc ore Hieronymi) *discat in tenero quod postea dediscendum est. Difficulus eraditur, quod rudes animi perbiberunt. Lanarum conchyliis quis in pristinum candorem revocat? Recens testa diu & saporem retinet, & odorem quo primum imbuta est. Nihil aliud discat audire, nihil loqui nisi quod ad timorem Dei pertinet. Turpia verba non intelligat, cantica mundi ignoret. Adhuc tenera lingua psalmis dulcibus imbuatur. Procul sit ætas lasciva puerorum: ipsæ puellæ & pedissequæ à secularibus consortijs arceantur, ne quod malè didicerint peius doceant, &c.* Euntes ad Ecclesiam præeat filius aut comitetur, illi exemplum sit duodennis JESUS. Vobis verò MARIA & JOSEPH, quibus *Ascendentibus Jerusalem secundum consuetudinem diei festi, remansit puer JESUS in Jerusalem.* Adjuvent nos ut sic nostra proles educetur JESUS MARIA, & JOSEPH.

Sen. de
Ira, lib. 2.
cap. 22.

S. Hieron.
Ep. 7. ad
Lætom.



DISCURSUS VII.

Dominica II. post Epiphaniam.
Terris optabile Monstrum.

T H E M A.

Vocatus est autem & JESUS & Discipuli
eius ad nuptias. Joan. 2.


S Y N O P S I S.

- I.** Veterum sigmentum est quod homines primum fuerint bicipites, quadrimani, & quadrupedes, ideoque insuperabiles, & ut superari possent fulmine Iovis divisi, qui deinde rursum per amorem se unire conantur, quod est terris optabile monstrum praesertim in conjugibus.
- II.** Quorum praecipua cura deberet esse placere Deo, sed nunc est acervare divitias, quas tamen melius per concordiam consequerentur, uti Geryones, quorum tria corpora singuntur coherere, quia fuerunt unanimitate divites. Si tales essent conjuges non monstrum essent & rari quid, sed simulacrum Dei.
- III.** Conjuges habent nomen à jugo, quod ut cum fructu trahant, equaliter debent trahere, & se invicem velut in speculo respicere, imò alter quasi in alterum transire.
- IV.** Id in Adamo & Eva primitus est delineatum, qui ideo sunt formati os ex ossibus, & duo in carne una, ut maiori invicem amplecterentur charitate.
- V.** Ambo simul vocantur Adam, & soli Adamo inspiratur spiraculum vite, quia deberent quasi vivere unam vitam, habere unam eandemque animam, & esse Iusti ambo, ut Zacharias & Elisabeth.
- VI.** Ideò etiam cum formaretur Eva fuit Adam in ecstasi raptus ad caelestem curiam, ut ibi concordiam discerent conjuges ab Angelis & Deo trino in personis.
- VII.** Sed quae saepe causa dissonionis

sonis? *varie quas potissimum Dæmon concitat.*

VIII. *Remedium concordie est, ut ad nuptias & conjugium adhibeatur IESVS, ut conjuges expriment mysterium Trinitatis, & vivant in timore Domini ut Tobias.*

IX. *Vti etiam quidam Ascalonita coniectus in carcerem, cui fida adhaesit uxor, promerita sua fidelitate divitias. Non deserant conjuges Deus, non deseret illos Deus.*



Vocatus est autem & JESUS & Discipuli eius ad nuptias. *Joan. 2.*

I.



E primâ hominis creatione ingeniosum est illud Aristophanis commentum apud Septalium, nec minus aptum humanis moribus ad Dei legem formandis. Afferit enim homines cum primò fuissent conditi fuissè bicipites, quadrimanos, & quadrupedes, adeò prudentiâ, robore manuum, ac pedum velocitate excelluissè, ut velut insuperabiles viderentur. Id ægrè tulit Iupiter, suæ potentiae ratus decedere, quod accessisset humanæ. Vibrato proinde trifulco fulmine divisissè homines, ut deinceps singuli uno capite, duabus manibus & duobus tantùm pedibus contenti vitam exigere debeant. Non defuit tamen vel sic divisus intellectus & ingenium: unde animadversâ suâ imbecillitate, ad amoris artes conversi, decreverunt se iterum unire, & unionis huiusmodi privilegio pristinam virtutem adipisci. *Qui verò divisi fuerant (inquit ille) amore seipsos deinde queritabant quo unirentur, ut rursus integri fierent.* Latet sub commenti velo abscondita veritas. Idem à naturâ hominibus inditum est, ut contentur ex duobus

*Aristoph.
ap. Septal.
Problem.
sect. 4.*

corporibus, imò & ex duabus animabus unum corpus, & unam animam facere. Unde Priscilla apud Statium moritura maritum alloquitur.

Stat. lib. 1. -- -- -- -- *pars animæ victura meæ.*

Sylva.

Quasi cum marito fuisset unum corpus & una anima. Et Ovidius exul de sua conjugē relicta.

Ovid. 2.

-- -- -- -- *quoniam caret illa periculo.*

Fausto.

Dimidiâ saltem parte superstes ero.

Et nos, quos ardenter amamus appellare solemus: *Dimidium animæ meæ.* Nempè ut veteri verbo dici consuevit: *Virtus unita fortior*: Quod vel maximè inter conjuges Christianos locum habere debet, ut sint *duo in carne una*. In cæteris per amorem solæ animæ uniuntur: in conjugibus corpus & anima. Profectò hoc est monstrum illud, quod Deus in Paradiso formavit, sed inimicus humani generis semper molitur sejungere. Monstrum inquam, quia rarum, ut par conjugum biceps, quadrimanum, quadrupes unam habeat animam & vivat concors, pacificum, in eundem scopum collimans, Deo serviens, insuperabile. Quare cum observem hodie multos conjuges, pauca talia monstra, edocebo præsentī sermone modum, quo singuli conjuges tale ex sese formant: *Terris optabile monstrum.* Parate corda.

II. Præcipua cura conjugum deberet esse placere Deo, juxta statum, in quo sunt, mereri cœlum, & eò solitudinem omnem convertere, ut in vitæ fine haberent propitium Deum. At prò dolor! pleriquè plus de terrâ, quàm cœlo; plus de opibus & facultatibus cumulandis, quàm meritis solliciti sunt, ut proli post se relictae magnos relinquunt thesauros. Et ignorant eiusmodi artem comparandi divitias concordiam esse, quam si sectarentur, & Deo placerent,

rent, & liberis divitias relinquerent. Docet nos hoc aliud Poëtarum commentum, qui fingunt Geryonem fuisse tricorporeum tribus capitibus, sex manibus, sex pedibus instructum de quo Ovidius.

Prodigium triplex armenti dives Iberi

Geryones -- -- --

Ovid. Ep.

9.

Tres aiunt in Hispanijs fuisse fratres, qui cum viverent concordi affectu, consilio, & industriâ, ingentes sibi compararunt divitias: hos Geryones dictos occasionem dedisse fictioni ad persuadendam civibus concordiam. Alciatus pinxit tricorporeum monstrum adjecto lemmate: *Concordia insuperabilis*, quod sequentibus explicuit versibus:

Tergeminos inter fuerat concordia fratres

Tanta simul pietas mutua, & unus amor

Invidi humanis ut viribus ampla tenerent

Regna, uno dicti nomine Geryones.

Alciat. in
Emb.

Ecce, & pij sunt & divites quibus mutuus amor est, quibus par concordia. Id ad civium unitatem, & concordiam insuperabilem trahens Mythologus ait:

Per Geryonis fabulam, qui multa crura, & plerasque manus ac oculos haberet, quæ uno consilio gubernarentur, concordiam civium significari, quæ in expugnabilis propè efficitur, ubi omnes justis animis in unum conspirarint.

Nat. Coma
Myth. lib.
7. c. 1.

Ego verò vel maximè id de conjugibus intelligendum existimo, præsertim, qui prole à Deo donantur, qui cum debeant esse *duo in carne una*, si accedant liberi referre possunt perfectam similitudinem Dei, novi quidam tricorpores Geryones, ab omni hostili incurfu immunes ac insuperabiles, terrestris Trias, &

terris optabile monstrum.

Quid tali domo beatius, in qua maritus & uxor nulla dissen-

diffensione ab invicem secedunt, unius voluntas est Desiderium alterius, unius cor alterius cor : in qua filij & filia parentibus obsequentes unanimi consensu Deo serviunt & sua procurant? in qua sensim sine sensu multiplicantur dona Dei, crescunt facultates, & quod summum est augetur pietas, Deus non offenditur. *O terris optabile monstrum.* Quod si passim inter conjugatos reperiretur, non jam monstrum esset, aut nominaretur, sed divinae Triadis in mundo simulacrum : quæ cum sit Trina in personis, est una in essentiâ, in nullo discordans, in nullo ab invicem dissentiens. Propterea conjugium à Paulo dictum est *Sacramentum magnum*, quia scilicet repræsentare deberet magnum Deum trinum in personis, unius intellectus, unius voluntatis.

Ephes. 5.

III. Considerate obsecro unde conjugium nomen traxerit, id enim non vacat mysterio, & arcano sensu. Conjugium nomen habet à jugo, quasi conjunctum jugum duorum, quia sicut in jugo duo trahunt, & nisi conjunctim & æqualiter trahant malè trahunt; si malè trahunt, malè laborant; si malè laborant, nullum reportant fructum. Miser agricola, qui junctos ad aratra juvencos non potest inducere, ut æqualiter jugum trahant. Ità in conjugio evenit, nisi vir & mulier unanimiter & concordia sensu onera matrimonij portent, alter alteri se accommodet, in idem semper tendant, eandem habeant voluntatem, duræ genus efficitur servitutis, & dissipatur res familiaris, & nulla inter eos est benedictio. Scipio Bargalius volens exprimere concordiam conjugum pinxit jugum adjecto lemmate: *Non benè ab uno.* Quo sensu dicebat S. Ambrosius: *Bona vincula nuptiarum, sed tamen vincula, bonum conjugium*

*Bargal.ap.
Picinell.
l. 24. c. 7.
S. Amb l.
3. de Virg.*

jugium, sed tamen à jugo tractum: quia scilicet bonum non est, nisi æquali motu concordibus animis conjuges in finem & scopum conjugij tendant; pari patientiâ labores tolerant; pari studio & affectu in Dei servitio perseverent; pari solertiâ rem domesticam curent; pari vigilantia prolem educant. Id sub imagine speculi argutè proposuit Plutarchus, ubi ait: *Ut speculum auro gemmisquè ornatum utilitatem nullam affert, nisi similem speciem referat: sic opulentiâ uxoris nullus fructus est, ni vitam moresquè præstet cum vita & moribus viri congruentes & consentaneos.* Ad hoc quippè à Deo institutum est conjugium, ut alter alterius onera portando, alter alterum pari affectu respiciendo adimpleant legem Christi: imò ut quasi alter in alterum transeat, & fiat ex duobus cor unum, anima una, caro una, & spiritus unus.

Plut. in
præc. con-
nub.

IV. Conijcite oculos vestros ad primum in terris conjugium, quod fuit inter Adamum & Evam. Creato Adamo decernit Deus: *Faciamus ei adjutorium simile sibi.* Et mox: *Inmisit Dominus Deus soporem in Adam: cumquè obdormisset tulit unam de costis eius, & replevit carnem pro ea, & edificavit Dominus Deus costam quam tulerat de Adam in mulierem.* Quid opus erat Deo tollere costam ab Adamo, ut ei faceret adjutorium simile? nunquid potuit etiam mulierem formare de limo sicut formaverat ipsum Adam? nempe, voluit Deus tale inter Adamum & Evam statuere matrimonium, ut esset os ex ossibus, & duo in carne una, ut majori invicem amplecterentur charitate, si una eademquè caro forent: ita tamen ut licet haberent identitatem seu unitatem carnis, mulier nihilominus velut posterius formata subijceretur marito. Audite super hoc Gennadium: *Vo-*

Gen. 1. v.
18. & v.
21.

Gennad. in
Cate. Li-
pomani.

lens igitur Deus ampliori charitate virum uxori conjungere, foeminam e latere viri formavit, ut quiddam equalis honoris, una tamen cum subjectione praesferret. Honoris quaedam aequalitas est ex eadem carne & osse formari, subjectionio verò denotatur posterioritate temporis, & formatione de latere, non de capite; ne omnino aequalis censeretur marito, aut par praetenderet Dominium; non de pedibus, ne prorsus abjectam subjectionem subiret.

V. Immoremur aliquantisper huic discursui. De Adamo refert textus sacer, quod Deus illum creando: *Inspiravit in faciem eius spiraculum vitae.* De Eva verò dicit: *Aedificavit costam in mulierem.* Cur non etiam Evæ inspiravit spiraculum vitae? cur hic architectum, ibi inspiratorem agit? nunquid magis simile foret adjutorium, si utriquè inspiraret spiraculum vitae? ubi ergo anima mulieris ex costa architectatae? Ut huic dubio quod S. Augustinus movet, occurramus, libet advocare alium scripturae textum. *Hic est liber generationis Adam, in die qua creavit Deus hominem, masculum & foeminam creavit eos, & vocavit nomen eorum Adam.* Novo iterum Mysterio unus homo creatus dicitur, & tamen masculus & foemina, nequè tamen Androgynus, quia *creavit eos.* *Et vocavit nomen eorum Adam;* non nomen eius, sed eorum quasi ambo non sint plures homines, sed unus homo ob conjugium; nec diversum nomen sortiti sint ob carnis unitatem, cum esse debuerint *duo in carne una.* Et hoc est ipsum quod dicatur inspirasse Adamo spiraculum vitae, non autem Evæ, quia scilicet conjuges debebant vivere quasi unam vitam, & vivere ut anima una. Id observans Basiliius inquit: *Non ex terra sed ex latere membrum mutuatur: partitur corpus, ut*

mentem coaptet: & natura una dissipatur arte formantis, ut una mens construatnr ad imitationem naturæ. Unum esse debuit utriusquè spiraculum, una mens, ne quos una caro conjungebat, & unum nomen, diversitas spiritus disjungeret. Huc tendunt & illa Clementis Alexandrini: *Non aliam ergò habet naturam mulier, quod attinet ad humanitatem, aliam verò videtur vir habere, sed eandem.* Hæc ille. Quod si ita est, consequens omninò videtur, ex matrimonij primâ origine conjuges ita ad invicem conformari debere, ut idem semper sentiant (quod justam est) idem velint, idem nolint, ut mereantur elogium Zachariæ & Elisabeth: *Erant autem justi ambo.*

VI. Amplius adhuc aliquid in allegato textu observare licet. Cum enim Deus vellet Evam creare ait sacer historicus: *Immisit soporem in Adam, cumquè obdormisset, tulit unam de costis eius &c. Et ædificavit in mulierem.* Magna inter scripturæ interpretes agitur quæstio, qualis fuerit hic sopor Adami, somnusne verus an ecstasis. Et quidem extasim fuisse putat Hugo Cardinalis allegans Augustinum: imò in ea ecstasi Adamo concessam claram Dei visionem videtur sentire Richardus, nec contradicit D. Thomas. Hugonis verba sunt: *Immisit ergo Dominus Deus soporem: non somnum sed ecstasim, in qua creditur interfuisse cœlesti curiæ: ita dicit Augustinus.* Nuptias cum Eva celebraturus Adam abripitur ad cœlos, in quibus nequè nubent, nequè nubentur, dum illi Deus sponsam parat, seipsum illi clarè videndum exhibet, quid cum nuptijs commune cœlesti curiæ? quid Deo cum sponsâ? subeat hic memoriam Christi dictum: *In cœlo nequè nubent nequè nubentur, sed erunt sicut Angeli Dei.* Et rursum: *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum sicut & nos.* Nihil tunc in

Clemen.
l. 4. Strom.

Hug. Card
in Genes.
Richard. in
2. Distinct.
23. a. 2.
D. Thom.
1. p. q. 94.
art. 1.

Ioan. 17.
v. 11.

cœlo erat præter Deum & Angelos. Rapitur ergo futurus maritus Adam in cœlum, ut ibi discat matrimonij œconomiam. Videat Angelorum Deo assidue ministrantium unanimes servitium, Cherubinorum consentientem intellectum, Seraphinorum concordem voluntatem & amorem: imò ipsiusmet Dei in personarum pluralitate unitatem: videat Deum ut sit cum sponsa sua unum sicut & Deus: sint duo in carne una, sint duo unus, & unus duo. Quo respexisse videtur D. Petrus Chrysológus: *Quos Deus conjunxit, natura sociat, & facit Deos, ut sit homo unus duo; duo unus, alter ipse homo, ne sit aut singularitas destituta, aut confusa conjunctio.* Sanè ibi credo confusam esse conjunctionem, ubi aliud maritus, aliud uxor agit, ubi deficit animarum concordia & mutuus amor: ubi velut fulmine icti alter ab altero dissociantur, affectu, moribus, vita. Optabile monstrum conjuges duo in carne una, bicipites, quadrimani, quadrupedes: detestabile monstrum conjuges separati affectu, moribus, vita. *In tribus (ait Sapiens) placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominibus. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir & mulier benè sibi consentientes.*

S. Petrus
Chrysol.
serm. 99.

Eccli. 25.

VII. Jam verò, ut stem promissis, cum sint *rari nantes in gurgite vasto* concordēs conjuges in matrimonij jugo, causam inquirō dissensionis. Erunt qui existiment disparitatem ætatis, opum, formæ, nobilitatis, nec abs re omninò. Unde illud vetus monitum

Ovid. Ep.
Deian.

*Non benè inæquales veniunt ad aratra juvenci,
Si qua voles aptè nubere, nube pari.*

Quod quidem inter conjuges mille quotidie comprobatur experimentis. Et res una omnium difficil-

lima

lima est, ut omninò pares conveniant. Et si quidem pares, non deerunt alia sèmina discordiarum. Unde Socrates interrogatus à juvene, an consultum sibi esset uxorem ducere, vel à matrimonio abstinere, sapienter respondit: *Utrumvis eorum fecerit acturum pœnitentiam. Hinc te (inquit) solitudo, hinc orbitas, hinc gravis interitus, hinc hæres alienus excipiet: illinc perpetua sollicitudo, contextus querelarum, dotis exprobratio, affinium supercilium grave, garrula socrus lingua, successor alieni matrimonij, incertus liberorum eventus.* Denique mille cruces domesticæ, quibus alter ab altero conjugum exulceratur. Si divitem ducis, vult esse Domina; si pauperem, difficile est alere: si pulchram, citò amatur, & fiet Zelotypus; si turpem, facile despiciet: si proles genuerit, sollicitudo te premet ut alas; si non genuerit, sterilem incusabis: si sobriam acceperis vinolentus, continua te manebunt jurgia: si bibulam, prodiges rem familiarem: si parcam, displicebit prodigo, si prodigam, displicebit parco. Et licet sæpè in fortitione sponsæ æqualitas appareat, subsequens tamen matrimonium maximam detegit inæqualitatem. Aut si etiam sit optata æqualitas, versuti tamen Dæmonis insidijs multimodæ concitantur dissensiones.

*Val. Max.
lib. 7. me-
mor.*

VIII. Quid hic remedij? Ab hodiernis nuptijs exemplum sumamus. *Vocatus est autem & Iesus & Discipuli eius ad nuptias.* Felices nuptiæ, felix conubium ad quod vocatur, & in quo perseverat *I E S U S.* Cum nomino *Iesum* (inquit Bernardus) *hominem mihi propono mitem, & humilem corde, benignum, sobrium, castum, misericordem, & omni sanctitate conspicuum, & verè Iesum qui salvet populum suum.* Ut expriment in se conjuges mysterium Trinitatis, advocent Iesum, eum

*Bern. serm.
15. in Cant.*

secum faciant commorari, eius mansuetudinem, castitatem, sobrietatem, misericordiam, & omnem sanctitatem imitando. Huc censendus est respexisse

1. Cor. 11.

Paulus cum dicebat: *Nequè vir sine muliere, nequè mulier sine viro in Domino.* Sæpè sunt vir cum muliere, mulier cum viro, sed non *in Domino.* Unio vera animarum est Iesus. Proinde Raphaël docens juvenem Tobiam quomodo uxorem duceret, ne illi noceret

Tob. 6.

dæmonium, inquit: *Tu verò ò Tobia accipies virginem, cum timore Domini.* Quia scilicet. *Timor Domini odit malum, in timore Domini declinatur à malo,* ut ait

Prov. 8.

Et 16.

Sapiens. *Et Timor Domini delectabit cor, & dabit letitiam & gaudium, & longitudinem dierum.* Nihil mirum si quibusdam conjugibus multâ mala accidant,

Eccli. 1.

si in assiduâ vivant discordia, si non sit benedictio, quando non adest Timor Domini, quando non invitatur Iesus ad nuptias. Pulchrè in rem nostram Tertullianus: *Quale jugum fidelium duorum unius spei, unius voti? unius Disciplinæ, eiusdem servitutis? Ambo fratres, ambo conservi, nulla spiritûs carnisve discretio. Atqui verè duo in carne una. Ubi caro una unus & spiritus. Simul orant, simul voluntantur, & simul jejunia transigunt, alterutro docentes, alterutro hortantes. In Ecclesiâ Dei pariter, in connubio Dei pariter. In angustijs, in refrigerijs, neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri gravis est. Liberè æger visitatur, indigens sustentatur. Eleemosynæ sine tormento, sacrificia sine scrupulo, quotidiana diligentia sine impedimento. Nonfurtiva signatio, non trepida gratulatio, non muta benedictio. Sonant inter duos Psalmi & Hymni, & mutuo provocant, quis melius Deo suo canat. Talia Christus videns & audiens gaudet. His pacem suam mittit. Ubi duo, ibi & ipse: ubi ipse ibi & malus non est.* O fortunatum tale

Tertull. lib.

2. ad uxorem.

cap. 9.

conju-

conjugium ! *O terris optabile monstrum* duos in uno corpore junctos *in Domino*. Talis verè est *Concordia insuperabilis*, ubi Christus adest, quia ubi Christus est, *ibi malus non est*.

IX. Audite rem dignam admiratione pariter & imitatione ; cuius fideiufforem vobis constituo Joannem Eviratum. Venimus inquit ille Aſcalonem in Xenodochium Patrum, narravitquè nobis Abbas Eusebius Presbyter, quod negotiator quidam naufragium passus cum omnia perdidisset vix sano corpore applicuerit Aſcalonem. Ibi comprehensus à creditoribus & missus in carcerem direptis omnibus, quæ domi habebat, etiam ipsius uxoris vestimentis. Uxor præ inopiâ non habens quo vel se vel maritum aleret, id unicum ex conjugali officio illi impendebat, quod assiduè illi adhærens in carcere solaretur, ut poterat. Accidit verò ut nobilis quidam carcerem ingrederetur eleemosynam daturus captivis : qui conspèctâ illâ muliere, & visâ elegantia vultûs exarsit in amorem illius : iussitquè per custodem carceris illam ad se venire. Quæ rata se liberaliorem eleemosynam accepturam. Accessit, illiquè causam captivitatis mariti exquirenti, ordine recensuit in fortunium. Adhæc nobilis : si, inquit, hac nocte meæ voluntati obtemperaveris, efficiam ut solutis debitis carcere liberetur maritus. Sed difficilè est certare cum Geryone, funiculus triplex difficilè rumpitur, fidelis marito mulier, & conjuncta *in Domino*, ad insolentem petitionem paucis respondit : *Audi vi Domine dicentem Apostolum, quia mulier non habet potestatem proprii corporis, sed vir : permitte ergo ut interrogem virum meum, & quidquid ille jusserit faciam*. Et illicò ad maritum properans insanum nobilis amorem
ei ma-

*Joan. Evi-
rat. Prato
spiracul. c.
189.*

Eccli. 33.

ei manifestavit. Ille ut erat prudentissimus juxta
 Timens Deum, sepositâ spe & desiderio evadendi
 carceris cum gemitu & lachrymis in hæc verba eru-
 pit: *Perge, perge soror, abrenuntia homini. Spero enim
 in Dominum nostrum Iesum Christum, quia non derelinquet
 nos usque in finem.* Ita factum: renuntiavit casta uxor
 Nobili proco hæc solum: *Dixi viro meo & non vult.
 Quem hic potius mireris? captivum, an captivi fi-
 dam uxorem? quorum alter pro altero doluit, alter
 alterius afflictionem diutius perferre maluit quam
 Deum offendere.* Verè *Timenti Dominum non occur-
 rent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit, & li-
 berabit à malis.* Quod huic concordi conjugum pari
 contigit. Erat in eodem carcere latro quidam pro-
 pediem educendus ad extremum supplicium, qui lo-
 co aliquantum disjunctus, omnia audiebat, quæ cum
 uxore sua maritus in timore Dei loquebatur: & cœ-
 pit secum ipse ratiocinari. Ecce in quantis angustijs
 hi duo versantur, nequè tamen ut libertatem acci-
 perent, consenserunt in malum, sed pluris æstimant
 pudicitiam, quam pecuniam & libertatem. Et quid
 ego miser, qui nec cogitavi aliquando Deum esse
 vindicem scelerum, carceris squalorem & instans
 supplicium molestè fero? Misèret me illorum: de
 meâ actum est vitâ, succurram libertati Deum ti-
 mentium: Et illicò per cellulæ fenestram conjuges
 ambos allocutus: *Ego inquit latro sum & mortis reus,
 nec aliud mihi restat, quam ut Præfectus adveniat qua-
 cunque hora, mequè eductum è carcere supremo addicat
 supplicio.* Considerans verò pudica vestra consilia com-
 motum est miseratione cor meum. *Ite ergo, & in loco illo
 civitatis (simul locum designavit) clam fodite, & quas
 inveneritis pecunias accipite: illis non solum vestra per-
 solvetis*

solvetis debita, sed in futurum habebitis vitæ subsidium: & orate pro me, ut & ego apud Deum misericordiam inveniam. Non post multos dies venit Præfectus carceris, qui latronem eductum capite plecti iussit. Sequenti die alloquitur uxor maritum: *Si jubes Domine vadam ad locum, quem nominavit latro, si fortè vera sunt quæ dixit.* Ito ait maritus, *& fac quod placet.* Ivit, fodit, ingentem pecuniæ summam in olla diligenter cooperta invenit. Ac ne resciretur, unde tam subito pecunia; prudenti consilio, sensim cœpit persolvere debita, & se à mœrore, maritum à carcere liberavit. Concludit narrationem Euiratus verbis Abbatis Eusebij: *Dicebat autem qui ista narravit: Ecce quoniam servaverunt isti mandatum Domini nostri JESU Christi, magnificavit & ipse in eis misericordiam suam.* O multos tales in mundo conjuges! o terris optabile monstrum! verè monstrum, quia rarum! vir & mulier, duo in carne una, unus spiritus, una fides, unus honesti amor. E magna fortuna in summum præcipitati infortunium, omnibus exuti bonis. Maritus in pædore carceris clausus, uxor ei sponte comes, quæ dum esurienti non potest cibum porrigere, solatur affatu & commiseratione. Heu quid non fames efficit apud nonnullos, & præsertim *auri sacra fames!* His datur utramquæ satiari si Deum velint à suo consortio excludere: sed malunt habere amicum Deum, quàm mamonnam, quàm Dei contemptorem. Unde cum tam indissolubilis esset hic nexus conjugum cum Deo, & in timore Dei, facti sunt insuperabiles; & inter quos erat Christus, non habuit locum Malus, sed *in tentatione Deus illos conservavit, & liberavit à malis.* Sic agite, sic vivite conjuges & erit conjugium vestrum *terris optabile monstrum.* Non deserant conjuges Deum, non deseret illos Deus.



DISCURSUS VIII.

Dominica III. post Epiphaniam Aurum Tholosanum.

THEMA.

Vade ostende te Sacerdoti & offer munus.

Matth. 8.

SYNOPSIS.

- I. De calamitosis dicitur quod habeant Aurum Tholosanum, quia aurum ex spolijs Delphici templi Tholosam allatum quisquis contigit peste correptus est, aut male perijt.
- II. Vult nempe Deus templa relinquere inviolata. Sed hodie multi gestant tale aurum, ignari quod inde lepram & pestem contagiosam sibi generent. Decimas alij tollunt Ecclesijs.
- III. Alij pecunias Ecclesiarum diverso pretextu & mutui titulo sibi applicant, & restitunt, cum Diminutione. Syndici, Aeditui ab hoc contagio sibi cavere deberent.
- IV. Majores nostri liberales in Ecclesias, multa illis contulerunt, quae postea rursus ad se moluntur attrahere, unde lepram contrahunt. Israelitae leprosi extra castra eiciebantur: leprosi Christiani extra Ecclesiam.
- V. Talis ille militum Chiliarcha Bituricensis, qui cum pauca ligna Ecclesiae usurpasset, graviter a Deo punitus est.
- VI. Et alius Theodorici Regis Aulicus, qui solum cupidine habendi, quae erant Ecclesiae laborabat & mala morte perijt.
- VII. Instar homicide est, qui aliquid de rebus Ecclesiae sibi usurpat. Ob id in sacris litteris plures leguntur puniti.
- VIII. Nemo sibi blandiatur in parvitate materia, quia nihil parvum est, quod Deo aufertur. Funem campanae editus suo equo applicerat, & equus carnis ad usque ossa nudatus est, signum circumferens male usurpationis.
- IX. Principum etiam consiliarijs advertendum, ne bona Ecclesiae facile

facile usurpent necessitatis prætextu, ne incidant in manus Dei, ut Carolus Martellus, in cuius sepulchro non est reperitum cadaver sed virulentus Draco. Si qui ergo sunt on-

si Auro Tholosano, & contagiosa lepra infecti vadant, ostendant se sacerdoti per confessionem, & offerant munus per restitutionem.

Vade ostende te Sacerdoti & offer munus.

Matth. 8.

I.



Aurum inter omnia metalla præcipuum, apud omnes nationes maximè æstimatum, dubium relinquit an plus hominibus afferat utilitatis an damni. Sanè multis sæpenumerò est jactura corporis & animæ. De calamitosis

vetus est parœmia, *Aurum habet Tholosanum*, Originem traxit hoc dicterium ab eventu, quem memorat Aulus Gellius. Cùm (inquit) Q. Cepio consul oppidum Tholosam in Gallia diripuisset, in ejusquè oppidi templo magnam auri vim invenisset, data in illud militi licentia, quisquis in ea direptione aurum attigit miserabili exitu perijt. Sed altius eam calamitatem repetunt veteres Historici. Nam (ut tradit Justinus) Galli seu Celtæ, qui è Gallia in Pannoniam nostram transierant, & circa littus Adriatici maris confederant, ubi adhuc senia à senonibus dicta extat, Brenno Duce magnis instructi copijs profecti in Græciam ditissimum Apollinis Delphici templum diripuerunt, quos illicò subsecuta violati templi pœna, cum magna eorum pars abrupto Parnassi monte oppressa, Brennus ipsè desperatâ salute, impacto sibi in corpus pugione vitam finijt: pars verò sublato thesauro Tholosam in veterem patriam redijt, ubi

Gell. no8.
Attic. lib.
3. c. 9.
Polyb. lib.
4.
Strabo lib.
4.
Suidas v.
Golat.

Justin. lib.
32.

pestiferâ lue correpta sanari non potuit, nisi thesauro restituto. *Tectosagi autem* (verba sunt Justiniani) *cùm in antiquam patriam Tbolosam venissent, comprehensiquè pestiferâ lue essent, non prius sanitatem recuperavere, quam aruspicum responsis moniti, aurum argentumquè bellis sacrilegijsquè quæsitum in Tbolosensem lacum mergerent.* Voluit nempe etiam inter idololatrias Deus intacta esse templa, eorumquè thesauros inviolatos, nequid futuris temporibus simile attentarent in lege gratiæ veri Dei cultores.

II. Sed prò dolor ! in ea tempora incidimus, quibus pari lance librantur prophana & sacra, spiritualia & temporalia, divina & humana, & dum multi incedunt divitijs etiam ex Ecclesiarum & sacerdotum spolijs onusti, non recogitant se portare *Aurum Tbolosanum*, quod animam eorum inficit contagiosâ lue, qua in extremum rapiuntur exitium. Multis cura non est, unde habeant, sed ut habeant, & postquam subditorum suorum substantiam expilaverint, ad templorum, Religiosarum ædium, sacerdotalium facultatum proventus avaras extendunt manus, confictorum titulorum prætextu. Videtis enim ut versuta avaritia sæpenumerò decimas divino jure Ecclesijs ac sacerdotibus destinatas ad se violentâ legum aut consuetudinum malè introductarum interpretatione pertrahat. Novalia, inquit, fundi domino, ceu novi & propriæ industriæ labores, ad quos sacerdotes nullum attulit adjumentum, fructus ferunt, quasi verò animæ eorum, qui colunt novalia, non æquè sacerdotum curæ commissæ forent, ac eorum qui veteres agros occupant; aut quasi præceptum Dei non esset universale: *Omnes decimæ terræ, sive de frugibus, sive de pomis arborum Domini sunt & illi sanctificantur.*

Levit. 27.

Etificantur. Honorius Papa, cujus erat legem DEI interpretari ad Brixientem Episcopum rescripsit: *Quoniam à nobis sollicitudo tua requisivit, quid de Decimis novalium tuæ Diœcesis tibi sit statuendum; respondemus: ut si terræ qua arabiles sunt, intra certam alicujus Ecclesiæ Parœciam fuerint, decimas earum eidem Ecclesiæ factas assignari.* Quibus similia ad Helientem Episcopum rescripta leges; nimirum: *Cum perceptio decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat; decimæ novalium, quæ sunt in Parochijs earundem, ad ipsas proculdubio pertinere noscuntur.* Adjungit tamen Papa rigorem temperans: *nisi ab his, qui alias decimas percipiunt, rationabilis causa ostendatur, per quam appareat novalium ad eos decimas pertinere.*

C. quoniam
de Decim.

C. cum
contingat
de Decim.

III. Non possum non laudare Illustrissimum virum, qui Anno 1609. Supremum Styriæ Præsidentem seu Prætorem egit. Huic cum Labacensi Episcopo Thoma diuturnalis erat de Decimis, quam ut abrumperet, ex insperato accessit Episcopum, eumque alloquens, cedere protestatus est se juri quod vel habuisset, vel habere videretur in Decimas, adiiciens: *Cum enim Decimæ DEO debeantur, timeo DEUM: ac plenam decimam (etiamsi antea nunquam data fuisset) dare deinceps volo, ne fortè patrimonium Christi devoret patrimonium meum.* Sapienter & pie dictum. Utinam imitarentur etiam ij, qui subinde mutui titulo ab Ecclesijs & locis pijs pecunias accipiunt, & cum esset mutuuum restituendum, tergiversantur, aut certè pecorum & terræ fructuum pretiosè taxato valore, quod acceperant, reddunt. Aut quod gravius est, tamdiu restitutionem proteclant donec moriantur, qui erant conscij. Taceo de syndicis, qui subinde oblata fidelium caro divendunt, & minore pretio in tabulas rationum referunt;

MS. Lab.
Ep. D. &
Schrot-
temp.

runt; lucra Ecclesiæ sibi vendicant. Taceo neque enim puto nunc tales esse (quales superiore sæculo reperti sunt cum hæresis invaluisset) qui fundos & redditus Ecclesiarum circumcidunt, quocunque titulo, & sublati antiquis, novos substituunt proventuum Indices.

IV. Antiquorum insistendum est vestigijs, qui de immunitate Ecclesiarum, de erectione, & amplificatione dotatione de augendis redditibus Curatorum, de conservandis rebus DEO dicatis, de impendendis fideliter cultui divino piorum donativis solliciti, sacrosanctum habuerunt, quidquid semel DEO dicatum fuisset. Erexerunt suo sumptu loca sacra, attribuerunt sacerdotibus honesta vitæ subsidia, quibus fulti cultum divinum zelosius promoverent, officio suo alacrius fungerentur. Absit ut nepotes ipsi manus velint apponere. Contagiosus est morbus lepra, & quædam pestis species: talis plane & avaritia quam alter ab altero discit. Mandavit olim DEUS Moyse: *Præcipe filiis Israël, ut eiciant de castris omnem leprosum.* Idem nunc agunt summi Pontifices, qui fulmen censurarum vibrant in ejusmodi leprosos & auri Tholosani particeps; sed ridet mundus, quamvis exclamet S. Gregorius: *Sacrilegium & contra legem est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur prave voluntatis studijs tenta verit suis compendijs retinere.* Audite hoc Ecclesiarum Oeconomi, Syndici, curatores, aut quibus earum qualisqualis cura commissa. *Amico rapere quidquam, furtum est; Ecclesiam fraudare sacrilegium est:* inquit S. Hieronymus. Audite iterum, & verba ponderate. *A sacrilegio quoque hoc facinus non dispar dixerim, cum id quod sponte, & sacro deliberationis arbitrio gratis fieri debuit, sub pecunie*

Num. 52.

S. Greg.
ad Sabi-
nia, Diac.
17 q. 4.
can. sacri-
leg.

S. Hieron.
Epist. 34.

cuniae pactione causatur. Ait iterum S. Gregorius. Audite qui vos syndicorum officijs adhiberi vel ambitis, vel exorari patimini. Quidquid Deo semel consecratum est, in profanos usus converti non debet: alienatum, abstractum, diminutum lepram generat, auri Tholosani virtutem habet, pestem creat.

V. Author Patriarchij Bituricensis in vita S. Austregisili narrat de quodam militum Chiliarcha, cum Eudo Princeps Bituricis dominaretur. Ille ut est *Kara fides*, pietasquè *viris qui castra sequuntur*, cum ligna deessent, quibus ignem accenderet ad arcendum à militibus frigus, è proximi Monasterij S. Austregisili tugurijs nonnulla asportari curavit, & offerente Abbate alia ligna, ut domibus parceret, contempsit. Ecce tibi cum somno indulget apparuit minaci vultu S. Austregisilus: *Cur tu, inquiens, casas meas stultè succendis?* Et cum dicto alapa eum percussit in facie, ut cruor per aures & nares erumperet: Statimquè evigilans infelix ad ministros suos clamavit: *Hac hora me percussit Austregisilus continuo moriturum*, quæ ubi protulisset illicò spiritum exhalavit. Modica res pauca! vetustarum ædium ligna, magnâ tamen pœnâ præsumptio, & rei sacræ violatio castigata. *Aurum Tholosanum* habet, qui sibi usurpat res Ecclesiæ.

VI. De Warnario quodam Theodorici Regis Aulico recenset alius Anonymus Scriptor, quod nova tributa & exactiones impositurus Bituricensibus ad urbem accesserit, à qua S. Austregisilus tum adhuc vivens eum seriâ admonitione compulsi recedere. Mortuo S. Austregisilo, eiquè in Episcopatu succedente Sulpitio redijt homo nefarius, & ut parceret urbi accepit ab Episcopo munus honorarium, nec

tamen

S. Greg.
ad Episc.
Hispan. 1.
q. 3. can.
audiv.

Auth. Pa-
triarch.
cap. 30.

Anon. in
Elog. SS.
Bituricens.
ap. Labbe
To. 2. fol.
355.

tamen avaritiæ cupiditatem extinxit. Simulatâ ergò pietate ad sepulchrum præfati sancti accessit, quod ubi ex fidelium donativis auro argentoquè ornatum invenit, stimulante cupiditate in ea erupit verba: *Austregisilus debuerat aurum & argentum pauperibus erogare, quod super tumulum suum poni jussit seculi more, Nec propterea hoc dicebat* (ut loquitur author) *quod ei cura esset de pauperibus, sed ad similitudinem Jude avaritiâ repletus anhelabat.* Verum adfuit illic vindex DEI manus. Cum enim cætera perlustraret altaria vectis unus ex quo vela pendebant de alto ruens cecidit super caput ejus, tantâquè eum plagâ affecit, ut cruor per oculos & barbam difflueret. Suavis hæc erat DEI ad pœnitentiam vocantis monitio, sed ille solum clamans: *Austregisilus me vivus odio habuit, nunc etiam mortuus prosequitur moriturum.* Inde Augustodunum properans ad rapinas ex Episcopatu agendas, cum ad ponenda ventris onera secedit, intestina effundit & instar Judæ expirat. Quam verum est illud: *Convertetur dolor ejus in caput ejus, & in verticem ipsius iniquitas ejus descendet:* Nondum hic malè egit, sed in corde suo malè agere disponebat, & jam incurrit vindicem DEI manum. Tanto zelo propugnat DEUS quæ sacra & sibi dicata sunt. Quæ illos ergo manebit pœna, qui non cogitatione tantùm, sed factò res Ecclesiæ invadunt, & sibi usurpant colorato vel officij vel servitij prætextu.

Psal. 7.

VII. Attendant Ecclesiarum Oeconomi, Syndici, Æditui, qui res sacras in sua custodia retinent, nec subinde grave putant ex ijs quidquam suis usibus applicare, nec agnoscunt peccatum ubi vel ex pœnis à DEO inflictis gravitatem peccati arguere possent.

possent. *Qui Christi pecunias & Ecclesie aufert, fraudat, & rapit, ut homicida in conspectu iudicis deputabitur.* Inquit Stephanus Papa, & rationem hujus assignat Anacletus: *Qui abstulerit aliquid patri vel matri dicitur hoc peccatum non esse, homicidæ particeps est. Pater noster sine dubio DEUS est, qui nos creavit: Mater verò nostra Ecclesia, quæ nos in baptismo spiritualiter regeneravit. Ergò qui CHRISTI pecunias & Ecclesie rapit, aufert, vel fraudat, homicida est.* Quid ergò mirum multos ob erepta Ecclesijs & Sacerdotibus bona morte divinitus puniri. Morte mulctantur homicidia. Ne me ad recentiora extendam, habemus in sacris litteris clarissima hujus veritatis & puniti sacrilegij testimonia. Joas Rex, qui thesauros Templi temerè furripuerat, à Servis suis interficitur. Balthasar Rex, qui vasa sacra, quæ non ipse sed Proavus Templo abstulerat, non restituit, cum ijs in convivio abuteretur, ea nocte interfectus est. Antiochus Rex ob spoliatum Hierosolymitanum Templum, varijs malis ac doloribus oppressus miserimè morte extinctus est.

VIII. Verùm sunt, qui sibi blandiuntur ex parvitate materiæ seipsos à peccato excusant. Nihil parvum est, quod DEO aufertur. Narrat Hericus Monachus de miraculis S. Germani Autissiodocensis Episcopi, quod Ædituus quidam Ecclesiæ S. Germani, partem funis quo cambanæ pulsabantur acceptum in equi sui capistrum formaverit: *Mox liquido claruit (verba sunt Herici) rem semel sacram domesticis usibus non decuisse conducì: Ut enim capistrum equino capiti inductum est, cuncta, quæ funis complexus fuerat, ita de repente absumpta sunt, ut uni-versa caro cum pilis & cute ossium tenus ferro putaretur decisa.* Sic

12. q. 2.
can. qui
Christi. 12.
q. 2. can.
qui abstu-
lerit.

4. Reg. 12.
Dan. 5.

1. Machab.
1.

Heric. in
mirac.
S. Germani
c. 44.

equus ille innoxius temeritatis alienæ de cœtero servavit iudicia. In eadem S. Germani Ecclesia mulier quædam orationis gratiâ accedens linteum de ambone subduxit, domumquè reversa profanos renes sacro tegumento præcinxit. Sed illicò totis artibus dissoluta cum detrimento corporis sensit præsentiam ultionis. Facti pœnitens delata ad sancti Ecclesiam Sacerdotum precibus sanitatem recepit. Minus egit ille paganus homo, qui inter oblatos fructus in ejusdem S. Germani Ecclesia unicum sublegit pomum, quod cum absumpsit, integro anno mutus effectus, anno vertente, eadem die ad sancti sepulchrum supplex multis profusis lachrymis recepit loquelam. Possẽm adducere plura recentia & non tantum auribus percepta, sed oculis usurpata exempla, qualiter DEUS violatores rerum sacrarum pletere consueverit, sed ea melius alia occasione ad posteritatis memoriam litteris consignabuntur.

IX. Unum præterire non possum, in hoc genere quin attingam. Discurrunt Theologi an Principes in terris suis in casu magnæ necessitatis possint bonâ conscientiâ petere & accipere ab Ecclesijs & locis sacris thesauros ad sustinendum justum bellum (nam de injusto nulla est quæstio) in magna necessitate exhausti sui ærarij. Affirmant plerique & afferunt Exempla tum Biblica tum Historica. S. Ambrosius utitur exemplo Christi: *Si enim censum Filius DEI solvit, quis tu tantus es, qui non putes esse solvendũ?* Favent leges Civiles, & sacri Canones, summorum Pontificum Bullæ, & praxis. Illud solum considerandum puto consiliarijs, ut non credant in omni casu & circumstantia id licitum esse. Nam ubi ærarium seipso sufficiens est, ubi non est summa & urgens necessitas

lib. cap. 32.

*S. Amb.
lib. 4. in
Luc. 8. ad
hæc sanè.
Novell.
121. l. ad
instrud. 7.
c. de SS.
Eccles. l.
jubemus
nullum 10.*

cessitas, ubi bellum necessarium non est, metuen-
 dum ne aggravetur conscientia. Quæ cum à cir-
 cumstantijs particularium casuum dependeant, uni-
 versali doctrina definiri non possunt: nec ego me in
 magnorum immitto consilia. Certus tamen sum,
 & multis probatissimis exemplis demonstrari potest,
 multis Principibus ejusmodi usurpationes Ecclesia-
 sticorum bonorum & thesaurorum fuisse *Aurum Tho-*
losanum. Et quia ut seneca loquitur *Homines am-*
plius oculis quàm auribus credunt: & longum iter est per
præcepta; breve & efficax per exempla, instar omnium
 propono Carolum Martellum Caroli magni avum
 apud Reges Franciæ Majorem Domus, cujus tunc
 consilio in Francia omnia gerebantur. Invaserant
 Anno Christi 733. Gallias saraceni, ut narrat Theo-
 baldus Bezuensis in vita S. Prudentij, quibus ut resi-
 steret Carolus Martellus, ingentem conflavit exerci-
 tum. Sed cum regali exhausto ærario militem alere
 non posset, & stipendia persolvere, *gravissimâ compul-*
sus necessitate (verba sunt authoris) *Decimas, & quod*
nefas dictu est, Ecclesias ablatas sacris ministris dedit militi-
bis suis. Sic animatos in hostem impulit, & septua-
 ginta quinque millia saracenorum stravit. Putes
 excusatum fuisse apud Deum, qui ei tantam concessit
 victoriam. Sed audi, quid subjungat Theobaldus:
Quem verò exitum præfatus sortitus sit Carolus pro deci-
mis & Ecclesijs quas militibus dederat, paucis retexam. De-
functus enim acerbissima valdequè terribili morte sepultus
est in Basilica B. Dionysii Martyris. Quo sepulto mox
tus sætor tamquè pestifer aër (cogita operationem
 Auri Tholosani) *ab ejus cæpit egredi Mausoleo, ut*
etiam longè semotas tabo inficiens auras, multos letho dede-
rit, & quàm plures morbo gravissimo affecerit &c. Pipi-

C. de SS. Eccles. Et it. q. 1. c. si qui causa. & c. si tributum.

Sen. Ep. 6.

Theob. Bezuen. lib. 1. de S. Prud.

*mus filius ejus jubet referari sarcophagum, eoquè patefacto
 inventus est Draco miræ magnitudinis, ex cujus ore lethi-
 fer ille procedebat halitus, de corpore verò Caroli nihil pe-
 nitus repertum est. Hoc autem dictum sit ad sacrorum
 pervasores locorum, qui violenter sacra detinent loca, suisq;
 hæredipetis hæreditates concedunt perditionis. Hacten-
 us Theobaldus, quæ ponderent, quos concernunt.
 Ego finem dicendi facio, & si qui sunt ex Auditoribus
 meis, qui ejusmodi Auro Tholosano onusti, ejusmo-
 di leprâ infecti sunt, juxtâ monitum Christi ostendant
 se sacerdoti & offerant, seu potius referant munus, re-
 stituant quod malè acceperunt, quod animæ pe-
 stilentem inhalat mephitim. Vade ostende te
 sacerdoti per seriam confessionem, &
 offer munus per restitutionem.*





DISCURSUS IX.

Dominica IV. post Epiphaniam.

Securum Periculum.

T H E M A.

Domine salva nos perimus.

Matth. 8.

S Y N O P S I S.

I. Omnia peccata & mala re-
gnant, cum DEUS reputatur
dormire, ut aiebat Thomas La-
bac: Episcopus.

II. Etiam Sancti subinde vacil-
lant, uti hodierni Apostoli, cum
putarent Dominum dormire,
qui ut DEUS non lassatur,
non dormit, sed somno vel pro-
curato vel simulato secundum
hominem explorabat illorum
fidem.

III. Qui serio adheret DEO,
semper illum sibi presentem
existimat, & qui presentem
habet, nihil habet, quod me-
tuat. Uti Agar ancilla Saræ,
experta in tribulatione sibi
Dominum adfuisse.

IV. Sic & Joseph DEUM co-
mitem habuit in puteo, in car-
cere, in servitute. Comitatur
justos ubique divina gratia.

V. Pueri tres in fornace Baby-

lonica similiter habuerunt so-
cium DEUM, quatuor visi-
cum tres tantum injecti fuis-
sent, securi in periculo adstan-
te DEO. Idem expertus S.
Dionysius.

VI. Idem sentiebat patiens Job.
Cum quovis congregari ausus
presente DEO, & David in
periculis multo securior quam
Ulysses apud Homerum somni-
ate Minervæ presidio.

VII. Turbamur nos sæpè in ad-
versis, quasi à DEO develin-
queremur, sed DEUS anima-
rum nostrarum Sponsus assimi-
latur caprea hinnuloque cer-
vorum, qui dum dormit, unum
oculum apertum habet, &
dum fugit, fugiendo respicit.

VIII. Magnus Antonius id ex-
pertus est, qui gravissime ten-
tatus, & verberatus à Dæmo-
ne, dum queritur Dominum

sibi non adfuisse, audivit presentem fuisse & certamen spectasse. Non est ergo quod in periculis conqueramur absentem DEUM, qui facit cum tentatione proventum.

IX. Gaudeamus igitur, cum inciderimus in tentationes, quia ille sunt probatio nostræ fidei, sicut iactatio Apostolorum in mari. Cum DEO versari in periculo, est esse extra periculū.

Domine Salva nos, perimus. *Matth. 8.*

I.



Inter cœtera sapienter dicta, & illustria Apophtegmata Thomæ IX. Principis Episcopi Labacensis illud non postremum locum obtinet, quod Anno 1623. sua manu in Adversarijs suis notavit:

*MSS. Tho.
Ep. Labac.*

QUANDO	Potentia est iustitia,	Terra sine lege.
	Dies est nox,	Terra sine via.
	Unum est duo,	R Regnum sine veritate.
	Fuga est in pugna,	S Regnum sine honore.
	Amicus est inimicus,	F Regnum sine fidelitate.
	Malum est bonum,	Regnum sine pietate.
	Ratio est licentiata,	C Regnum sine nomine.
	Fur est præfectus, (liarius,	Z Regnum sine pecunia.
	Interesse proprium est consi-	D Regnum in Confusione.
	Culex vult volare ut Aquila,	F Regnum sine discretione.
Pecunia fert sententiam,	Terra sine iustitia.	
DEUS reputatur dormire,	Terra plena peccatoribus.	

Sapientissima profectò effata, quorum postremum cæterorum omnium compendium est. Nam quando DEUS reputatur dormire, cessant leges, ignoratur via, contemnitur veritas, honor minuitur, fidelitas decipitur, pietas proscribitur, nomen est anonymum, pecunia deficit, crescit confusio, fugatur discretio, exulat iustitia, peccata mundum implent; Adeò ut etiam præsentem DEO contingat vacillare iustos, & in ejus auxilio non satis reponere fiduciæ.

II. Ho-

II. Hodierni Evangelij textus nobis clarè proposuit hanc veritatem. Cum enim navigarent discipuli ortâ in mari tempestate, licet præsentem haberent maris Dominum, inceperunt metu concuti, & parvam habere spem evadendi periculum. Unde hæc diffidentia? Nempe quia venti sibilant, mare fluctus attollit, undas conglornerat, intumescit, fremit, assultat navim, minatur naufragium, mortem præsentem sistit: Merebantur sanè reprehensionem: *Quid timidi estis modicæ fidei?* Nunquid habetis præsentem maris Dominum? Qui potest cohibere fluctus, frænare rabiem, compescere undas, imperare ventis, sedare tempestatem? *Ipsè verò dormiebat.* Illum dormire credunt, de quo canebat Psalmista, *Non dormitabit, nequè dormiet, qui custodit Israël.* Nolo hic disputare an somnus ille Christi in navicula fluctibus agitata fuerit naturalis an provocatus, verus an simulatus: In varias quippe opiniones abeunt Patres, illud mihi quasi certum est, quod pronuntiat Chrysologus. *Per se non dormit, nequè sibi dormitat Majestas expers lassitudinis, quietis ignara, sed totum per se mihi agit.*

Psal. 120.

S. Pet.
Chrysol:
Serm. 21.

Hic ergo somnus explorat Discipulorum fidem, dubitationem prodit, & modicæ eos credulitatis aperit esse, qui non modo in se tantum, sed in ipsum authorem credunt posse elementa consurgere. Nihil metuat, qui præsentem habet, quem metuunt metuenda. Fidei lapis lydius est periculum, in quo si DEUM com item habeas, aut malè metuis si credis, aut malè credis si metuis. Quare ne cum in nos etiam fluctus temptationum & adversitatum insurgunt, vacillemus uti hodie Apostoli, erit præsentis mei Discursus Thema, quod

quod qui justus est, & DEUM sibi habet propitium, securus sit in omni periculo.

Psal. 34.

III. Veritatem, quam explanare constitui, pluries profitetur Regius Psalter, qui canit: *Juxta est Dominus ijs, qui tribulato sunt corde*, quod de justo dictum, qui spem suam in DEO reponit, & ab eo in periculis auxilium expectat, alio loco sub persona DEI loquens exprimit: *Clamavit ad me & ego exaudivi eum, cum ipso sum in tribulatione.* Id in Agar ancilla Saræ observat Chrysostomus, quæ profuga in solitudinem DEUM propitium habuit, ubi nulla supererat spes humana. Quamdiu Agar quietè cum Sara vixit, non obtinuit consolationem divinam, & Angeli alloquium. Segregata verò à sua Domina & in afflictione posita, vidit Angelum, & ejus alloquio animata est ad tolerantiam injuriarum. Unde concludit S. Doctor monens: *Si prudentes fuerimus, tribulationes nos magis Domino appropriare faciunt.* Quo eodem sensu dixit S. Gregorius Nazianzenus: *Anima morbo affecta, DEO propinqua est.* Quàm sollicitè adversitates declinamus, morbos fugimus, pauperiem metuimus, contumelias, injurias, persecutiones malorum execramur: Qui pericula impendentis afflictionis præcavemus anxij, & ignoramus, quod, si mens conscia recti nos à reatu absolvit, per illa DEO propiores efficiamur, & quanto propiores DEO, tanto securiores in periculis. Unde monet Augustinus, quasi Apostolos de naufragio sollicitos alloqueretur: *Noli timere quando tribularis, quasi tecum non sit DEUS.* Nulla omnino tribulatio est, in qua DEUS dedignetur se comitem adjungere, modò velimus.

Psal. 90.

*S. Chrysof.
hom. 38.
in Gen.*

*S. Greg.
Naz. O-
rat. ad Civ.*

*S. Aug. in
Psal. 90.*

IV. Ingrediamur puteum, in quem à fratribus conjectus fuerat Joseph, ingrediamur carcerem, in quo idem perpeſſus eſt vincula: Utrobiquè inveniemus DEUM. Joseph vel ex nomine juſtus, iniquè paſſus à fratribus perſecutionem, iniquè miſſus in carcerem ſuſpicari & metuere potuit periculum vitæ, ſed in DEO repoſuit ſpem ſuam. Unde ſacer textus: *Fuitquè Dominus cum eo. Erat ibi ciauſus. Fuit autem Dominus cum Joſeph.* Ait idem textus, & diſtinctius Sapiens de Providentia DEI loquens: *Hæc venditum juſtum non dereliquit, ſed à peccatoribus liberavit eum: Descenditquè cum illo in forream, & in vinculis non dereliquit illum.* Vides DEUM amicum hominis tribulati, qui credit ab ipſo pendere ſuam libertatem, & ſervitutem, ſuum commodum & damnum, ſuum ſolatium & deſolationem; Quomodo illum ubiquè comitetur, & præſtet ſecurum in omni periculo. Quærit S. Chryſoſtomus ad hunc locum: *Quid eſt, erat Dominus cum eo: Comitabatur inquit eum divina gratia, & reddebat ei facilia omnia, quæ gravia erant.* Grave ſine dubio fuit juvenem à Patre delicatè nutritum, ſervituti minimè aſſuetum, inter Barbaros verſari, & ab unius ſervitio ad alterius tranſire jugum; *Sed comitabatur eum divina gratia*, uſquè adeò ut ipſe Dominus ejus manifeſtè colligeret, quòd gratia DEI eſſet cum Joſeph, teſtante ſacro textu: *Optimè noverat Dominum eſſe cum eo.* Grave erat Joſepho innocentiffimo juveni adulterij reum peragi, & de graviffimo accuſari delicto: Grave erat in carcerem conijci, ſed *comitabatur eum gratia divina*, reddebatquè ſecurum in periculo.

Gen. 39. v.
2. & v. 21.

Sap. 10. v.
13.

S. Chryſoſt.
hom. 62. in
Gen.

Gen. 39.
v. 3.

Dan. 3.

V. Contemplemur etiam fornacem Babylo-
 cam accensam *septuplum quam succendi consueverat*:
 Et in eam injectos tres viros, qui statuum Nabu-
 chodonosoris adorare noluerunt. Injecti sunt ligati,
 qui eos iniecerant, ab erumpente flammâ consumpti
 sunt, ipsi verò in medio ignis ambulabant Benedi-
 centes DEUM: *Tunc Nabuchodonosor Rex obstupuit:*
Et surrexit properè &c. Et ait: Ecce ego video quatu-
or viros solutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil
corruptionis in eis est, & species quarti similis filio DEI.
 Stupendum omninò prodigium! Nempè DEUS adest
 justis in tribulatione, nequè deserit, à quibus non
 deseritur. Adest (inquit Chrysostronus) *amica Ma-*
jestas, & patitur se DEUS cum pueris in supplicio nu-
merari. O planè securum periculum, cui se sociat
 DEUS! occurrit hic causam inquirere, cur ignis &
 flamma vorax horum trium athletarum vincula
 consumpsit, parcendo vestibus & corporibus,
 nam compediti injecti sunt, & mox visi ambulare
 solutis vinculis, quod observans Chrysostronus a-
 jebat: *Ibat circa innocuos pedes novo libramine tempe-*
ratus artifex ignis, & tot circumvolans pastus sola con-
sumere vincula laboravit. Quod hic mysterium? Pec-
 cata & imperfectiones justorum sunt vincula, quæ
 DEUS per tribulationem & patientiam aduersitatum
 exurit, ut præservet animas à corruptione, easquè
 in periculis securas reddat. O bonum Dominum!
 qui mala ab adversarijs intentata convertit in bo-
 num, & dum justos affligi permittit, se ipsum illis
 socium exhibet. Noverat hanc DEI providentiam
 S. Dionysius, qui cum in clibanum ignis conjicere-
 tur dixisse fertur: *Eris hic mecum bone JESU.* Me-
 mor

S. Chrysostr.
 hom. de
 trib. puer.

Sur. in vi-
 ta.

mor haud dubiè promissionis divinæ apud Isaiam :
*Cum ambula-veris in igne, non combureris: &c: Noli ti-
 mere, quia ego tecum sum.*

Isai: 43.

VI. Intelligebat hanc DEI œconomiam pa-
 tiens Jobus, ut in maximis corporis & animæ suæ
 afflictionibus ultrò se DEO obtulerit ad plura susti-
 nenda, ad certandum cum quocunque hoste, cum
 quacunque adversitate, dummodo DEUM sibi ad-
 stantem & auxiliatorem haberet. Unde agebat :
Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me. Job. 17.
 Pugnent contra me Sabæi & tollant armenta mea :
 Pugnent contra me Chaldæi & tollant camelos me-
 os : Pugnet contra me ignis de Cœlo & consumat Job. 1.
 oves cum pastoribus meis : Pugnet contra me ven-
 tus & corridente domo meâ liberos meos opprimat :
 Pugnet contra me importuna consolatorum turba :
 Pugnet contra me contentiosa Xantippe, improba
 Uxor mea : Pugnet contra me ipse Dæmon cum
 affeclis suis, dummodo tu Domine me ponas *juxta
 te*, & nulla adversitate movebor, securus ero in
 omni periculo. Nimirum ut loquitur D. Cypria-
 nus : *Major est Dominus ad protegendum, quàm Dia-
 bolus ad impugnandum.* Tali securitate se vellatum
 confidenter jactabat David Canens : *Dominus illu-
 minatio mea, & salus mea, quem timebo? Si consistant
 adversum me castra, non timebit cor meum, si exurgat ad-
 versum me prælium, in hoc ego sperabo.* Multò sanè
 futurus securior in prælio, quàm Ulysses apud Ho-
 merum fultus auxilio suæ Minervæ, qui vanè ex-
 ultat.

D. Cypri-
 an: exhort:
 ad M. M.
 Psal. 26.

*Atqui ego si mihi tu assistas & cæsa Diva
 Vel tercentum contra homines concurrere pugne*

Homer: in
 Iliad.

Aufim, te fretus comite ô Dea & adjutrice.

Qui DEUM in Adversis habet comitem, non contra solos trecentos, sed contra universas terræ & aëris potestates securus certat. Sed unde nobis polliceri possumus DEUM nobis adstare, cum impetimur à malis?

VII. Turbamur subinde, & metuimus, ne DEUS fortè nos deserat, cum gravis ingruit tentatio; cum infortunia unum ex altero fluens nos adoriuntur. Simus justi, & semper aderit nobis DEUS. Concedite mihi, quod Sponsa in Canticis Salomonis descripta in aliquo sensu repræsentet Ecclesiam, vel animam fidelem, cujus Sponsus est Christus: Et audite Sponsæ vota & desideria: *Fuge dilecte mi, similis esto capræ hinnuloquè cervorum*, inquit Sponsa, quæ alibi Sponsum ad se invitabat. *Revertere similis esto dilecte mi capræ, hinnuloquè cervorum.* Quid sibi vult hæc antilogia? Quid tam contraria desiderat Sponsa? Modò præsentem modò absentem cupit, modò ad fugam animat, modò ad reditum invitat.

Cant: 8.

Cant: 2.

*Ovid.
Met.*

*Votum in amante novum, cupimus quod amamus
abesse.*

Canit Ovidius: Fierine potest, ut dilectam Sponsam vel ad modicum derelinquat Sponsus? Ut se absentet ab ea, cujus jugiter ardet amplexum? Non credamus, quod amans DEUS amatam animam unquam deserat. Videtur fortè longius abesse cum graviter affligi permittit, sed præsens est, & dum absentiam simulat, non derelinquit: *Ideo dicitur similis capræ hinnuloquè cervorum*, quod exponens Paraphrastes Chaldæus inquit: *Fuge dilecte mi & in*
tem-

*Chald.
Paraph.*

tempore tribulationis eris simulis capreae, quae in tempore quo dormit, unus ejus oculus clausus est, alter apertus. Aut sicut hinnulus cervorum, qui in tempore quo fugit, respicit post se, sic tu respicies tribulationem nostram. Ecce veritatem, quam sapiens sub allegoriâ fugientis capreae & hinnuli proposuit relucens in hodierno Evangelio. Quasi fugit à nobis DEUS, cum nobis tribulationes immittit, & quasi dormit cum tentationibus ad virtutem solidandam exponit, & jactari patitur in æstuoso pelago afflictionum, sed non derelinquit; Unum oculum claudit, alterum aperit, semper nobis praesens, ne succumbamus: De quo gloriatur Apostolus: *Persecutionem patimur, sed non derelinquimur.* Quia qui dicit Ego dormio: Addit: *Et cor meum vigilat.*

2. Cor. 4.

VIII. Magnum Antonium in eremo cum spectris & dæmonibus luctantem considerate: hic multis superatis tentationibus, semper tamen Deo fidens; tandem permittente illo, solito gravius pulsatus, imò & à Dæmone verberatus ac cæsus fuit. Apparuit tunc illi Dominus, ad quem Antonius: *Ubi eras Domine JESU, ubi eras? quare non à principio adfuisi, ut sanares vulnera mea?* Respondit Christus: *Hic eram Antoni, & expectabam videre certamen tuum.* Quasi dormit, & quasi fugit à nobis, cum nos tentari permittit, nec tamen dormit, nec tamen fugit. Hoc sensu intelligenda sunt illa Isaïæ Prophetæ: *Ad punctum in modico dereliqui te, & in miserationibus magnis congregabo te. In momento indignationis abscondi faciem meam parumper à te, & in misericordiâ sempiternâ misertus sum tui.* Non est ergo, cur in gravibus tentationibus, in persecutionibus, in periculis hujus vitæ

S. Athanas.
in vita.Isai. 54.
v. 7.

*Euseb.
Gallic: in
Dom: s.
post Epiph.*

queramur, Deus me deserit, Deus oblitus est mei, non sum illi acceptus, impar sum tantis malis &c. Fidem serva Deo, constans persevera in illius cultu, & servitio, ut ab omni noxa animam tuam custodias, faciet ille tibi cum *tentatione proventum*. Cum tribularis præsens adest ac vigilat, licet dormire videatur, & spectat certamen tuum quo vincas. Huc tendunt illa Eusebij Gallicani: *J E S U S quamvis non dormit, dormire tamen videtur, quando lupi in bonos insurgunt: non dormit quidem, sed prælium intuetur, & certaminis simul finem, & Bellantium fidem expectat.*

Iac. 1.

IX. Rectè proinde monet Jacobus Apostolus in Epistola sua, cujus initium totum collimat in hodiernum discursum: *Omne gaudium existimate fratres mei, cum in tentationes varias incideritis: Scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur.* Tentatio igitur est probatio fidei, in qua ut firmi perseveremus, ut monet idem Apostolus, petenda est à Deo Sapien-

Ibid.

tia, id est vera cognitio finis, propter quem Deus nos adversitatibus exercet. *Si quis autem vestrum indiget Sapientiâ, postulet à Deo: postulet autem in fide, nihil hæsitans: qui autem hæsitat, similis est fluctui maris, qui à vento movetur & circumfertur.* Sic videntur hodie hæsitasse Apostoli, ob id à Christo reprehensi: *Quid timidi estis modicæ fidei?* quasi diceret: quid animi vestri fluctuant cum fluctuante mari? Ego præsens adsum: si verè me Deum creditis, non est, quod metuatis. Cum Deo versari in periculo est esse extra periculum. Nulla major securitas, quàm in periculo, in quo se Deus periclitanti affociat. Hoc facite & vivetis.

DISCURSUS X.

Dominica V. post Epiphaniam.

Fertilis sterilitas.

THEMA.

Venit inimicus ejus & superfeminavit Zizania in medio tritici. *Matth. 13.*

SYNOPSIS.

- I. Sterilitatem omnes metui-
mus, amamus fertiles annos.
Triticum fertilissimum quod
ex uno subinde modio reddit
centum quinquaginta. Ta-
lem fertilitatem S nos desi-
deravimus, cur in anima eam
non procuramus, cum possimus.
Docebo ergo modum, quomo-
do vel ipsa Zizania conver-
tere liceat in triticum.
- II. Hanc scientiam docet Paulus,
cum ait diligentibus Deum
omnia cooperari in bonum.
Ex adversis colligitur messis
gloria, & sapiens omnia ver-
tit in suum commodum, uti
ipse Paulus.
- III. Cur Deus vitiosas affectio-
nes natura humana reliquerit,
ut expelli non possint, sed
temperari; ratio est, ut inde
habeamus occasionem virtu-
tis, quae sine adversario mar-
cet.
- IV. Ex ipso peccato possumus e-
licere bonum, è malis bona
metere, è veneno serpentis
antidotum veneni.
- V. Et ideò Deus, qui prænoscit, se
offensum iri, permittit pecca-
ta, ut cum sit summè bonus ex
malo bonum eliciat. Ex pec-
cato primorum parentum na-
tum est summum bonum In-
carnatio Filij Dei.
- VI. Ex peccato Aegyptiorum
ortum habuit mirabilis libe-
ratio Israelitarum: ex Da-
vidis adulterio, major Davi-
dis fervor in servitio Dei;
ex Petri, Thoma, Magdale-
nae peccatis, magna bona pro-
venerunt universae Ecclesiae.
- VII. Ex Zizanijs Aglaidis & Bo-
nifacij, natum est triticum
caelesti

Cœlesti horreo importatum ,
ex summis peccatoribus mag-
ni sancti.

VIII. Cum ergo Deus ex veneno
faciat veneni antidotum , ex
Zizanijs purum triticum :

nemo peccator desperet, sed
omnes laboremur, ut hac di-
vina metamorphosi ex malis
evadamus in bonos Deum
diligendo.

Venit inimicus ejus, & superseminavit Zi-
zania in medio tritici. *Matth. 13.*

I.



Uⁱ ex agrorum culturâ vivunt, unum
semper votum habent, ut fertilem an-
num obtineant, & magnis per totum
annum curis optatus correspondeat
fructus. Fatigatur Cœlum precibus,
terra bobus & rastris, familia sudori-
bus: observantur assidue nunc ventorum flatus, nunc
imbrium opportuna humectatio, nunc solis æstivi ca-
lor, nunc hyemale gelu, nunc verna temperies: &
ad messëm usque suspensi hærent animi sollicitudine.
Si verò præter spem fallat annus, si magna lollij & Zi-
zaniorum sementi increseat copia, quanta tunc la-
menta, quantæ querelæ, quantæ sæpenumerò blas-
phemix audiuntur. Omnes metuimus, omnes hor-
remus steriles annos; nemo non exoptat fertiles &
fœcundos. Fertile naturâ suâ est triticum, & alicu-
bi tam copiosè germinat, ut ferè fidem excedat. *Tri-
tico nihil est fertilius* (verba sunt Plinij) *hoc ei natura
tribuit, quoniam eo maximè alat hominem: utpote cum è
modio, si sit aptum solum, quale in Byzatio Africa campo,
centeni quinquaginta modij reddantur. Misit ex eo loco
divo Augusto procurator ejus, ex uno grano (vix credi-
bile dictu) quadringenta paucis minus germina, extant quæ*

Plin. lib.
18. c. 10.

ea de re Epistole. Misit & Neroni similiter trecentas quadraginta stipulas ex uno grano. Optaretis Auditores mei tam uberem glebam, tam fertilem messem? optaretis nulla unquam vestris agris increfcere Zizania? Cur non idem optatis animabus vestris, quæ sunt ager Domini, ut eas nominant DD. Petrus Damiani & Petrus Bleffensis, in quo purum triticum bonorum operum deberet crescere? cur finitis sæpè ut inimicus homo superfeminet Zizania peccatorum? Agite docebo vos artem, qua non solum ex sterili agro uberrimam colligatis messem, sed ipsum lolium & Zizania convertatis in purum triticum, unde *Fertilis reddatur animæ vestræ sterilitas.* Volo dicere, ex ipsis malis & peccatis colligatis magnam gloriæ messem.

B Petr.
Dam. O-
pusc. 15.
c. 27. Pet.
Bless. Ep. 3

II. Scientiam transmutandi mala in bona, adversa in merita, peccata in virtutes profitetur S. Paulus ad Romanos scribens: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.* Quasi diceret: Fundamentum transmutationis & conversionis malorum in bona est Dei dilectio. Qui Deum diligit, huic adversa non sunt adversa; quidquid accidit in suum emolumentum convertit, quidquid patitur ex eo colligit messem gloriæ; ipsa quoque peccata cum per pœnitentiam diluit, transfert ad meriti incrementum. Quod de ipso S. Paulo testatur Chrysofostomus, ubi ait: *Nullus ita in diversa rerum incidens atque contraria, utraque in commodum suum transiulit, utraque suis utilitatibus coaptavit: alter factus ex altero:* nempe ex Principe Ecclesiæ persecutore, Princeps cum Petro Ecclesiæ fulcrum & stabilimentum, ex iniquo justus, ex adversario amicus, ex hoste Christi nominis, propagator Christi nominis, electus ut por-

Rom. 8.

Chrysofost.
hom. 5. de
laud. Pauli

i. Cor. 15.

tet nomen ejus coram gentibus ; qui nec erubuit suam fateri culpam, quam virtute divinâ converterat in gratiam : Non sum dignus vocari Apostolus , quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei : gratia autem Dei sum id quod sum. Quantò Scilicet acrius Ecclesiam persequi cœperat, tantò postea alacrius suo functus est pro Ecclesia Apostolatu, & qui prius vinciebat fideles , ut victos adduceret in Jerusalem, ipse dein victus in Domino anhelabat ad Cœlestem Hierusalem. *Sic diligenter Deum omnia cooperantur in bonum.*

III. Disceptant inter se Philosophi utrum tolli possint à natura, quas illa hominî indidit pravas & vitiosas animi inclinationes, iræ, invidiæ, superbiæ, gulæ &c. Et Peripatetici quidem rectè sentiunt, hæc nobis congenita in totum eradicari non posse, ita tamen temperari posse, ut animo dominium sit in ejusmodi affectus : Stoici verò, ut ait Lactantius Firmianus, *ea non temperant, sed abscindunt, rebusquè à natura insitis castrare hominem quodammodo volunt.* Qui præterea advertit divinâ factum esse providentiâ, quod natura hiscè nos armarit affectibus, ut essent scilicet virtutis exercendæ occasio. Ait enim : *Homines prudentes non intelligunt, cum vitia ex homine tollunt, etiam se virtutem tollere, cui soli locum faciunt. Nam si virtus est in medio iræ impetu se ipsum cohibere, ac reprimere, quod negare non possunt ; caret ergò virtute, quisquis ira caret. si virtus est libidinem corporis continere ; virtute careat necesse est, qui libidinem, quam temperet non habet &c. Ubi ergo vitia non sunt, nec virtuti quidem locus est : sicut nec victoriæ quidem, ubi adversarius nullus est. Ita fit ut bonum sine malo esse in hac vita non possit. Et demum quasi in nostram concedens allegoriam sic concludit : Affectus igitur quasi ubertas est animorum naturalis*

Lact. Firmianus. cit. 6.
Inst. div. cap. 15.

turalis. Nam sicut in sentes ager, qui est naturâ fecundus exuberat: sic animus incultus vitijs suâ sponte invalescentibus, velut spinis obducitur, sed cum verus cultor accesserit, statim cedentibus vitijs fruges virtutis oriuntur. Ecce artem & modum Zizania in purum triticum transmutandi, si verus cultor accesserit Deum diligens. Nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Quod de animi affectionibus diximus, transfert cum pari doctrina sapiens ad res naturales, inquiens: *Initium necessariæ rei vitæ hominum; aqua, ignis & ferrum, sal, lac, & panis similaguineus, & mel, & botrus uvæ, & oleum & vestimentum. Hæc omnia sanctis in bona, sic & impijs & peccatoribus in mala convertentur.*

Eccl. 39.

IV. Quid verò dicemus de ipso peccato quod SS. Augustino & Bernardo appellatur *Nihil*? Philosophi effatum est: *Ex nihilo nihil fit.* Et omnis effectus assimilatur suæ causæ. Unde Albertus Magnus: *Ens fit ex Ente, animal ex animali, & simile fit à simili.* Sed DEUS qui ex nihilo cuncta creavit, & facit de tenebris lucem splendescere: Idem potest ex nihilo peccati educere bona opera, quæ sint bona valdè: Non minus ac Pharmacopæi ex venenis præstantissimum veneni antidotum. *De veneno Serpentis facit spirituale antidotum, ut quod venenum est, medicamentum fiat, inquit S. Ambrosius.* Sæpius Psalmista Regius componit justos cum peccatoribus, & videtur nescio quid ipsis peccatis attribuere, quasi ad justitiam proficiant justis. *Mutuabitur peccator, inquit, & non solvet: Justus autem miseretur & tribuet.* Recordemur hic alterius sententiæ, ubi ait: *Ex iniquitate & usuris redimet animas eorum.* Non est iniquus DEUS, non amat usuras, quomodo ergò redimit animas ex iniquitate & usuris nisi qui peccatorem

S. Aug. lib. 29. de Civ. vit. Dei. c. 3.

S. Bern. ser. de tripl. col.

Arist. Alb. M.

1. Pby. 2. Cor. 4.

S. Ambros. lib. 1. de pæn. c. 13.

Psal. 36.

Psal. 129.

Luc. 19.

Mar Bet.
tin in Ly-
cæo.
Plotin. c. 5

convertendo in Virum justum, ejus iniquitates & usuras transfert in eleemosynas, & æquitatem; Ut quantum mutuatus est peccator & non solvit, quantum iniquè proximo abstulit & non restituit, tantum justus effectus misereatur, & tribuat indigentibus. Ità conversus est Zachæus, qui de se ipso profitebatur: *Dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Sic videlicet per potentiam & misericordiam DEI ineffabilem *diligentibus DEUM omnia cooperantur in bonum*: Et quæ feminaverat in agro animæ inimicus homo Zizania, ex ijs deinde metat justus copiosum triticum meritorum, quasi gloriæ sementem. Profectò ut non nemo eleganter ait: *Maximum à DEO munus homini concessum, ut etiam è malis bona sibi demetat, mala cogat in bonum cedere.* Id vel Ethnicus etiam agnovit Philosophus *maximè potestatis est malis etiam bene uti.* Quasi diceret: Magna virtus est de sterili peccatorum agro producere messè uberem. Sanè non est infœcundior ager, quàm anima peccatoris, qui tamen si velit, potest *malis etiam bene uti.*

Ecl. 15.

S. Aug. in
Enchirid.
c. 100.

V. Frequens apud Theologos est quæstio, cur DEUS, qui est summè bonus, permittat malum, & quidem peccatum, quod est summum malum. Quis Marius fabricaret ensè, quo prænosceret se occidendum vel vulnerandum? Prænoscit DEUS se peccatis offensum iri, quæ tamen, ex divina sua dispositione, non quidem vult, sed permittit relicta homini libertate ut manum extendat sive ad aquam sive ad ignem: *Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam.* Respondet D. Augustinus apud Doctorem Angelicum: *Quod DEUS, cum sit summè*

*summè bonus, nullo modo permetteret fieri aliquod malum, nisi posset ex quolibet malo elicere bonum. Et quidem uti ratiocinatur Alensis : Plus est bonum vel numero vel quantitate, quod elicit DEUS ex malo, quàm sit bonum, quod destruitur per malum. Hoc ut firmemus Exemplis, revocemus nobis in memoriam primorum parentum peccata, quin & Angelorum. In cœlo cecidit Angelus, in terris homo : Quanta inde bona elicit DEUS ! Surrexit altius homo, quàm prius steterat, & per Angelorum ruinam cœteri Angeli solidati sunt in statione sua & confirmati in gratia. Peccatum fuit occasio summi boni, ut incarnaretur Filius DEI : Quia ut Doctor Angelicus cum sua Schola & magna Patrum sequela docet, nisi homo peccasset, Filius DEI factus homo non fuisset. Romæ artifex quidam Scyphum Cristallinum Imperatori obtulisse fertur, sed cum is ei ex manibus excidisset, & humi afflictus in mille fragmina dissilisset, artifex extemplo se inclinans, frustra omnia collegit, & haud secus ac cerea essent, ita rursus artificiosè collegit, ut elegantior fieret Scyphus & diceret Imperator, majore ingenio Scyphum refectum, quàm primò factum. Fragilis homo & vitreus per peccatum in terram cecidit, confractus & dissolutus, quem colligans DEI Filius majore artificio & decore refecit, & Cœlo dignum reddens ad Patris dexteram collocavit: De quo sibi gratulans Ecclesia canit: *O felix culpa, quæ talem ac tantum meruit habere Redemptorem.* Augustinum super hoc differentem audite: *Magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus, & tam sapienter exquisita, ut cum Angelica & humana natura peccasset, id est non quod ille, sed quod voluit ipsa fecisset, etiam per eandem creaturæ**

*D. Thom.
1.2. q. 79.
4. 4.
Alens. 2. p.
q. 94. a. 3.*

*D. Tho. in
3. P.*

*Stengel.
de Judic.
To. 3. c. 58.*

*S. Aug. in
Enchir. sup
cit.*

voluntatem, qua factum est quod Creator voluit, imple-
ret ipse quod voluit BENE UTENS MA-
LIS tanquam summè bonus. Malum videlicet An-
geli juxta & hominis affectatæ divinitatis desiderium
convertit in bonum universi humani generis BENE
UTENS MALIS.

VI. Non adduco peccantes Ægyptios, quorum
 malæ voluntatis effectus fuit salus populi Israëlitici.
 Non revoco vobis in memoriam malos Israëlitarum
 mores, qui condiderunt bonas leges. Non Davi-
 dis Adulterium, quo postmodum ad pœnitentiam
 impulsus, ad majorem virtutem stimulum habuit, &
 magis DEO placuit, quàm ante peccatum. Pe-
 trum Apostolorum Principem considerate, de quo
 ausim dicere cum S. Maximo: *Postquam negavit Do-*
minum fuisse meliorem. Fidelior enim factus est, postquam
fidem se perdidisse destituit atquè ideò majorem gratiam repe-
rit quàm amisit. In Thomam oculos conjicite, qui
 infidelitate suâ universo mundo fidei præbuit argu-
 menta. *Egit namquè (ut loquitur magnus Grego-*
rius) miro modo superna clementia, ut discipulus ille du-
bitans, dum in magistro suo vulnera palparet carnis, in
nobis sanaret vulnera infidelitatis. Magnum credibi-
 lilitatis motivum ejus dubitatione accessit Ecclesiæ,
 Permisit eum dubitare DEUS, *ut unius dubitatio, uni-*
versitatis esset instructio, ut ait S. Leo Papa. De Mag-
 dalena etiam canit Ecclesia, quod fuerit de vase
 contumeliæ in vas translata gratiæ, nunquam fortè
 futura DEI Filio tam dilecta, si non peccasset. Sed
 & latronem in Cruce aspiciat; *Qui Latrocinij damna-*
tionem meruerat, & supplicium, sed cor contritum pœnam
mutavit in Martyrium, & Sanguinem in Baptismum.
 Ait S. Cyprianus. Bellè in rem nostram rationatur

S. Max.
 hom. 4. de
 S. Petro.

S. Greg.
 hom. de S.
 Tbo.

S. Leo Pa.
 ap. Pacci-
 nell.

S. Cypri-
 an. serm.
 de Cena
 Dom.

S. Petrus Chryfologus causam inquirens, cur Pater familias non permiserit ut colligerent servi Zizania, & respondet: *Hinc est quod auctor utraqùe referebat ad messem, id est usquè ad iudicium divinæ patientiæ suæ, & nostræ pœnitentiæ tempus, ut qui se de malo commutavit in bonum, Dominicum deputetur in Triticum, cœlestibus horreis aggregandus.* Et paucis interjectis subiungit: *Cum Ananias videret Saulum, Paulum Dominus tunc videbat: Cum Ananias persecutorem diceret, tunc Dominus prædicatorem sciebat: & cum ille eum Zizania iudicaret inferni: Christus eum vas electionis triticum in Cœlesti horreo jam ponebat.* Observate omnes peccatores, qui gratiæ divinæ lumine illustrati per seriam pœnitentiam crimina eluerunt, Deoque deinceps firmiter adhæserunt, animadvertetis eos post lapsum & solidiores in fide, & ferventiores in DEI servitio, & animosiores in lucta, & ditiores in meritis evasisse. Unicum par vobis ob oculos statuat, cujus exemplo animemini ad salutarem Zizanicum in triticum, peccatorum in actus virtutum metamorphosim.

VII. Aglais Romana mulier, in qua nobilitas, forma & divitiæ deprimatu certabant, & laudem mereri poterat, si virtus accederet: hac verò exclusa locum cessit libertati vivendi, unde facilis in omnem peccandi licentiam ruina fuit. Rara est concordia formæ, atquè pudicitæ, cum in malum pronos nullus refrænât moderator. Habebat hæc in familia sua bonorum procuratorem Bonifacium, solitum cæteroquin benefacere omnia, nisi quod petulanti Dominiæ nimium obtemperans esset ad illicita: par Josepho futurus nisi pro pallio se teneri pateretur. Multi jam anni abjerant fœcundi lolio & Ziza-

S. Pet.
Chrysol.
ser. 97.

Sur. ex
Metaph.
S. Iunij.

Zizanijs scelerum, ut nullus, qui hoc par nossët, bonam auderet sperare messëm. Sed Deus, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, hæc vasa contumeliæ designabat in vasa gratiæ. Vigebat eâ tempestate Christianorum persecutio, & sacrilegus passim simulacrorum cultus exquisitissimis tormentis imperabatur. Multæ fortissimorum athletarum myriades execratæ impia sacra, fidem Christi effuso sanguine per varios cruciatus testabantur. Audiit totus orbis invictam Martyrum constantiam, & nescio, quo casu fama etiam ad Aglaidem pervenit. Quidquid fœminæ desiderant, vehementer desiderant. Accensa desiderio colligendi sacra Lipsana, cum ad id muneris nullus aptior aut fidelior Bonifacio videretur, sic eum remotis arbitris allocuta est. Quid agimus frater, volutamur in cœno, dum alij cœlum rapiunt. Scelera nostra creverunt usquë ad summum, nec aliud nobis expectandum superest, quàm ut pro tribunali divini Iudicis pœnalem excipiamus sententiam. Memini audissë magnis eos à Deo donari gratijs, & in spem certam Beatitudinis assurgere, qui testes veræ fidei pro Christi nomine per tormenta extinctos, sanctos Martyres dico, venerantur. Quinigitur & nos de tutelaribus solliciti, comparamus nobis eorum pignora, si fortè cultu illis exhibito, misericordes Dei oculos mereamur? Nunc tempus, est ut ostendat meus Bonifacius quo in me feratur affectu. Multi in exteris regionibus

Pro Christo subeunt pulchram per vulnerya mortem

Vado & omni studio conare aliquid è sacris lipsanis conquirere, quibus ædes sacras statuamus, & honorificè depositis ceu servatoribus venerationem debitam exhibeamus. Nihil Bonifacius hæctenus negare con-

confueverat Aglaïdi, nunc verò & ipse Martyrum gloriosa famâ stimulatus procurrit ad imperia, aurum, sindones, unguenta pretiosa capit, ut pretio redemptus reliquias decenter componat, Dominae relaturus: â qua digrediens joco an vaticinio ait: Quid si ô Domina spe tua frustrareris, & lipsanorum loco meum corpus exanime reciperes? J, ait illa, DEUM oro ne mea delicta respiciat, tibi que addat comitem, ut cum Thesauro optato revertaris. Proficiscitur ergo Bonifacius ipsâ memoriâ SS. Martyrum quasi alius, & secum ratiocinatur: quanta sunt quæ malè egi! qualia sunt quæ meis impuris manibus referre cogito? &c. Ergo deposita nimiâ corporis curâ DEUM jejunijs & precibus assiduis sibi conciliare studet, Tharsum venit Martyrum fertilem civitatem, ubi ne quidem absterso itineris pulvere, comitibus relictis ad sarcinas, eo properat ubi Martyres decertabant, quorum una vox erat Christum verum DEUM esse. Exarsit illicò Bonifacij animus ad pares pugnas, & accurrens ad Martyres quorum viginti erant, singillatim eos amplectitur, & magna voce proclamat: *Magnus est DEUS Christianorum.* Citatus extemplo ad iratum Præfidem, negat se idolis Thura sacrificaturum, promissâ, minas, carnifices, cruciatus ridet. Suspenditur ergò pedibus, cæditur fustibus, virgis, flagris, ut detecta carnibus ossa conspicua essent. Immotus ad illa omnia unum dolebat, se â cæteris Martyribus loco sejunctum. Dato respirandi spatio iterum crudelis Iudex interrogat num Dijs sacrificare vellet: & Athleta: Ego ad Deos accedam? cum vel sola eorum appellatio sit omnibus intolerabilis. Accensior iterum Præses acutissimas arundines intra ungues infigi mandat, liquidum

plumbum in os infundi. Tam immani decreto excitatus Bonifacius, manus in sublime attollens oravit: *Domine JESU CHRISTE, qui me cæteris tormentis reddisti fortiolem, nunc quoquæ ades, & palam ostende te mihi opem ferre ad versus sathanam & sathanæ Ministrum Præsidentem. Vos quoquæ fortes milites, qui me exemplo vestro animatis precibus juvate certantem.* Acclamaverant illi & victoriam finemquæ Martyrij precabantur. Clamorem subsecuta tota populi multitudo, & in hæc verba erupit: *Magnus est DEUS Christianorum: magnus es Rex Cbriste:* & mox impiam aram everunt, Præsidentem lapidibus persequuntur, qui tam periculosæ grandini se subducens relicto Theatro domi asylum quæsit. Postero die Præsides armatior in theatrum prodijt, Bonifacium frustra conatus in suas partes pertrahere. Lebetem ergo pice impleri, flammam subijci, & athletam imponi præcepit. Sed contra DEUM nulla vis prævalet. Renovata Babylonicæ fornacis miracula. Angelus Domini de cælo lapsus Bonifacium in bulliente pice servavit illæsum, & flammam in adstantes carnifices excutiens eos consumpsit. Nequæ tamen Tyrannus hoc spectaculo sapuit, sed Martyri caput amputari iussit, qui postulata à DEO peccatorum venia cervicem præbuit, è qua lac una cum sanguine fluxit. Eo prodigio rursus quingenti quinquaginta viri Christo dedere nomen. Sic Bonifacius, ut de eo loquitur

B. Petrus Dam. ser. de S. Bonifac. *B. Petrus Damiani: Stipula tartari, cedrus factus est Paradisi: torris inferni, factus est splendidum sydus Cæli. Ut nemo de miseratione divina desperet, quæ Zizania in triticum, corvos in columbas, scortatores in Martyres transformat. Comites Bonifacij eorum quæ gesta erant ignari pridie relicti in hospicio, per omnem eum*

eum interea civitatem quærebant, rati eum per popinas, & lupanaria ubi consueverat divagari, donec in Commentariensem inciderunt, ex quo eum Martyrem effectum cognoverunt, & ad locum Martyrij deducti caput revulsum à corpore contemplati sunt, quòd novo miraculo eos non tantum in stuporem, sed & virtutis divinæ admirationem impulit. Nam apertis sensim oculis Martyr eos intuitus est placide & amice loquentis speciem præferens, qui cum lacrymis & magna animi lætitia ejus sacra Lipsana collecta pretioque quingentorum aureorum à barbaris redempta in patriam revexerunt. Dum Romam appropinquant, jam etiam Aglaidem DEUS respiciebat, missò Angelo prænuncio, qui moneret, ut quem famulum scelerum complicem dimiserat, reciperet Dominum & fratrem Angelorum, futurum custodem animæ, & vitæ tutelarem, processit igitur cum Clero & Civibus obviam Martyri, eique sacram ædem ingenti sumptu erexit, in qua conditus multa mira patravit. Inter quæ primum quod ipsa Aglais, tota alia à se facta sit. Nam distributis opibus in pauperes, de cætero honestè, & ex virtute vixit, cumque per annos quindecim asperrimum vitæ genus egisset, sanctè obiit, ipsa quoque miraculis illustrata.

VIII. Quis hic non obstupescat bonitatem Dei & misericordiam infinitam, qui de veneno serpentis facit spirituale antidotum, ut quod venenum, est medicamentum fiat. Qui implet quod vult *BENE UTENS MALIS*, tanquam summè bonus. Quis non merito cum S. Basilio ex hac mutatione dexteræ excelsi deducat illam sequelam. *Nemo de homine in vitio constituto desperare velit, baud nescius agriculturam stirpium qualitatem mutare: curam autem & studium*

S. Basil.
hom. 2. in
Hexaëm.

in consequendis virtutibus animi omnes vincere morbos superareque posse. Experientia docet etiam in patria nostra sæpenumerò accidere, ut qui filiginem seminaverit, triticum metat: tam verum est *agriculturam stirpium qualitatem mutare.* Quanto convenientis id de cultura animi sperandum & elaborandum est, ut Zizania vertantur in triticum, vitia transeant in virtutes, peccata meritis permutentur.

S. Petrus
Crysost.
ser. 97.

Quod hodie erat Zizania (inquit Chrysòlogus) cras in triticum vertitur: sic hodie, qui ad præsens peccator cernitur, ad futurum justus assistit. Quod nobis etiam præstare velit per infinitam misericordiam **DEUS BENEUTENS MALIS** tanquam summè bonus: præstabit autem si per seriàm pœnitentiam conversi ipsum dilexerimus. Nam dili-

gentibus DEUM omnia cooperantur in bonum.





DISCURSUS XI.

Dominica VI. post Epiphaniam.

Gigantomachia.

T H E M A.

Simile est regnum Cœlorum grano Sinapis. *Matth. 13.*

S Y N O P S I S.

- I. Minora plerumque magnis præstantiora, & ipse Deus infirma eligit ut confundat fortia. Ex quo patet cur Christus regnum cœlorum comparet grano sinapis.*
- II. Non tamen caret mysterijs, quod vastissimum tam minuto grano comparetur, cum regna mundi rebus magnis assimilata sint. Mirabile granum quod cœlum comprehendit.*
- III. Quid verò per regnum cœlorum hoc loco intelligatur, non concordant Patres. Potiores Ecclesiam designant, in quâ parvitate & humilitate cœlum acquiritur. Mundus à magnis incipit & desinit in minima, Deus à parvis ducit ad magna.*
- IV. Mundani imitantur Geographos, qui punctum terre dividunt in regiones, urbes & oppida; Dei amatores autem imitantur Astrologos, qui ampla cœli spatia distinguunt stellis seu punctis, hi cœlum, illi terram contemplantur.*
- V. Illi aberant vias Gigantum, id est superbiorum, qui cœlo bellum audent indicere, iniquitatem habent pro equitate, omnes alios despiciunt, omnes calcare volunt: soli omnium elementorum Domini esse contendunt.*
- VI. His minatur Deus per Prophetam seu imitatoribus Esau, qui in primogenitura gloria-batur: illi enim etiam crepant suos natales. Estimanda nobilitas sed cui virtus iuncta.*

lioqui licet inter sidera nidum,
licet ut Aquila inde detrahatur.

VII. Talibus insidiatur Assur seu
grassator tempus odax Smors,
& quos extollit superbia, hos
fulminat vindicta, quæ humi-
les attollit, ut accidit Epuloni
& Lazaro.

VIII. Non abs re superbia nomi-
natur radix mali omnis, quia
omnia post se vitia trahit, &
facit sequaces suos filios diabo-

li, quos fulminat Deus ut Lu-
ciferum

IX. Errat ergo mundus qui ma-
gna estimat, quæ parva sunt.
Nam magna sunt coram De-
o quæ humilia, & non patet cæ-
lum nisi humilibus. Parvuli sunt
Filij Dei & expugnant cælum,
quod expugnare Gigantes non
possunt. Et signum predesti-
nationis est humilitas, reprobationis
superbia.

Simile est Regnum Cælorum grano Sina-
pis. *Matth. 13.*

I.



Cum fertur vulgò proverbium: Ma-
gni Pisces deglutiunt parvos, & à
magnis Gigantibus facilè opprimun-
tur pumiliones. Ego verò (quid-
quid mundus obganniat) securus di-
co: Parvi Pisces deglutiunt magnos,

& à pumilionibus superantur Gigantes. Addo in-
super, magnæ naves magnis naufragijs, magnæ
ædes magnis ruinis, magnæ turres magnis flumini-
bus obnoxia sunt. *Nihil tam magnum cui periculum
non possit esse à minimo*, ait Scribanus, Ars & natura
triumphat in minimis. Plus sæpè virtutis est in par-
vis quàm magnis: Difficilius ponuntur leges minu-
tis quàm grandibus: Equi, Leones, Tigrides, Ursi
domari possunt; Muscæ, Culices, pulices parva ani-
malia coërceri non possunt: Et multa parva etiam
in pretio comparata majoribus præponderant. Un-
de procul aberrat mundus, qui nihil æstimat, nisi
quod magnum apparet, omnia despicit quæ parva

Cum

*Scriban. in
Politico
Christia.*

Cum universa ea, quæ maxima sunt mundi, coram DEO parva sint, & quæ mundo abjecta, coram DEO eadem pretiosa. Amat DEUS pusillos, quos mundus ridet. Nempe *infirmam mundi elegit DEUS, ut confundat fortia; Et ignobilia mundi Et contemptibilia elegit DEUS, Et ea quæ non sunt, ut ea quæ sunt, destrueret.* Ex qua veritate ratio elucescet, ob quam in hodierno Evangelio CHRISTUS benedictus Regnum Cælorum affimilaverit grano sinapis. *DEUS autem noster Et mihi dicendi gratiam, Et vobis audiendi desiderium donare dignetur.*

1. Cor. 1.

S. Pet.
Chryf. ser.
96. ju.

II. Quod Servator noster Cælum comparet grano sinapis non caret magnis misterijs. Etenim si spectes magnitudinem, quæ proportio granuli ad immensum Cæli habitaculum, quod Theologi admirari malunt quam metiri? Sunt, qui ejus amplitudinem definiant milliaribus 10314085710. latitudinem verò 3600000000. Est qui dicat: Si DEUS ê singulis arenæ granis, quæ litus marinum stipant singulos crearet orbes terrarum, ij tamen immensa, Cæli spatia non explerent. Illud certum: *Magna est Domus DEI, Et ingens locus possessionis ejus.* Si verò Cæli dignitatem, & proprietates consideres, tantò mirabilius accidet, cum tam minuto semine comparari. Nihilne fuit inter omnia creata cui Cælum potiori jure potuisset conferri, quàm granum sinapis? Regnum Nabuchodonosoris comparatur Arbori magnæ: Regnum Alexandri cedro proceræ: Regnum Romanorum excelsi monti, & Regnum Cælorum simile est grano sinapis? Adeonè præstans & nobile hoc granum est, ut totam potentiam supernæ Dominationis includat? *Illud Regnum (ut loquitur Chryfologus) singularitate potens, Et æternitate felix, divi-*

Baruch. 3.

S. Pet.
Chryf. ser.
98.

divinitate fulgens, diffusum toto Cælo, totâ terra dilatatum in grani sinapis coarctat, & concludit angustius? DEUM immortalem! pro quo tota vita laboramus, pro quo calorem & æstum, pauperiem & nuditatem, opprobria & contumelias, persecuciones & adversitates toleramus, est granum sinapis? Quid agitis Eremicolæ? Multorum annorum jejunijs, abstinentijs, mortificationibus, vigilijs, orationibus, nihil aliud obtinere desideratis quàm unum granum sinapis? Quid agitis Martyres, qui crudeles perferitis carnificinas, exquisita tormenta, intolerabiles cruciatus: Nihilne ampliùs vobis promissum est, quàm granum sinapis? Quid agitis Virgines, macerando carnem, resistendo tentationibus, respuendo voluptates: Tantine est unum granum sinapis, ut vestræ continentiæ laureola censeri possit? Quid agitis viri Apostolici, qui dies & noctes, per devia & avia, per sèntes & tribulos, per saxa & rupes, per inhospitas & barbaras regiones discurritis: Mille sudores & molestias, mille difficultates & pericula, mille incommoda & adversitates sustinetis, ut animas ad ovile Christi reducat, quæ una vobiscum aliud sperare non possint, quàm unum granum sinapis? *Hoc* illud est, quod, ut Apostolus protestatur, *nec oculus vidit, nec auris audi-vit, nec in cor hominis ascendit?* O granum mirabile, & longè mirabilius, quam annulus Pyrrhi, in quo novem Musæ ad vivum sculptæ: Mirabiliùs quam currus Myrmecidis sub ala muscæ absconditus: Mirabiliùs quàm Ilias Homeri inclusa nuci! granum mirabile quod continet omnem cœlorum immensitatem & beatarum mentium capacissimum Domicilium, de quo præfatus Chryfologus: *Hoc minimum DEI, tota magnitudine mundi magnificentius invenitur.*

III. Discordant Patres quid hoc loci per regnum cœlorum intelligatur. D. Gregorius, & cum eo allegatus Chrysologus, Christum benedictum interpretantur, *qui granum fuit, cum moveretur*. D. Hieronymus, cui consonat Bonaventura ait: *regnum cœlorum prædicatio Evangelij, est, & notitia scripturarum*. Alij fidem signari volunt, ut est apud Lyranum, quo tendunt illa CHRISTI: *Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti huic, transi hinc illuc & transibit*. Communis opinio est, per regnum cœlorum Ecclesiam militantem intelligi: quæ ut loquitur Dionysius Carthusianus, in principio suo contempta, & numero parva, crevit in populum infinitum, sed cum Ecclesia ex multis constet, ad singulos spectat quod dicitur de omnibus: atque adeo ex hac similitudine elicitur fideles assimilari grano sinapis propter parvitatem, ut discant parvitate & animi demissione cœlum consequi. Hunc sensum reor fuisse Didaci Stellæ, qui aiebat: *Dei opera humili principio oriuntur, sed gloriosum habent finem. Ecce hic granum parvum sinapis crevit in arborem magnam, & humilis Ecclesia nimis exaltata est. Mundus omnia sua splendide incipit, sed in fine decipit*. Quasi diceret: mundus erat, qui magnum reputat quod non est magnum, qui fastu, ambitione, superbia, cupiditate terrenorum se putat in cœlum posse conscendere, ad quod accessus non patet nisi per humilitatem.

IV. Mundi amatores imitantur Geographos, qui parum de cœlo solliciti, terram (quæ respectu cœli pusilla est ac instar puncti) dividunt in regna, provincias, urbes, oppida, montes, valles flumina &c. & magnæ vanitatis mappas extendunt. Nam & hi suas possessiones, suos honores, titulos, officia,

D. Greg.
in late.
Chrysolo.
cit.

D. Hieron
in Matth.
Bonavent
in Luc.
Theoph. in
Matth.
Lyan. in
Matth.

Dion. Carthuf.
in
Matth.

Did. Stellæ
in c. 12.
Luc.

in longum latúmque ampliant , & per hæc se putant
 cælum expugnare. Econtra Dei amatores , humi-
 les & terrenorum ofores Astrologos agunt , qui cœ-
 lum per ampla spatia delineant, idque planetis, stellis,
 & syderibus largè distinguunt, terram pro puncto
 habent, & seipsos tantidem æstimant quanti granum
 Sinapis. Et hi sunt parvi spiritu , virtute magni,
 quibus promittitur regnum cœlorum : *Beati paupe-
 res spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Non
 promittitur ambitiosis, superbis, inflatis, arroganti-
 bus, alta sapientibus, sed pauperibus spiritu, id est hu-
 milibus. Hinc monet Augustinus : *Excelsa est pa-
 tria, humilis est via, ergo qui querit patriam, quid recusat
 viam.* Posside quod vis, accumula thesauros quan-
 tum vis, consequere honorem quem vis, subijce tibi
 mundum uniuersum, si cares humilitate, viam ad cœ-
 lum nescis.

V. CHRISTI doctrina est : *Nisi efficiamini sicut
 parvuli non intrabitis in regnum cœlorum.* Qui hanc
 doctrinam non sequitur, aberrat à Cœli via, quo vi-
 detur sapiens respexisse cum dixit : *Vir qui erraverit
 à via doctrinæ, in cœtu gigantum commorabitur.* Ut
 hunc textum explicemus oportet in memoriam re-
 vocare ea, quæ tunc sacra scriptura, tum profani My-
 thologi de gigantibus referunt. Gigantes nomi-
 nantur in Genesi ante diluuium : *Gigantes autem erant
 super terram in diebus illis : isti sunt potentes à seculo viri
 famosi.* Magnos credo hos fuisse non tam corpore ,
 quam divitijs, nobilitate, honoribus, æstimatione se-
 culari, quales hodie Magnates dicimus dominium ex-
 ercentes in homines fortis inferioris & humilis, quo-
 rum subinde aliquos reperias giganteo robore abuti.
 Gigantes porrò dū nimia elati superbiâ & ambitio-

Matth. 5.

Aug. ad
Dioscor.

Prov. 21.

Gen. 6. v. 4

ne contempserunt infra se positos, & ipsum adeo spreverunt DEUM, eique detrectarunt obedire, subministrarunt occasionem Poëtis comminiscendi gigantes, sic dictos, ut Orpheus canebat.

E terra quod sunt nati, & de sanguine Cœli

Quamvis Apollodorus solius Terræ Filios fuisse tradiderit, qui in odium Jovis geniti Ossa & Olympum montes imponere Pelio conati sint, ut in Cœlum ad expugnandum Jovem conscenderent, quin & faxa ingentia in Cœlum jactaverint, quorum alia, quæ in mare deciderunt, novas formarint Insulas, quæ verò in terram, novos montes. Latet sub hac fictione veritas, nec alios gigantes exprimit, quam superbos & ambitiosos, quibus pertinax & insita in animo cupiditas dominandi, & omnia sibi substerrendi neq; consilio neq; rationi cedit, sed in omnem perversitatem impellit, atque adeo ipsi DEO injurios efficit. Unde Mythologus: *Hi ut imprudentes, & crudeles & temerarij, qui nihil honestum esse putarunt, nisi quod placuisset, vel Jovem ipsum de Cœlo depellere ausi sunt. Id ego nihil aliud esse crediderim, nisi imprudentes homines, quibus libido & impetus animi dominatur, Deos omnes contemnere, ac pro suis viribus religionem evertere.* Genuina profectò effigies superborum, & in hoc mundo potenter impotenti animi audacia dominantium; quibus jus fas, æquum iniquum paria sunt, montes montibus, titulos titulis, possessiones possessionibus, quos plerunque à montibus denominare solent, aggerunt, contemptores omnium, etiam ipsiusmet DEI. Plebejos & humiles ne oculo quidem dignantur, reperias subinde inter hos qui subditos, pupillos, viduas suâ substantiâ spoliant, & soli non tam omnia esse quam habere volunt; sibi

*Orph. lib.
8. sac. ser.*

*Hom. in
Odyss.*

*Nat. com.
lib. 6. c. 21.*

tamen omnia elementa tributaria faciunt. In aëre soli aucupes, in aqua soli piscatores, in terra soli venatores, nec ignem quidem pauperibus favent, dum ignis nutrimenta cædua è sylvis ligna eripiunt. Quid hoc est nisi Cælo bellum indicere, jactare in altum saxa, & in DEUM blasphemias: *Errare à via doctrine, & in cœtu gigantum commotari.*

VI. Quid de his dicemus nisi quod DEUS per Abdiam Prophetam pronuntiavit de Edom? *Hæc dicit Dominus de Edom ecce parvulum dedi te ingentibus: Contemptibilis tu es valde. Superbia Cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum.* Per Edom quod rufum sonat signatur Esau arrogans, & superbus contemptor fratris, vel ideò contemptibilis & contemptus à DEO: *Quia odibilis coram DEO est, & hominibus superbia.* Unde insuper audire debuit terribilem illam comminationem: *Si exaltatus fueris ut aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum inde detraham te.* Superbia Edom sive Esau ortum habuit ex primogenitura: Despiciebat fratrem Jacob ut posterius genitum, hinc dicitur *habitans in scissuris petrarum*, & ideò *exaltans solium suum*, quasi intumescens ob primogenituram, fiduciam omnem & gloriam collocans in petris, id est generationis prærogativa, & nobilitate. Petra enim in Scripturis præter alia etiam significat principium generis, unde ad Judæos dicebat Isaïas: *Attendite ad petram unde excisi estis: Attendite ad Abraham Patrem vestrum.* Ita nonnulli (non enim omnes reos facio) & ferè nuperis Calendis aureis literis in Album Nobilitatis inscripti, cum divitijs, opibus, titulis, clientelis, honoribus, sublevantur, inferiores omnes affectato fastu despiciere & contemnere solent. Ma-

Abd. 1.

Ecc. 10.

Abd. cit.

Isa. 51.

gnis buccis, ut milites Plautini, crepant avorum imagines, acquisitos titulos, honorum & bonorum accrementa, ingentes hæreditates, cum proprijs intereà meritis destituuntur. Sapiientis Senecæ efatum est: *Si ad vetera revocas, nemo non inde est, ante quod nihil fuit. A primo mundi ortu, usque in hoc tempus perduxit nos ex splendidis sordidisque alternata series. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus: Nemo in nostram gloriam vixit: Nec quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacunque fortuna supra conditionem licet surgere.* Parcant qui hoc morbo laborant, & Gigantomachiaë student, veritatem professio: Id optima facio intentione obtemperans Plutarcho monenti: *Maximè amicis libero ore loquentibus opus esse ei, cui fortuna est prospera, qui nimios retundant Spiritus. Pauci enim sunt, qui non successibus letis insolescant: Plerique indigent aliorum externis consilijs, rationibusque foris eos deprimentibus à fortuna inflatos & æstuantes.* Aestimo & revereor (ut par est) nobilem Sanguinem, & fateri cum Bettino: *Non abrueverim virtuti ipsi ab externo nobilitatis lumine, nescio quid ad blandientis decoris accedere.* Sed nihilominus cum eodem pronuntio. *Ut qui suis diffusi viribus, ad Divorum aras confugiunt, sic qui sine virtutibus ad generis nobilitatem.* Est illa ad præclara facinora illicium, est stimulus ad æmulandas majorum virtutes, & magna gloriosæ vitæ prærogativa, sed ubi virtus & præsertim animi modestia defecerunt, est evidens ad præcipitium via. Quia

-- -- -- tolluntur in altum

Ut lapsu graviore ruant.

VII. Multos invenies, qui succrescentibus fortunæ plumis imitari conantur volatum Aquilæ,

Sen. Ep.
44.

Plutarch.
com. de a-
dulato. &
amico. n.
63.

Bettin. in
Lycæo.

Abd. cit.

Job. 39.

& inter sidera se credunt collocare nidum: Sed repente audiunt: *Si exaltatus fueris ut Aquila, & si inter sidera posueris nidum tuum, inde detrabam te.* Aquila tametsi altissimè volet, acuto tamen visu Cadavera & vermes despicit, seque subitè ad ea velut escam demittit, ubi Jobus attestatur: *In petris manet, & in filicibus commoratur atque in accessis rupibus. Inde contemplantur escam, & de longè oculi ejus prospiciunt, & ubicunq; cada-ver fuerit, statim adest.* Ita hi tum in petris suæ profapiæ velut firmis, ut existimant, munitionibus commorantur, non sapiunt tamen cœlestia, non elevant oculos ad superna, non meditantur divina, non anhelant æterna gaudia, sed inhiant transitorijs, terreis, mundanis: Ad vermes, ad cadavera, ad miseros subditos respiciunt, non ut eos sublevent, sed deprimant; non ut juvent sed conterant, non ut foveant, sed substantias eorum absumant, iisque præter nuda ossa relinquunt nihil. Non tondent oves sed deglubunt. Ah non est hæc ad Cœlum via! sic volatur quidem in altum sed instar Icarj; sic oppugnatur quidem Cœlum, sed more Gigantum, irritò & pernicioso conatu oppugnatoribus. Terræ Filijs non est in Cœlo locus.

Num. 24.

VIII. Non vacat mysterio locus in sacris literis, ubi Balaam de Cinæo parabolicè prophetat: *Vidit quoque Cineum, & assumpta parabola, ait: Robustum quidem est habitaculum; sed si in petra posueris nidum tuum & fueris electus de stirpe Cin, quamdiù poteris permanere? Assur enim capiet te.* Cinæus, ut observat Ridera, dicitur Hebræis à possessione, & possessores divitiarum ac honorum designat, qui cum petra, & in illustri progenie nidum ponunt, & cre-

dunt

sunt se habere robustum habitaculum, falluntur, quia nihilominus hoc eorum habitaculum nidus tantum est, ventis & imbribus dissipandus. Nam *Assur*, id est grassator, capit eos, tempus edax, & mors vorax, quæ omnes æquat. *Iste moritur robustus & sanus, dives & felix; alius vero moritur in amaritudine animæ absquæ ullis opibus, & tamen simul in pulvere dormient, & vermes operient eos*: Inquit Job. in quem sensum etiam Seneca: *Æquat omnes cinis, impares nascimur, pares morimur. Mallem dixisset pares nascimur*, ad veriorem sensum Ambrosij qui aiebat: *Viri probati genus, virtutis est profapia. Quid enim superbis dives? Quid dives? Quid dicis pauperi, noli me tangere: Nonne sic utero conceptus, & natus es ex utero, quemadmodum & pauper est natus? Quid te jactas de nobilitatis profapia? Simili ferè sensu D. Basiliius: Luxu profusiore divitiarum insolescis? Tibi uni mirè places ob avitæ gentis claritudinem? Immodico gaudio subsilis ob patriæ claritatem? ob elegantiam decusque corporis, denique ob honores ab omni omnium gradu tibi exhibitos? Attende tibi ipsi: Mortalis enim tu; terra quippe es, & in terram abibis. Moyses narraturus Genealogiam Noë sic profatur: Hæ sunt generationes Noë. Quis hic non expectet Noëni Patrem, Avum, Abavum, Lamechum, Mathusalem Enochum! Ipse Chrysostomus velut audiendi avidus: *Aures nostras spe implet quasi genealogiam narraturus. Verum relictis his omnibus, hoc unum ait: Noë vir justus atque perfectus, quia videlicet coram DEO viri probati genus virtutis est profapia. Avorum merita degenerantium nepotum maculæ sunt: nunquam illi fuissent nobiles, nisi laude & gloria digna egissent. Tu si non imitaris, degeneras. Quare quisquis es, qui tibi in**

Job. 21.

Sen. Epist.

S. Ambros.
To. 4. pag.
283.D. Basil.
hom. at-
tende tibi.S. Chrysost.
ap. Drex.
Noë cap.
5. §. 1.

majo-

majorum præclaris facinoribus blandiris, proprijs destitutus, cogita, quod, quos in alto collocat superbia, hos fulminat in profundum DEI potentia, & quos ad ima deprimit propria modestia, hos subleuat divina majestas, quæ *deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Qui in hoc sæculo despiciunt pauperes, in futuro despicientur ab illis: Qui dum vivunt substantiam miserorum tollunt, post vitam & suâ carent & alienâ: Quod accidit diviti Epuloni cum Lazaro. Jam dives prospectat ex inferno Lazarum, & Lazarus è sinu Abrahæ despectat Epulonem. Quam verè dixit Michæas Propheta: *Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriarunt: Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos, clamat adhuc epulo, & non exauditur.*

Michæ. 3.

XI. Non abs re nominatur superbia *fontis & radix omnis mali & regina omnium vitiorum*, ut loquitur Hieronymus, quia ad hanc consequitur, quod contemnatur DEUS, despiciantur humiles, nudentur suis facultatibus, spolientur vitæ subsidijs: Ad hanc consequitur invidia, ira, avaritia, ventris ingluvies, ut idem Hieronymus disserit. Et S. Chrysostomus; *Ex superbia (inquit) nascitur pauperum despectus, pecuniarum concupiscentia, amor principatus, multa desiderium gloriæ.* Et post pauca subdit: *Nulum malum par elationi. Hominem reddit Dæmonem, blasphemum, contumeliosum, perjurum, cupidum cædium, & homicidiorum.* Quid mirum si superbia hominem reddit Dæmonem, cum etiam ex sapientissimo Angelo stultissimum effecerit Dæmonem. Unde is qui dicebat: *In Cælum conscendam, super astra DEI exaltabo solium meum*, postea audiit: *Ejeci te de*

*Hieron:
in Marc.*

*S. Chryf.
hom. 43.
ad pop.*

Ysa. 14.

de monte Dei, & perdidit. at : Quomodo cecidisti de cælo Ezech. 28.
Lucifer qui mane oriebaris. In hunc superbum Enceladum justè fulmen contorsit Jupiter, cumque sub Æt-
 na, quæ dicitur cæli vestibulum ignes tartareos evo-
 mens sepelivit. De hoc Jobus : *Omne sublime videt ;*
ipse est Rex super omnes filios superbiæ. Ad quæ inten-
 tum oculum habuisse videtur Augustinus cum scri-
 beret : *Quemcunque superbum videris, filium diaboli esse*
non dubites. Qui per superbiam efficitur filius dia-
 boli, in ruina est comes diaboli : fulminat DEUS quos
 tonat superbia.

Iob. 41.

S. Aug. ser.
7. de verb.
Dom.

X. Errat, errat mundus, qui ea, quæ parva sunt
 magna credit : errat mundus, qui inani fastu inflatur,
 & DEO bellum indicit ; non superbiâ, sed humilitate
 expugnatur cælum. pumilionibus eo patet acces-
 sus, non gigantibus. *Quid tu ? ignoras arbores magnas*
diu crescere, una hora extirpari ? stultus est qui fructus
earum spectat, altitudinem non metitur. Vide, ne dum ad
 cacumen pervenire contendis, cum ipsis ramis, quos compre-
 henderis, decidas. Ajebant olim Scytharum Legati ad
 Alexandrum. *Nempè DEUS superbis resistit, humili-*
bis autem dat gratiam. Quod ipse DEI filius nos tam
 exemplo quam verbo docuit : exemplo : *Quia exina-*
nivit semetipsum formam servi accipiens : Verbo quia
 dixit ad Apostolos : *Nisi efficiamini sicut parvuli non*
intrabitis in regnum Cælorum. Expugnari debet cœ-
 lum, & per violentiam occupari, sed non sunt illi ad-
 versus cælum violenti, qui violentias exercent in
 terra, violenti, qui cælum rapiunt, sunt parvuli, sunt
 pumiliones, hi sunt filij DEI, cum viceversa superbi
 sint filij diaboli. Ex quo Theologi hanc deducunt
 consequentiam, superbum nisi maturè resipiscat, sal-
 vari non posse : verè humilem spiritu & trementem

Q. Curt.
lib. 7.

Matth. 18.

Fernandi
in cap. 3.
Gen. 14.
Secc.

sermones DEI damnari vix posse. Prædestinationis signum est humilitas, reprobationis superbia. Unde nonnemo: *Tam grata est (inquit) Deo humilitas, ut salvari nolit nisi humiles, reprobare verò nisi superbos: palam enim dixit: nisi efficiamini sicut parvulus iste non intrabitis in regnum cælorum.* Agit in cælo DEUS quod agebat Æsopus ad Chilonis quæsitum: *Humilia exaltat, alta humiliat:* & sicut exaltavit Mardocheum, depressit Amanum; honoravit Josephum, humiliavit fratres: exivit Michaëlem, deiecit Luciferum, ita paratus est omnes pauperes spiritu & humiles cum suo filio exaltare: sed cum Lucifero omnes filios superbiæ in abyssum præcipitabit.





DISCURSUS XII.

Dominica in Septuagesima.

Otium Negotiosum.

T H E M A.

Quid hic statis tota die otiosi? Ite & vos,
Matth. 20.

S Y N O P S I S.

- I. Nulli magis laborant, quam qui non laborant, & nemo magis negotiosus quam qui otiosus.
- II. Adamo peccante DEUS ad sudorem condemnat otiosum vultum non manus laborantes, ut ostendat plus esse laboris in otio quam negotio.
- III. Distinguendum est otium a desidia: Delicati mundi amatores desidiosi sunt, & otium non habent, sed iners negotium.
- IV. Omnes illi sunt stantes in foro otiosi, ut qui finis bonorum ambiunt, qui voluptates sectantur. Ira laboriosa est, crudelitas negotiosa, libido occupatissima, cum econtra in quiete vivant servi DEI.
- V. Unde via iustorum recta est & plana, peccatorum vero circumularis & laboriosa, quia imitantur circulatorem Sathanam.
- VI. Horum ingenium instar rotarum horologij nunquam quiescit, instar mole, que assidue circumvolvitur.
- VII. Sampson ad molam damnatus mundanos representat, qui nunquam quiescunt, DEI amici quietem habent, que dicta est, quasi qui tibi es.
- VIII. Ixion apud Poetas ambitiosorum est typus; & Helio-gabali anlici, qui sublatis per rotam deiciebantur in aquam.
- IX. Agnoscamus ergo mundanum otium esse verum negotium, malaciam maliciam, delicias delicia, & jugum Domini portemus, qui hactenus stetimus tota die otiosi.

Quid hic statis tota die otiosi? Ite & vos.

Matth. 20.

I.



Tium vivi hominis sepultura est, & mors ante mortem: Quod agnoscens sapiens Seneca cum Servilij Vatiæ Prætorij Divitis villam, in qua ille ignavo otio vitam agebat, transiret, exclamare solitus: *Vatia hic situs est*, ut de se ipso profitetur: *Exclamant, inquit homines: O Vatia solus scis vivere. At ille latere sciebat non vivere, Multum autem interest, utrum vita tua otiosa sit, an ignava. Nunquam aliter hanc villam Vatia vivo præteribam, quàm ut dicerem: Vatia hic situs est: Non vivit qui sibi soli vivit, & à curis communibus abstractus ignava torpescit desidia. Nemo sibi tantum natus est. Adsciscit in contubernium vitia, qui contubernales non habet, & cui publica emolumenta cordi non sunt, privatis enervatur incommodis: Servit cupiditatibus, qui non servit hominibus. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis & abundantia, & otium ipsius*, ait Propheta. Displicet DEO, otium qui semper operatur: *Pater meus usque modo speratur. Quomodo ergo Servator noster vineam suam elaboraturus hodiè evocat otiosos? Quid hic statis tota die otiosi. Ite & vos in Vineam meam tantine otium facit, ut laboribus suis dignos judicet otiosos? Aut quomodo alibi ad se vocavit laboriosos, onustos oneribus; Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis. Nunquid onera sentiunt etiam otiosi? Bonus Paterfamilias qui*

Sen. Ep.
55.

Ezech. 16.

qui operarios conducit, assiduos & laborum amantes deligit, non otio & ignaviæ deditos? Cur ergo hodie advocantur otiosi, & quidem *tota die otiosi*, tantumdem recepturi quantum alij qui summo mane manus laboribus applicuerunt? Credo ego illos qui mundano Otio intorpescent, vel maximè laborare & magis quàm alios onerari, ut dici possit mundanum *otium*, maximè esse *negotiosum*: Et nullos in mundo majoribus premi oneribus, quàm qui nulla portant onera. Id erit præsentis sermonis thema.

II. Exactus è Paradiso primus homo, posteaquam legis divinæ prævaricatione reus, delicias illas quæ spontanea fœcunditate alimenta corpori suppeditabant, vetiti pomi morsu proegisset, benignum nihilominus expertus est DEUM, qui dum mortem comminatum in longum tempus distulit, necessariam tamen alimoniam non negavit. Latisimus mundi totius fundus illi assignatus est, ex quo sustentaretur eâ tamen conditione, ut sudore sibi comparet victum, quem in statu innocentiae, sine ulla fatigatione habiturus fuisset. *In sudore vultus tui vesceris Pane tuo.* Considerate statum hominis innocentis eumque componite statui peccatoris. Innocens à labore & onere immunis est: Peccator ad sudorem damnatur, & quidem sudorem vultus. *In sudore vultus tui*: Cur non in sudore corporis tui? Homine exercente agriculturam nulla pars corporis æquè vacat à labore, ac vultus, nulla tamen æquè sudat. Inerter otianti vultui adscribitur sudor, cum manus applicantur stivæ, pedes in aratrum impingunt, corpus totum incurvatur & adlaborat. Nempe in ipsa natura peccatrice DEUS laboris signa otio potius quàm negotio, desidiosus mem-

membris non laboriosis imprimere voluit, ut ostenderet plus esse laboris ac oneris in ignavo otio, quam industrio negotio, plus laborare mundanos & peccatores, quam DEI servos & innocentes; adeo ut labor servorum DEI videri possit otium, è diverso mundanorum otium nonnisi laboriosum negotium.

III. Otij nomen apud Latinos in bonam & malam partem accipitur: unde honestum est & laudabile otium literarium, quod vel maximè negotiosum est. Seneca cum Paulino suo disputans otium à desidia & corpore distinguit: *Quorundam otium occupatum est in villa, aut in lecto suo: In media solitudine, quamvis ab omnibus recesserunt, sibi ipsi molesti sunt. Quorum non otiosa vita est dicenda, sed desidiosa occupatio.* Quia scilicet hujusmodi occupatio ad animi cultum, ad proximi utilitatem nihil conducit. Unde excludit ab honesti otij occupatione omnes, qui vanitati student, ac Christianè prorsus differit in hæc verba: *Quid? Illos otiosos vocas, quibus apud tonsorem multa bove transmittuntur? Dum decerpitur si quid proximâ nocte succrevit, dum de singulis capillis in consiliumitur, dum aut disjecta coma restituitur, aut deficiens hinc atque illinc in frontem compellitur? Quomodo irascuntur, si tonsor paulo negligentior fuit, tanquam virum tonderet? Quomodo excandescunt siquid ex juba sua decisum est, siquid extra ordinem jacuit &c. Quis est istorum qui non malit rempublicam turbari, quam comam suam? Qui non sollicitior sit de capitis sui decore, quam de salute? Qui non comptior esse malit quam honestior? Hos tu otiosos vocas inter pectinem speculumque occupatos? &c. Non habent isti OTIUM, sed iners NEGOTIUM.*

Senec. de
brev. vite
c. 12.

Et p̄aucis interjectis describit unum aliquem delicatulum vulgi opinione otiosum, sed revera miserè negotiosum, aut potius ægrum, imò mortuum. *Audio quendam ex delicatis, cum ex balneo inter manus elatus & in sella positus esset, dixisse interrogando: Jam sedeo? hunc tu ignorantem an sedeat, putas scire an vivat, an videat, an otiosus sit? Sc: Non est ergo otiosus hic, aliud nomen imponas: Ager est, imò mortuus est.* Quod de hoc delicato dixit Seneca, de omnibus mundi sectatoribus pronunties:

Idem c. 13.

IV. Percurrè totum mundum, explora omnes qui mundi sectantur cupedias, qui sibi & non DEO serviunt, invenies illos omnes *stantes in foro otiosos.* Quid dixi otiosos? imò vel maximè otiosos, & in sudore vultus sui vescentes pane delicato, ægrotos, ignaros vitæ suæ, & mortuos. Quanta DEUM immortalem ambitiosos exercet cura, inquires, fatigatio, ut lubrici honoris funum attingant! Rectè nonnemo eruditus: *Quantum aestuamus pro gloriolæ fumo! Ut fumus iste exurgat incendia urbibus injiciuntur. Umbra honor est; ut sub hac umbra sedeamus, itur prius in arma, prætexitur telis cælum; sol à ferreis nubibus eripitur: tandem distuimus in umbras maximas vespertinas, in occasum, in mortem!* Alius honorem membranam vocat, quæ scilicet cum tenue sit involucrium, magna abscondit mala, & ingentes operit molestias: *Membrana dignitatis* (inquit ille) *tegit timere, expavescere, securitati diffidere: sat magnam carnificinam tam tenue velamentum operit.* Quid de voluptatum sectatoribus dicam? dum se quiescere putant inquietudine agitantur: dum se laborum expertes somniant, inter labores fatiscunt: dum otiari volunt, ingentibus se se implicent negotijs. Unde quærebat ille: Quid est amor?

Balde in Maximilian.

Bonarfe. in Amphit.

Anim

Balde in
Maximil.

Sen. de
vita bea-
ta: c. 14.

Senec. de
Ira lib. 2.
c. 13.

S. Chrysofost
in Psal.
13.

Thren. 3.

Animi otiosi molestia. Sed quomodo otiosi? & quomodo molestia? quod molestum est perturbat otium, & qui amare incipit desperat otium. Eleganter hoc dictum, sed verius Seneca: Sicut deprehensi mari syrtico, modo in sicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur; ita qui se voluptati tradidere, non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet: Cujus aut inopia torquentur, aut copia strangulantur! miseri si deseruntur ab illa, miseres, si obruantur. Paria dixeris de amatoribus divitiarum, quibus augmentum opum noctes insomnes, dies laboriosissimos parit. Et hos stantes in foro otiosos, quisquam neget esse maximè negotiosos? Sed iterum Seneca in rem nostram universim loquens de omnibus mundanæ vanitatis sectatoribus, eorum studia componens studiis amatorum virtutis: Facilis est ad beatam vitam via. Multò difficilius est facere ista quæ facitis. Quid enim quiete otiosius animi? quid ira laboriosius? quid clementia remissius? quid crudelitate negotiosius? vacat pudicitia, libido occupatissima est. Omnium denique virtutum tutela facilius est, vitia magno coluntur. Quod tam verum est ut nequè SS. Patrum sensum fugerit. Unde Chrysofostomus: Putas, quod peccatores hujus mundi non laborant? Benè enim majores labores & sollicitudines habent, quàm servi DEI. O vitam peccatorum & mundanorum laboriosam! ô negotiosum otium! ad quod fortè Propheta respiciens de servo DEI agebat: Bonum est viro cum porta veritatis jugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit, quia lavabit se super se. Jugum hoc illud intellige de quo Salvator dicebat. Jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Non jugum quale suis imponit mundus, non jugum quod portant mundani & peccatores, hoc enim grave & importabile. Unde ad hæc Pro-

Prøphetæ verba S. Thomas de Villanova : *Hæc pars illorum, qui jugum Domini cum gaudio susceperunt. Felix vita, quæ tali expenditur ministerio : cui pro labore quies, pro opere otium, pro negotio silentium indicitur. Cæteris dicitur in sudore vultus tui vesceris pane tuo. Monacho nullus labor imponitur, nisi ut non laboret, imò ut quiescat cum DEO suo & tota die delectetur in eo. O præclaram sortem, & vitam dulcissimam, O Paradisum amœnum, cui dulcior alius promittitur Paradisus ! quæ deinde applicat vitæ contemplativæ, quam scilicet confectantur veri servi DEI.*

S. Villan.
serm. de
Assumpt.
B. V.

V. Observo apud Regium Psalterem discrimen viæ justorum & impiorum, qui mundialibus delictijs & otioso negotio inhiant. Iusti rectum capessunt iter non declinantes nequè ad dexteram, nequè ad sinistram ; at verò impij circuitus & ambages sequuntur. Nullus prudens viator, cui longum agendum est iter, longiorem & difficiliorem viam præponit breviori & faciliori. De justis David : *Et deduxit eos in viam rectam, ut irent in civitatem habitationis.* Et alibi orat : *Legem pone mihi Domine in via tua, & dirige me in semitam rectam.* Ubi verò de impijs agit, aliam eorum esse viam ostendit : *In circuitu impij ambulat.* Quis iste circuitus, nisi quod mundani ab una delectatione ad aliam, ab una vanitate in aliam, ab uno otio ad aliud se assiduè versent. Uno lucro acquisito inhiant alteri, unum honorem consecuti, suspirant ad alium ; nec uspiam diu stabiles quasi per circuitum ubique quod appetitum delectet, inquirent, donec fatigati & lassi concidant. Facilis est vertigo in circulum ambulatibus. Hos tu otiosos dices? minimè, sunt vel maximè negotiosi, & in continuo labore. Solet (inquit in hunc locum Gregorius)

Psal. 106.

Psal. 26.

Psal. 71.

S. Greg.

lib. 2. mo-
ral. c. 3.

rius) solet per gyrum circuitus laboris anxietas designari, hinc in circuitu impij ambulant, quia dum interiora non appetunt, in exteriorum labore fatigantur. O malos Philosophos qui probant idem per idem, qui per labores, & committunt circulos vitiosos: imitati circulatorum illum, qui apud Jobum de se ipso jactat: *Circui vi terram, & perambula vi eam.* Circumeunt & illi terram & dum quietem ac otium venantur, labores inveniunt ac lassitudinem. Hortantur invicem: *Venite fruamur bonis, venite coronemus nos rosis, venite circumveniamus justum &c.* cumque perambulaverint terrena omnia, & nullum pratum reliquerint sine vestigio suarum cupidiarum, tamen inviti fatentur: *Lassati sumus in via iniquitatis, & ambulavimus vias difficiles.*

Job. 1.

Sap. 3.

Sap. 5.

VI. Animi humani per varia cupidiarum genera continuis gyris circumeuntis inquietudinem expressurus Academicus, pinxit virum in cuius pectore horologium cum indice horarum circumgyrato, in fronte verò libella suis librata ponderibus, & rotularum cursum temperans assidua inquietudine alternatim in utramque partem movebatur, adjecto lemmate *Nunquam quiescit.* Genuina sanè effigies curarum secularium, quæ in continuo sunt motu, & animum modò huc, modò illuc impellunt. *Bona hujus seculi instabilia sunt,* inquit S. Ambrosius, *& rotarum in morem cum ipso seculo volvuntur.* Et Agapitus in Epistola Parænetica; *Circulus quidam humanarum revolvitur rerum, qui modò sic, modò aliter agit ipsas & circumfert.* Ab una voluptate ad aliam, ab uno honore ad alium, ab uno lucro ad aliud, *ut nunquam quiescat:* & tamen suspicantur hujusmodi se otium & quietem nancisci: Sed quies illorum non est nisi
quies

S. Ambros.
lib. de
Abrab.
Agap. Ep.
Paræn. 11.
11.

quies horologij, sive inquietas continuata. Quod sub alia allegoria proponens S. Chrysofostomus aiebat. *Peccatores equi sunt diaboli, quia diabolus in peccatoribus sedens, instigat eos per fornicationes & avaritias in orbem.* Habentur in quibusdam locis molæ, quæ ab equis in gyrum cursantibus impelluntur. Tales equi sunt peccatores, & cupidiarum mundalium venatores, per fornicationes, per avaritias, per ambitiones impelluntur *in orbem.* Unde S. Paulinus insistens eidem imagini, de peccatore ait: *In semetipso pristini ergastulum portat, farinam hostibus suis de corrupta animæ suæ fruge conficiens.* Nec abludivit ab hoc magnus Augustinus, dum mundum comparat molendino, inquietus: *Molendinum puto dictum Mundum istum, quia rotâ quadam temporum volvitur, & amatores suos conterit.*

S. Chrysof.
hom. 37. in
Matth.

S. Paulin.
Ep. 4.

S. Aug. in
Psal. 36.

Ejusmodi barbaræ servitutis genus sæpè Christiani apud hostes fidei subierunt. Oleaster de suâ ætate memorat: *Solent Saraceni usque hodie captivos, quos de nostris capiunt, ad molas destinare, ut molant.* Quin & S. Augustinus: *Quidam Patres familias honesto loco nati, & generoso cultu educati, vix vivi ablati sunt, vel vincti ad molam, & eam in gyrum ducere tanquam jumenta contemptibilia verberare adacti sunt.* Miseram sortem talium captivorum, sed miserior est peccatoris.

Oleast. in
Cap. 47.
Isai.

S. August.
Epist. 50.

VII. Vultis exhibeam vobis vivum ejusmodi hominum typum in sacro textu? Sampsonem considerate coniectum in carcerem à Philistæis, qui eum *clausum in carcere molere fecerunt.* De peccatore allegatus Paulinus: *stat in via peccatorum compeditus vinctus, & ipse sibi carcer est.* In seipso, in anima sua molam sollicitudinum, afflictionum, inquietudinum cir-

Judit. 16.

cum agit, & dum se putat in delicijs suis quiescere *nunquam quiescit*. Quies dicta est quasi *qui tibi es*. Non effundatur ad extranea qui animi quietem deliderat, in seipsum collectus sit satis ipse sibi, qui non vult in gyrum laboriosum agi, qui non vult molere, & farinam hostibus de corrupta animæ suæ fruge conficere. *Tollite jugum meum super vos*, inquit CHRISTUS, & *invenietis requiem animabus vestris*. Non jugum mundi, non jugum cupiditatum, non molam peccatorum, hoc enim jugum difficile est ac laboriosum; at verò *Jugum meum suave est & Onus meum leve*. Propterea peccata in facris literis passim appellantur labores. Unde Chrysostomus: *Novit Scriptura laboris nomine peccatum significare*. Et alibi idem sanctus ad illa verba Psal- tis: *Labor laborum ipsorum operiet eos*. Sic ait: *Laborem vocat improbitatem; res est enim hujusmodi improbitas: Affert ei laborem, qui eam possidet, etiam ut obruatur efficit*. Nempe ut obrutus labore temporali, perpetuum laborem & onus sentiat.

VIII. Subit hic memoriam labor Ixionis, de quo veteres commentisunt, quod plurium facinorum reus à Jove ad inferos deturbatus sit, ubi rotæ ferreæ alligatus est, cujus motu perpetuo circumvolvitur.

Tibull. l. 1. Unde Tibullus:

Versantur celeri noxia membra rota.

Sub cujus fabulæ involucro illa veritas abscondita est, mundi affectas, honoris & voluptatum sequaces perpetuis doloribus & afflictionibus animi quasi in rotam agi. Mythologus de Ixione. *Cum ex aulica familia Regis ejus, cujus uxorem tentavit, excidisset Ixion: factus est omnium hominum miserrimus, quia perpetua ambitione & invidia scrutiabatur*. Id quoque

attin-

*S. Chry-
sost. in Cat.
Græc. ad
cap. 4. Iob.
S. Chry-
sost. in
Psal. 139.*

*Nat. Com.
l. 10. My-
thol.*

attingens Plutarchus : *Non absurde*, inquit, *neque imperitè in ambitiosos Ixionis fabulam convenire nonnulli arbitrati sunt*, &c : *Nam qui gloria tanquam imagine quadam virtutis alliciuntur*, illi nihil sincerum, nihilque laudabile, sed multa illegitima & absurda agant necesse est, multisque agitationibus ferantur, cupiditatibus & omnibus animorum affectibus obsequentes. Quid mirum si deinde ejusmodi Ixiones Centauros pariant? Quos miretur Poëta esse

Semibovemque virum, semivirumque bovem.

Ad stivam, ad laborem, ad molestias natos, qui in sudore vultus vescantur pane suo, quales & illi aulici Heliogabali, quos rotæ aquariæ impositos alligabat, & aquis mersos: Unum extrahebat, nominans amicos Ixionis, nihil hi ex suis honoribus, suis aulicis servitijs, & respectibus aliud retulerunt, nisi laborem, & gyrationem molestam.

IX. Hactenus ostensum est otiosos hujus mundi sectatores verè negotiosos esse, & majoribus longè obnoxios laboribus, quam sint probi & servi DEI: Rectè proinde hodie de ijs dictum, *vidit alios stantes in foro otiosos. Et dixit illis: Ite & vos in Vineam meam.* Excutite jugum & graves sarcinas mundi, terrenas dimittite cupedias, à laboribus & afflictionibus gravissimis vos expedite, & tollite jugum meum super vos: *Jugum enim meum suave, & Onus meum leve.* Agnoscite, agnoscite ô mortales vestrum Otium esse merum Negotium, vestram quietem esse meram inquietudinem, vestram malaciam esse meram malitiam, vestras delitias esse mera delitia. Unde obsecro (quærit S. Thomas de Villanova) *tantâ vexatio & infelicitas in orbe, nisi ex superbæ tumore? Quia videlicet honorari, & reputari volumus plus quam sumus.*

Plut in A-
gid. &
cleom.

Causin. 1.
4. Parab. 1
Hist.
Symb. 41.

S. Thom.
Villanon.
Serm. de
S. Martin

Aculeus sollicitudinis hujus indesinenter pungit mortales, neque sinit eos vel unam diem vitæ habere felicem. Ecce aliquis dies noctesque in literarum studio insomnes transigit cum labore, ut inter doctos literatus possit haberi. Alius ut copiosam possit sustentare familiam, quid non aggredditur? Quid non patitur? Alius ut dignitatem, quam cupit obtineat, & Principi placeat, quas non tolerat molestias? O pondus gravissimum super filios Adam, & intolerabile jugum à die ortus sui usque ad diem sepulture eorum. Verè contritio & infelicitas in vijs eorum, quoniam viam pacis, humilitatem scilicet non cognoverunt: Si enim hac procederent via, quietissimos & felicissimos dies agerent. Eamus ergò ad Vineam Domini, qui hæctenus stetimus tota die otiosi, eamus & recipiamus suave ejus jugum, quod qui invenit, is invenit requiem animæ suæ, hic temporalem, ibi sempiternam.



DISCURSUS XIII.

Dominica in Sexagesima.

Itaistæ Atheistæ.

T H E M A.

Semen est verbum DEI. Luc, 8.

S Y N O P S I S.

- I. Clara est Parabolæ explanatio, à qua non convenit recedere, Semen est verbum DEI, quod qua ratione audiendum hoc sermone ostenditur.*
- II. Multi porro aures afferunt ad verbum DEI, sed illud non percipiunt, quia non habent aures audiendi. Non habent cum auditu intelligentiam, cum intelligentia voluntatem exequendi.*
- III. Ut fructum ferat verbū DEI, auditor debet esse Echo Prædicatoris: sed jam volunt auditores ut ipsorum Echo sit Concionator, & loquatur quæ placent.*
- IV. Sunt inter hos, qui nil proferrunt, nisi unde laudem captent: Sunt qui Auditorum vulnera, cum deberent curare, palpant, & aliquando tacite hortantur ad malum.*
- V. Talibus indignatur DEUS apud Isaiam. Sed quid sperandum, si est sicut populus, sic & Sacerdos, qui ad singulas cupidias auditorum tacite dicit: Ita ita. Ejusmodi Itaistas merito voces Atheistas. Quod enim principibus sunt Consiliarij hoc fidelibus animarum Curatores, qui per suum Ita ita, omnia corrumpunt.*
- VI. Triplex est species Atheorum, qui nullum agnoscunt Deum, qui plures colunt, qui vero Deo non exhibent cultum debitum. Ad quam speciem pertineant Curati, qui vitia palpant, concludat sapiens. Multos tales reperiri nil mirum, quia passim auditores degenerant.*
- VII. Idque gravissimum quod alicubi ipse communitates sibi deligant*

ligant Curatos pro libitu suo, qui non audeant ferire delicatas aures. Sed invigilent suo muneri curati, parati pro veritate pati sicut Joannes Baptista, sicut S. Thomas Cantuariensis, sicut S. Stanislaus Cracoviensis.

VIII. Non sunt ex DEO, qui verba DEI non audiunt nisi oportet, sed sunt ex patre Diabolo, Itaiſta Atheiſta.

IX. Tragicus casus est ille de Con-

fessario dissimulante peccata & correptionem sui pœnitentis. Idem expectandum Concionatoribus, qui sunt Itaiſta: Utrique enim pariter obligati sunt animosè loqui veritatem.

X. Mittens CHRISTUS Apostolos ad predicandum, prohibuit, ne per viam aliquem salutarent, ne blandiri assuescerent. Non simus Itaiſta ne fiamus Atheiſta.

Semen est Verbum DEI. Luc. 8.

I.



Ine ambagibus nobis hodie explananda est Evangelij Dominicalis moralitas, quam ipsa increata Sapientia disertis verbis expressit. Etsi enim pluribus rebus aptari posset ex ingenij humani fecunditate seminantis semen suum in agro parabola, non tamen congruit à sensu & intellectu genuino recedere. *Carvendum est* (inquit S. Hieronymus) *ubicunque Dominus exponit sermones suos, & rogatus à Discipulis disserit, ne vel aliud vel plus velimus intelligere, quam ab ipso expostum est.* Cum ergo Servator noster prolatam de seminante parabolam exposuerit de verbo DEI, cuius aliud cadit secus viam, & conculcatur, aliud supra petram & arescit, aliud intra spinas & suffocatur, aliud in terram bonam & fructum affert, divinæ veritatis expositioni acquiescendum est: *Semen est verbum DEI.* Quod juxta qualitatem agri seu animæ nostræ suam consequitur operationem. Nam &

S. Hieron.
in cap. 15.
Matth.

& Philosophi statuunt : *Quidquid recipitur, per modum recipientis, recipitur.* Solùm ergo nobis restat in præfenti sermone tractandum , qualem esse oporteat agrum , in quo tam pretiosum semen recipi debet , ut fructificet. *Qui habet aures audiendi audiat :* Exclamat ipse Author parabolæ , & clamoris causam assignat. S. Bonaventura : *Ut suo clamore excitaret auditorum attentionem.* Idem ego Auditoribus meis proclamo : *Qui habet aures audiendi audiat.* Qui huc accessit audiendi verbi DEI causa , attentè audiat. Id de quo hodiè dicemus , verbum DEI est , & illud ipsum quod dicemus etiam verbum DEI est , ut reflexa intentione , & audiamus hodiè verbum DEI , & deinceps audire discamus verbum DEI.

S. Bonav.
in Luc.

II. Nihil dubito quin omnes ij , qui ad sermones Ecclesiastarum in Ecclesijs conveniunt aures secum afferant capaces percipiendi sermonis, neque enim hic locus est ut surdis canatur fabula : Sed non omnes afferunt *aures audiendi.* Multos consuetudo, multos respectus humanus , multos etiam curiositas impellit ad Conciones , quos ego aures habere non diffiteor , sed nego habere *aures audiendi.* Nam ut ait Hugo Cardinalis : *Triplicis auditus est necessarius auditoribus : Scilicet auditus naturæ , quo verbum suscipitur , auditus intelligentiæ , quo sensus verbi discernitur : Auditus obedientiæ , quo res verbi efficitur.* Qui sine hoc triplici auditu prædicationi divini verbi interfunt , aures habent & non audiunt , semen recipiunt , sed non fructificant , terram habent , sed non terram bonam , & tantundem agunt , quasi non afferrent aures ad audiendum. Lucæ Burgensis dictum est. *Qui non audit , aut audita non conatur intelligere , quæ debet , aut audit quæ non debet , aut quo animo*

Hugo
Card. in
Luc.

Luc. Burg.
in Matth.

non debet, is non utitur auribus ad audiendum. Quod ergò Servator noster inclamet: *Qui habet aures audiendi audiat.* Non alio accipiendum est sensu, quàm quod divino verbo substerni debeat terra bona, cum auditu intelligentia, cum intelligentia, voluntas exequendi intellecta. Frustra enim Ecclesiastes spargat semen si non recipiatur, frustra clamet ad ravim si non optemperet pia voluntas. Ut fructum ferat verbum DEI in cordibus fidelium, necesse est, ut auditus audientium sit Echo prædicantium, & quæ per auditum ingrediuntur, ad corda penetrent Auditorum.

III. Verum ea est sæculi nostri infelicitas, ut jam Ecclesiastæ fiant Echo Auditorum, & vix proferre, aut velint, aut audeant sæpenumerò, quam quod his allubescit. Palpari volunt & titillari audientium aures. DEUS bone quam procul jam recessimus àb illa veterum Patrum sincera & plana sermonum structura, nihil illi, aut quàm parcissimè præter sacrarum literarum textus allegabant, nihil ad aurium lenocinia proferebant, & tamen magno cum fructu animarum audiebantur. Hodie non audiatur Ecclesiastes, qui non farciat orationem spissâ authoritatum congerie, qui non inserat fabelas jocosas, historias, symbola, hieroglyphica, paradoxa, & ex omnium scientiarum penu deprompta tragemata curiosis proponat auditoribus. Sæculi hoc vitium dicam, an nostrum qui sæculum constituimus? Utuntur tamen his nonnulli Ecclesiastæ, & quibus serius animus est lucrari animas, non quod putent hæc esse necessaria, sed quod videant pro ratione temporis, & Auditorum genio utilia, ut per illa ceu per quosdam cuniculos occul-

tos expugnent dura corda peccatorum. Qua in re Medicos imitantur, qui levando ægroti fastidio amaram potionem dulcorare solent, ut cum dulcedine non necessaria, facilius sumatur utilis medicina.

IV. Illis verò nescio quomodo succenseam, qui suos ita concinnant sermones, ut nihil inde auditor, ipsi verò plurimum sumi & vanæ laudis reportent, quales reprehendit Chrysostomus appellans eos Musicos non Concionatores : ait enim : *Flosculos verborum & compositionem, & harmoniam curiosius sectamur, ut canamus non ut profimus : ut simus in admirationem : non ut doceamus, sed ut oblectemur : non ut compungamus : sed ut plausu & laudibus obtentis abeamus, non ut mores componamus.* Gravissimè verò delinquent, qui non tam applausus venantur, quam summâ cautela satagunt, ne ulcera Auditorum, quæ ex officio sanare deberent, contingant ; ne scilicet de favoribus & gratijs Auditorum quibus inhiant, vel minimum deperdant. Ejusmodi profectò videntur immemores esse illius Christi Servatoris efati : *Quid prodest homini si universum mundum lucretur ; animæ vero suæ detrimentum patiatur.* Applausus, acclamatio, favor vulgi, laudes, honores minutæ sunt comparatæ ad mundum. Et si pro toto mundo anima perdenda non est, quanto minus pro talibus vanitatibus non una tantum anima, sed plures periculo exponendæ. Non ausim dicere reperi subinde qui tacitè approbant Auditorum quorundam nævos cum vitia extenuant, quæ indigerent exaggeratione. Animarum cura delicata res est, tractando sedulò, & nunquam tantum in ea præstiteris, quantum obligaris. Tuam lucraris cum lucraris alienam ; tuam perdis, cum perdis alienam.

S. Chysof.
hom. 30. in
Acta Apost.

Cogita pretiosum Christi sanguinem pro ijs effusum : & da operam, ne tantum pretium suo utrobique frustretur fructu.

Isai. 39.

V. Indignatur apud Isaiam DEUS populo, qui volebat audire solum placentia, & desiderijs suis opportuna: *Populus* (inquit) *ad iracundiam provocans est, & Filij mendaces, Filij nolentes audire legem DEI: Qui dicunt videntibus nolite videre, & aspicientibus nolite aspiciere nobis ea, quæ recta sunt: Loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* Quanto amplius indignabitur videntibus, id est, Prophetis & animarum Curatis, qui sponte sua non aspiciunt, quæ recta sunt, non prædicant quæ salutaria sunt, loquuntur placentia, loquuntur errores, & obfirmant malos in malo. Quid sperandum, si est *sicut populus, sic Sacerdos?* Si populus desiderat inique agere, & ejus Pastor annuit. Ita, Ita. Si populus ebrietati vacat, & curatus nunquam sobrius, non audet in ebrietatem declamare; si populus sectatur cupedias, & ejus Pastor iisdem implicitus, non audet pro pulpito in luxuriam Stylum vibrare, sed quæ maximè forent exaggeranda dissimulat, quasi tacitè approbaret malos mores; *Ita, Ita.*

Isai. 24.

Senec.
Trag.

Qui non vetat peccare cum possit, jubet.

Hujusmodi *Itaistas*, ego jure nomino Atheistas. Non differt ab Atheo qui ad malum, quod deberet corrigere, seu verbo, seu silentio, seu vitæ norma dicit *Ita, Ita.* Quod Principibus sunt Consilarij, hoc animabus sunt Prædicatores & Confessarij; illi curare debent bonum publicum sincerâ professione veritatis, non palpatione vitiorum Principis, hi verò bonum privatum singulorum, castigatione morum, non dissimulatione peccatorum. Malum dico & ineptum Consiliarium, qui in rerum gerendarum

darum deliberatione , nihil aliud profert , quam *Ita, ita*. Bellum decernendum est patriæ conservandæ causâ? *Ita, ita*. Bellum gerendum est sola bellandi libidine? *Ita, ita*. Principi quod libet , licet ? *Ita, ita*. Si nova onera ex causa conficta , vel sparsò belli rumore imponantur subditis , & novæ exactiones decernantur , augeri potest ærarium ? *Ita, ita*. Viduæ , pupilli , alijque dimittent medium capitale si per annos aliquos ijs negetur census : Tu Satapra reliquum dimidium tolles , sed mecum iterum dimidiabis : Respublica nihil lucrabitur , sed nequè perdet : *Ita, ita*. Serviisti per plures annos bono publico in honorato officio pro quo tibi quidem annuum stipendium ad amussim numeratum est , si mecum partiri volueris efficiam , ut honorarium ex massa communi trium millium tibi offeratur : *Ita, Ità*. Vacabunt publica officia eaque lucrosa , vide ut inter competentes sit concertatio , uter plus offerat : Ei detur , qui clam tibi & mihi plurimum donaverit : *Ita, ita*. Heu malefanum *Ita!* infelix *Ita* quod perdit Respublicas , quod adulationibus implet aulas , quod fas & nefas confundit , evertit urbes , summa imis miscet , pessundat humana , contemnit divina. Tales *Itaiste* sunt *Atheistæ*.

VI. Nihilo his meliores censendi , qui ad prædicandi , aut curam animarum exercendi assumpti Officium , reprehendenda silent , corrigenda dissimulant , vitia Auditorum excusant , peccata palpant , & utinam non tacitè etiam suaderent ! Triplicem Atheorum speciem constituit celebris ætatis nostræ scriptor , cum ait : *Athei vocantur , tam qui nullum DEUM admittunt , quam qui plures : Quiquè etiamsi verum DEUM cognoscant , non tamen ei verum cultum*

Beyrl.
Theat. Vit.
hum. lit. A.

S. Hieron.
Epist. ad
Pammach.
S. Athan.
Hist. Ec-
cles.

tum & legitimum exhibent. Hinc ex SS. Patrum sententia etiam Hæretici, qui verum DEUM non negant, Athei vocantur, quia cultum, quem ei deberent impendere, non impendunt. Hieronymus Eunomium, Athanasius Arrium, Author Historiæ Ecclesiasticæ Aëtium, Atheos, vel ea de causa nominarunt, quia scilicet, *illorum proprium est id agere, id credere, id docere, non quod præcipitur, nec quod oportet, sed quod ipsis videtur, quod ipsi voluerint, quod ipsi elegerint. Vox enim Hæresis electionem sonat.* Conclude, si sapias, ad quam speciem referendi sint Prædicatores, Confessarij Curati animarum (omnibus quippe eadem incumbit obligatio) qui Auditoribus suis, & animabus suæ curæ commissis blandiuntur, vitia palpant, peccata excusant, castiganda dissimulant. *Ita, ita, Itaiæ sunt Atheistæ.* Sed quid ego in Prædicatores bilem effundo, qui pollicitus sum docere, quomodo audiendum sit verbum DEI, nempe si non rectè annuntietur verbum DEI, non rectè percipitur verbum DEI, & cum volunt auditores habere Magistros qui loquantur placita, unacum suis Magistris degenerant in Atheismum, æquè rei isti ac illi, unde ex justa Curatorum reprehensione, colligent Auditores, quales aures afferre debeant ad Conciones. Quod si nostris temporibus reperiuntur ejusmodi Auditores, nihil mirum reperiri etiam pares Magistros, de quibus Apostolus prænuntiavit: *Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacerabunt sibi Magistros prurientes auribus: Et à veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur.*

2. Timoth.

4.

VII. Lugendum fanè, quod alicubi locorum Curatorum nominatio pendeat à communitatibus, & certis secularium Dominijs, qui eiusmodi sæpe- numerò sibi Pastores deligunt, quos sciunt nonnisi placentia locuturos: Et si quos viderint Apostolico Zelo armatos detonare in vitia, arguere malefacta, instare oportunè importunè correctioni morum, eo usquè procedunt, ut per calumnias, & persecu- tiones, vel ad spontaneum impellant recessum, vel invitos loco moveant, quo facilius suis aptos desi- derijs nanciscantur, & tantò liberius prouant in omne flagitium, quantò minus se putaverint repre- hensioni obnoxios. At tu quisquis es ejusmodi Ma- gister: *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* Delicatæ aures Auditorum non palpentur, sed feriantur, ut veritas in corda penetret. Periclitaberis de fortunis, de gratijs, de favoribus, de vita? Præstat periclitari de his, quam de vita æterna. Animosam Philonis Hæ- brei resolutionem altè in tuum animum demitte: *Ego (inquit Philo) qui non unum virum curandum sus- cepi, sed integram civitatem laborantem morbis gravi- simis, quid agere debeo? Emori præstat, quam loqui ad gratiam, dissimulat à veritate.* Hac resolutione con- cepta Apostolici & Zelosi animarum Pastores ar- guerunt Principes, reprehenderunt Magnates, an- nuntiarunt populis scelera eorum. Intuere Joan- nem Baptistam in carcere minutum capite pro veri- tate, D. Thomam Cantuariensem Antistitem ad aras jugulatum pro veritate, D. Stanislaum Cracovien- sem Episcopum in frustra dissectum pro veritate: Ut præteream multos etiam nostra ætate, in exilium actos

Isai. 58.

Philo. lib.
de Joseph.

actos, persecutiones passos, calumnijs appetitos, quæ penè quotidie nobis obversantur ob oculos. Ipsi novimus Virum Religiosum, qui cum pro concione solùm exclamasset: Justitiam in tribunalibus devirginatam, illicò potentiorum machinis cathedra deturbatus, & alio migrare iussus est. Sed isti *ibant gaudentes à conspectu concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine J E S U contumeliam pati.*

VIII. Jam quæro ex Auditoribus, qui sunt ejusmodi, ut velint solum audire, quæ desiderant, vitia palpari non excindi, qui magis amant *Placertiam* quàm *Veronam*, qui sibi recitari cupiunt Psalmum *placebo Domino in regione vivorum*, parùm solliciti de regione mortuorum, cujus fidei sint, Christiani an Judæi, Catholici an Hæretici, Saraceni an Idolicolæ, fideles an infideles? Ego sanè de illis pronuntiare non possum, quod sint fideles, quod sint Catholici, quod sint Christiani. Etenim veritatis æternæ effatum est, *qui ex DEO est verba DEI audit; Propterea vos non auditis, quia ex DEO non estis.* Unde ergo sunt, qui verba DEI non audiunt, qui tantum placita, & proprii genij documenta volunt audire? Ex ipso discursu CHRISTI benedicti possumus intelligere. Arguebat CHRISTUS Judæis gloriantes Patrem se habere Abraham, & ut convinceret non esse eos Filios Abrahamæ, dixit: *Si Filij Abrahamæ estis opera Abrahamæ facite. Nunc autem queritis me interficere, hominem qui veritatem vobis locutus sum.* Ecce præconem veritatis audire abnuentes negat CHRISTUS esse Filios Abrahamæ. Recurrerunt deinde Judæi ad alium Patrem: *Unum Patrem habemus DEUM.* Negavit iterum CHRISTUS eos ex DEO esse, quia

quæ non acceptabant ejus doctrinam. *Quare loquelam meam non cognoscitis? Et conclusit: Vos ex patre Diabolo estis, & desideria Patris vestri vultus facere. Ille homicida erat ab initio, & in veritate non stetit quia non est veritas in eo.* Qui proinde veritatem ab Ecclesiaste pronuntiatam odit, qui audire contemnit salubria monita, & verba DEI cordium penetrativa, qui solum placentia & delectabilia sibi vult pro concione explicari, is *ex patre Diabolo est, & non est veritas in eo.* Et si talem negavero esse fidelem, esse Christianum, esse Catholicum, quis mihi id vitio dabit? Christiani veri & fideles verba DEI audiunt, monitiones recipiunt, peccata sua reprehendi non refugiunt, ideò ex DEO sunt, ideò meritò censeri debent fideles: Qui verò secus agunt, & loco verbi DEI, loco fraternæ correptionis ad sua desideria cupiunt audire *Ita, Ità*, hos ego non aliter nominavero quàm *Itaïstas, Atheïstas*, natos ex patre Diabolo, æternùm torquendos cum Diabolo.

IX. Perhorresco, cum lego casum illum tragicum, quem recenset Philippus Daultreman ex fide dignissima relatione celebri Theologi Joannis Lorini. Vir inquit nobili ortu (quem ipse in Italia noverat Lorinus) iniquissimo assuetus scœnori, eoquè nomine infamis cum diu nequè à suo Curione, nequè à Societatis Patribus, neq; a alijs plerisque Religiosis absolutionem à peccatis obtinere potuisset: Invenit tandem è quadam religiosa familia, unum aliquem, qui alios nimix religionis incusans, quoties ille vellet, toties confitenti aures daret, & absolveret. Fuit hic impio scœnatori acceptus arbiter, loquebatur placentia, & dum non corriperet,

*Daultrem.
Pæd.
Christ.P.
1. c. 14.*

ret, tacitè ad flagitia repetebat *Ita, Ità.* Quem uq̄
 fœnerator eo benigniorem haberet, sæpè ad fami-
 liarem invitabat mensam. Dum ita vivitur, & alter
 convivendo, alter sibi blandiendo Itaitam agit seu
 potiùs Atheistam, nocte quadam nobilis fœnerator
 subitanèa morte extinguitur: Sub idem tempus
 accurrunt duò famulòrum habitu ad Monasterium
 (& hi Dæmones erant) pulsatisquè foribus no-
 tum Confessarium evocant adstiturum agentì (ut
 ajebant) animam. Nihil ille tergiversatus assum-
 ptò socio duces sequitur. Ventum erat ad forum,
 & ecce obvius venit Nobilis in herili toga deam-
 bulans: cum Religiosus jam in famulos, à qui-
 bus se delusum credebat, excandesceret: Adest
 tristis Umbra, & denuntiat se jam inter mortuòs
 esse, & uri æternis ignibus inferorum, quod tam
 turpi in vita deditus lucro Sacra toties prophanaf-
 set. *Quin* & adjecit alloquens Confessarium: Et tu
 quidem Sacerdos perditissime, à quo ex officio cor-
 ripiendus eram, cum dissimulando, & convenien-
 do meam lactasti malitiam, & causa fuisti ut in ea
 perseverarem, in eadem mecum damnatione eris,
 & pœnæ socius, qui fuisti scelerum approbator.
Hoc dicto duo illi ficto habitu famuli, singuli singu-
 los Nobilem ac Sacerdotem secum ad inferos ra-
 puerunt: Socio Sacerdotis præ terrore penè ex-
 animato, qui deinde ad Monasterium redux fune-
 stam rei sèriem enarravit. Casus iste miserandus
 directè quidem ad Confessarios spectat, sed idem est
 munus Concionatorum ac omnium Curatorum,
 quod Confessariij: Tam isti quàm illi obligati sunt
 ex officio reprehendere vitia, non palpare; terrere
 pecca-

peccatōrēs nōn blandiri ; & tam delinquent , qui sibi studiosè deligunt benignos , conniventes dissimulantes Confessarios , quàm qui Prædicatores placentia & suis opportuna desiderijs loquentes audire volunt contemptis ferijs , & veritatem prædicantibus. Utrisque DEUS concredidit animas , quas olim de eorum manibus requiret , uti protestatur apud Prophetam : *Fili hominis speculatorem dedi te domui Israël, & audies de ore meo verbum, & annuntiabis eis ex me. Si dicente me ad impium morte morieris, non annuntia veris ei, nequè locutus fueris, ut avertatur à via sua impia & vivat: ipse impius iniquitate sua morte morietur: sanguinem autem ejus de manu tua requiram.*


Ezech. 3.
v. 17.

X. Hortor pròinde meipsum imprimis & meos commilitones, quibus concredita est animarum cura, verbis S. Bernardi: *Ferveat in nobis Zelus iste, serveat amor justitiæ, odium iniquitatis; nemo fratres vitia palpet.* Seminemus verbum DEI, ut fructum ferat, nulli vitio parcamus, nullius favorem aut gratiam aucupemur: Omnes æquè nobis concrediti sunt parvi & magni, nobiles & ignobiles, pauperes & divites, ad omnes æquè jactetur semen quod est verbum DEI. Quærit S. Gregorius Nazianz. in illa verba CHRISTI: *Neminem per viam saluta veritis*, cur CHRISTUS inhibeat Discipulis suis salutationes, & respondet: *Mandavit hoc eis ad DEI gloriam, ne viderentur in eis magis vivere blanditiæ.* Non blandiamur auditoribus, non simus *Itaiste*, ne fiamus *Atheiste*. Vos deinde Auditores, si animabus vestris salutem desideratis, sub-

S. Bern.
sem. in
Nat. S.
Ioan.

S. Greg.
Nazianz.
in Cate.
D. Thom.

bonam, ut fructificet; nolite diligere aut deligere Prædicatores, qui loquuntur vobis placentia, qui orationem conformant pravis veſtris deſiderijs, vitia palpant, peccata excuſant, ſed qui Zelo Apoſtolico, & libertate Evangelica redarguunt delinquentes, reducant in viam aberrantes; & ſi vobis videtur durus eorum ſermo, cogitate quod verbum DEI fructum afferat in patientia teſtante veritate æterna. *Quod autem in terram bonam, hi ſunt qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum afferunt in patientia. Et in patientia veſtra poſſidebitis animas veſtras.*



DISCURSUS XIV.

Dominica in Quinquagesima.

Chymæra realis.

T H E M A.

Et ipsi nihil horum intellexerunt.

Luca. 18.

S Y N O P S I S.

- I.* Poëta supponunt aliquando in rerum natura fuisse Chymeram: Philosophi negant fuisse, & esse possibilem. Poëtis nunc subscribendum: Quia hoc præsertim tempore insuati sunt Hircocervi.
- II.* Prima in mundo Chymera fuit Angelo-Serpens in Paradiso, a quo reliqui suam texunt Genealogiam. Et sunt illi, qui aliud corde volunt, aliud vultu larvato præferunt.
- III.* Homo ad imaginem DEI conditus est: Recedit ab hac imagine, qui Chymeram induit. Honorandum est archetypum. Morionis habitum induere statuum Regis, capitale esset, quanto magis imaginem DEI deformare?
- IV.* Ex DEI lege non induetur mulier veste virili, nec e contra: Quia est contra natura, & luxuriæ propositum gaudere perversis.
- V.* Apud Anglos olim larvatum incedere capitale fuit: Apud Gallos exilium indictum larvatis. Num pudet nos esse viros? esse homines?
- VI.* Jam olim contra larvas declamarunt Patres: Optandum esset ut Principes severis legibus has coercerent.
- VII.* Apud Thuriis veste muliebri virum indui fuit ignominiosum, & transfuge milites sic puniebantur. Transfugit à Christo, qui formam immutat.
- VIII.* Verum sunt forte, qui hæc rigida præcepta existiment: Hi verò non expendunt pericula & peccatorum occasiones: Nec unquam satis in hæc vitia declamabitur.
- IX.* In aula Caroli Valesij larvati suo excidio dederunt pœnas;

X. In aula Comitum Hobenloij similiter, & tamen posteri nihil horum intellexerunt, peiores Avus & Atavis in antiqua vitia primum.

XI. S. Bernardus quod negotijs quibusdam secularibus se implicaverit, Chymeram se appel-

lavit. Magnum inter hunc & hodiernas Chymeras intervalum, quia hodierna nec sunt homo, nec bellua, sed vel utrumque, vel aliquid deterius. Si placent metamorphoses, induamus Christum, & novum hominem.

Et ipsi nihil horum intellexerunt.

Luce. 18.

I.



Principio dictionis hodiernæ arbitrum agam inter Poëtas & Philosophos; utri de Chymera melius sentiant. Poëtarum figmentum est (quod plerunque solet esse veritatis involucrum) Chymeram fuisse monstrum trium diversarum formarum: De quo cecinit

Hesiod. in
Theogon.

Hesiodus:

*Huic tria erant capita: primum fuit acris leonis,
Ast aliud capræ, atque aliud caput inde Chelydri.
Prima leo, postrema draco, media inde capella.*

Apollod.
lib. 2,

Monstrum hoc Bellerophon conscensu alato equo Pegaso sagittis confecit, ut scriptum reliquit Apollodorus. Unde aliquando in rerum natura Chymæram extitisse supponunt Poëtæ. At Philosophi Chymeram appellant Ens Rationis, partum fecundi intellectus, quod ita definiunt *Ens Rationis est illud, quod habet esse tantum in intellectu.* Negant proinde extra intellectum aut esse, aut posse esse. Pace Philosophorum dixerò ipsi autem non intellexerunt. Dari extra intellectum Chymæram, & Ens rationis sine ratione habens intellectum, sine intelligentia

nimis

nimis certum est ; & nulla monstrorum progenies adeò copiosa & fecunda est in mundo quàm Chymæra. Testor hæc ipsa tempora Antecineralia dicam an Liberalia ? Quibus undiquè per plateas & compita discurrunt innumeri , Hircocervi , Leopardi , Centauri , Hippopotami , Lupo-agni , &c. meræ Chymærae , mera Entia Rationis , sine usu rationis , de quibus verificatur illud Sapientis : *Perversi difficilè corriguntur , & stultorum infinitus est numerus.* Eccles. 1. Tales sunt omnes illi , qui sua formâ non contenti , consueto & decenti vestitu seposito , in varia se formant Entia Rationis , & larvas non tam hominum quàm bestiarum assumunt , homines *perversi* non veri , qui licet difficilè corrigantur , statui nihilominus hodiè Bellerophonem agere & missilibus exegeticis hæc monstra impetere , ut si non omnia è medio sustulerø , saltem eorum numerum diminuem.

II. Vix orbem Deus condiderat , & hominem ad imaginem & similitudinem suam formaverat , vestitum stolâ innocentiae , cum simul enata est prima in mundo Chymæra Angelo-Serpens , à quo longissima serie suam hodiè texunt Genealogiam , quotquot in mundo sunt hircocervi , & monstris Chymærae. Non sum tam rigidus morum censor , ut omnes personatos , & larvatos inter Chymæras referam. Accidit enim , ut subinde honesti joci gratia , & citra omne piaculum hisce præsertim diebus mutato habitu , assumptâ larvâ , nonnulli celebrent Hilaria ; nequè etiam reprehendo personas , quæ in Comœdijs & spectaculis publicis absq; scandalo , & bonorum morum violatione producuntur. Illas personas , illas larvas Chymæras voco & monstra

stra semihumana, quæ sub ficto vultu, fictum animum & mala machinantem abscondunt, & quod palam in solito habitu non auderent, sub peregrino & occulto agere moliantur. Nequè enim mihi persuadeo in tanta multitudine & varietate bacchantium stultorum, non esse aliquos verè stultos, verè fictos, qui aliud habitu, & vultu larvato præferunt, aliud in corde abditum gerant, alius præmeditatas libidines, alius lenocinia, alius ebrietatem, alius petulantem jactantiam, alius discordiarum semina, alius vindictam; quorum hi leones, illi petulci capri, hi venenati Serpentes, illi olidi hirci dum hominem exuunt, homines tamen audire volunt.

III. Homo ad imaginem & similitudinem DEI factus est, non ad imaginem & similitudinem bestiarum, quas isti imitantur, unde longè à primitiva imagine recedere censendi sunt, qui Chymæras induunt. *Cognoscamus* (monet B. Dorotheus) *quoniam ad imaginem DEI facti sumus, ipse enim fecit nos, honorem exhibeamus archetypo. Ne afficiamus contumelia imaginem DEI ad quam facti sumus, &c: Sed puram, nitidam, honestam, propriam imaginem faciamus, & dignam archetypo. Si enim imaginem sensibilis, & similiter ut nos geniti Regis commaculantes puniuntur, quid nos passuros credimus, qui spernimus, quæ in nobis est, divinam imaginem, nequè illam, ut par est, puram & immaculatam reddimus? Honoremus fratres archetypum.* Sanè qui statuat Imperatoris aut Regis indueret morionis habitu eamque per vicos circumlatam obvijs ostentaret, is crimen læsæ Majestatis incurreret, quanto magis delinquit, qui DEI imaginem sub belluino habitu circumferre non erubescit. *Honoremus archetypum.*

IV. Inter

IV. Inter cœtera præcepta quæ dedit DEUS filijs Israël, lego & illud : *Non induetur mulier veste virili, nec vir utetur veste fœminea: abominabilis enim apud DEUM est, qui facit hæc.* Quid obsecro causæ est, quod DEUS aversetur vestem virilem in muliere, muliebrem in viro? Uterquè homo est, vir & mulier, utriusquè vestimentum humanum est viri & mulieris: Num igitur in uno abominabile censet DEUS, quod in altero tolerat? Advocemus huc Cordubensis Philosophi Sapientissimum effatum: *Omnia inquit, vitia contra naturam pugnant, omnia debitum ordinem deserunt. Hoc est luxuriæ propositum gaudere per-versis* Sc: & post pauca, *non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum fœminis vestem?* Sc. *Non vivunt contra naturam qui hyeme concupiscunt rosam* Sc: Ecce causam abominationis divinæ, cur DEUS nolit virum fœmineis, fœminam virilibus indui vestimentis, quia est contra naturam, quia est luxuriæ propositum gaudere per-versis. Vir indutus veste fœminea est vir per-versus, fœmina induta veste virili est fœmina per-versa. Hi uti idem Seneca subdit: *Cum instituerunt omnia contra naturæ consuetudinem velle, novissimè in totum ab illa desciscunt.* S. Ambrosius memoratum Deuteronomij locum sic exponit: *Arbitror, quod non tam de veste quàm de moribus dixerit, vel de usibus nostris, ac de actibus: cum alius virum, alius fœminam deceat actus.* Sed quomodo vir exerceat viriles actus si veste induatur fœminea? muliebres mores arguit vestitus muliebris. Unde concludit S. Doctor. *Quàm deforme virum facere opera muliebria! ergò* Sc *pariant, ergò* Sc *parturiant, qui crispant comam sicut fœminæ* (addo ego de baccantibus, qui gesticulantur sicut fœminæ, qui in-

Deut. 22.

Sen. Ep.
122.

Sen. ibid.

S. Amb. in
cap. 22.
Deut.

cessum formant sicut foeminae &c.) *Merito illic non servatur castimonia, ubi non tenetur sexus distinctio.* Hæc S. Ambrosius in eos qui solum vestem & ornatum muliebrem ambiebant. Quid diceret hodiè de nostris Chymæris, Hircocervis, Leopardis, Centauris, Lupo-agnis, qui vario etiam belluino vestitu deformes larvas assument canum, leonum, asinorum, urforum, imò & subindè Diabolorum? *Abominabilis apud DEUM est qui facit hæc*, malo animo, perverso affectu. Et non video quomodo posset bono affectu.

V. Id sine dubio ponderaverint olim Angli, apud quos capitale fuit larvatum incedere, ut testatur Polydorus Vergilius. Longobardi verò singulos larvatos mulctabant octoginta solidis, eosquè Momos eodem nempè suæ linguæ vocabulo quo Diabolos appellabant. Franciscus I. Rex Galliarum Anno 1539. vetuit gravissimè, ne quis larvatus aut armatus per plateas incederet, adjiciens proscriptionem bonorum & alias pœnas. Nec multo post, Anno videlicet 1551. Senatus Parisiensis prohibuit larvas vendi aut inferri Parisios. Sed & dudum Innocentius Papa III. larvas ejusmodi appellavit *turpitudines, ludibria, & corruptelas*, non solum Clericis, sed omnibus Christianis indignas. Et quid obsecro inde nonnulli capiunt delectationis? Nam pudet illos esse homines? pudet esse viros? pudet esse prudentes, ut malint indui ceu belluæ, ceu foeminae, ceu moriones? An desunt alij honestæ relaxationis modi, quibus nonnihil à consueto rigore & laboribus remittat animus? Adeone nobis placent pravi & abominabiles veterum Ethnicorum ritus, ut illos honestis Christianorum Exercitijs præferamus? Per tot

secula

Polyd.
Verg. lib.
5. de in-
vent.
Laur.
Beyrl.
Theat. vi-
ta. tit.
Persona.

Cum de-
corem de
vita &
bon. Cle-
ric.

secula converfis à gentilismo ad veram fidem, adhærent adhuc quidam immanes abusus, & velut simulacra nefandæ superstitionis.

VI. Declamarunt adversum has corrûptelas jam olim SS. Patres, declamant hodiè multi Concionatores è pulpitis, & semen verbi DEI cadit in saxa & filices, in animas duras & induratas. S. Augustinus de Calendis Januarijs, à quibus Bacchicolæ sua hilaria incipiebant, uti & hodiè passim licet observare, exclamat ad suos Auditores: *Christiani estis omnes: DEO propitio Christiana est civitas. Non sicut illa que odit DEUS.* Et S. Maximus in hæc verba: *Grave utique eorum cor est, atque omni impietate depressum, qui per sacrilegos jocos divinis monitis illudentes, vana diligunt, & falsa sectantur: & post omnia ad offensionis plenitudinem dies ipsos Annum novum vocant &c. Annon omnia que à Ministris Dæmonum illis aguntur diebus falsa sunt & insana? cum vir virium suarum vigore mollior totum se fingit in sceminam, tantoque illud habitu atque arte agit, quasi poeniteat illum esse quod vir est? Nunquid non universa ibi falsa sunt & insana, cum se à DEO formati homines aut in pecudes, aut in feras, aut in portentosa transformant? Nunquid non omnem excedit insaniam, cum decorem vultus humani, DEI specialiter manibus in omnem pulchritudinem figuratum, squalore sordidum, & adulterina foeditate deturpant? Hæc S. Maximus. Quasi diceret larvatos esse Entia rationis sine ratione, quia deformare pulchritudinem divinæ imaginis omnem excedit insaniam.* Optandum esset, ut Principes & Magistratus severis legibus ejusmodi insanias coërcerent; ac illas præsertim quibus viri transeunt in mulieres, habitu & ornatu effœ-

S. Aug.
serm. 59.
ex divers.
S. Maximi
hom. de
Circum-
cis.

minati, ex quibus abditos in corde sensus facile est divinare.

Alex ab
Alex lib.
2. c. 13 Ge-
nial. dier.

VII. Apud Thurios, qui erant populi magnæ Græciæ, dicti etiam Sybaritæ, lex erat militaris, ut contumax miles, desertor, aut transfuga muliebri veste amictus ob ignominiam vincitus teneretur. Non est ignominia nota vestis fœminea, sed à viro gestata ignominiam signat. Se ipsos proinde damnant, ut contumaces, ut transfugas à CHRISTI castris ad castra Dæmonis, qui mentito habitu fœxum alium mentiuntur, & ignominia se dignos ipso facto pronuntiant, dum ipsi naturæ videntur repugnare. *Non videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum fœminis vestem?* repeto cum Seneca. Quinam illi? nempe Bacchicolæ, ad Bacchi sui imitationem compositi, quem Orpheus fœminam simul & marem fuisse cecinit, & Philostratus muliebri habitu depinxit. Ad hos liceat dicere quod Diogenes ad Juvenem moribus effœminatum & nimio cultu ornatum, dixit: *Non te pudet, qui pejus tibi velis, quàm ipsa Natura voluit? siquidem illa te virum, tu te ipsum refingis in fœminam.* Addo ego, natura te hominem facit, tu te ipsum refingis in brutum: Natura te rationis usu donavit, tu te ipsum refingis in ens rationis fictum sine ratione, in Chymeram abominabilem.

Orph.
hymn. in
Misen.

Apoph.
lib. 3.

VIII. Facile conjicio à nonnullis in me vibrari censuram, quasi vitio attribuam quod vitiosum aut nunquam fuit, aut desijt esse longa consuetudine in mores traductum. Ut quid ista tam rigida velut stoicorum præcepta, velut regulas Monasticæ disciplinæ? laxandus est aliquando arcus, indulgendum subinde hilari genio, dummodo DEUS non offen-

offendatur. Laudo animi relaxationem, quæ citra culpam admittitur; non laudo quæ cum periculo culpæ, cum periculo jacturæ five corporis five animæ. Qui me hic rigidum censent, ijs cum Seneca repono: *Occurres mihi illa publica contra Stoicos voce: Nimis dura præcipitis: nos homunciones sumus, multa nobis negare non possumus. Scis quare non possumus ista? quia nos posse non credimus. Imò Mebercules aliud est in re. Vitia nostra quia amamus defendimus, & malumus excusare illa, quam excutere. Nolle in causa est; non posse prætenditur.* Non est rigor dissuadere noxia, subtrahere peccatorum occasiones, subducere periculis: necessitas est, obligatio est mea ut moneam, vestra ut caveatis. Nullum ex se malum, ex se pericula generans consuetudine fieri potest bonum, aut frequenti usu pericula excludere. Non damno omnem habitus dissimulationem, non damno omnes qui personati incedunt; vix ullum tamen à periculo aliquo five corporis five animi possum eximere, cum in memoriam reduco casus, qui larvatis, & personatis non semel evenerunt. *Non est tam niger Dæmon ut pingitur*, vulgatum apud Germanos jactat proverbium. Verè hoc dicitur; quia tam niger pingi non potest, quam in se est. Joci dierum liberalium & personarum metamorphoses non sunt absolutè illicitæ, sed rarò aut sine culpa, aut sine periculo, ut proinde, quantumcumquè missilium à Bellerophonte Concionatore in eas conjiciatur, parum tamen videri possit; & nullus dici rigor debeat, sed lenis nimium correptio.

IV. Exemplis veritatem ponamus ob oculos: hic Argi sint, qui oculis non contenti humanis, belluinos sibi sæpenumerò effingunt. Circa

Paul Æ-
mil. lib.
10. hist.
Franc :
Francisc :
Bellofo-
rest. in
Carolo.

annum 1400. aut paulò tardius Carolus VI. Valesius Franciæ Rex in nuptialibus ludis cujuspiam aulici, animi recreandi gratia , & studio novi spectaculi convivis exhibendi cum quinque nobilioribus personatus in cœnaculum, ubi convivium nuptiale agebatur serâ nocte prodijt : larvæ Leonini oris imaginem præferebant , vestes pice delibutæ, multoque lino depexo, ac in villos confecto, ita contextæ erant, ut hispidi ac semiferi portenti speciem exhiberent. Inchoatæ mox choreæ fescennino carmine admodulante , fit concursus tota Regia ad picatorum spectaculum. Ludovicus Aurelianensis Regis frater gratia clarius visendi habitum personarû arreptam facem propius admovit. Ex qua fortè fortuito scintilla decidit in Regias vestes , repentinum in omnes larvatos diffusâ flamma , conflavit incendium. Rex conjugis Biturigis veste caudata & longo firmate involutus antequam flamma ad vivum pervenisset , vix servatus est : quatuor Comites miserè ustulati perierunt: quintus in propinquam cellam ruens , & aqua vinoq; se perluens evasit. Ita extrema gaudij læt' occupavit, & ubi periculum nullum subesse credebatur, maximum periculum fuit, & parva scintilla magnum excitavit incendium. *Ipsi autem non intellexerunt.*

X. Vix seculum cum dimidio post hunc lamentabilem casum effluxerat , cum repetitis iisdem penè ludis repetita est lugubris catastrophæ & proximus arsit Ucalegon. Longè latequè pervulgatum fuit , & mandatum annalibus, quod Carolo Regi acciderat ; audiebant , legebant, quod narrabatur, magnum , *ipsi autem non intellexerunt.* Nam anno 1570. uti ex Lucio Marinaeo refert Simon Maiolus & post hos alij : Comites aliquot Hohenloënses pluribus Nobi-

Maiol. P.
2. Colloq. 7.

Nobilibus comitati Eberhardum Confanguineum suum in Arce Wartenberga die Bacchanaliorum visitandi studio convenerunt. Aderant & nobiles Matronæ cum Gynæcæo puellarum, quibus ut dicti Comites delicias facerent, & ludicrum aliquod spectaculum exhiberent, cœnâ peracta Faunorum personas, multa stuppa lineis vestibus pice resinaque agglutinata, mentiti; jucundo primum spectaculo convivas ad ludum projectis in mensam tessæris provocarunt. Ex tessæris una fortuito casu in terram delapsa est, quam dum puer honorarius personatus repetit, funalis incautius adhibiti flammam concipit, & clamans opem implorat adstantium. Eberhardus ipse pro sua pietate puero periclitanti opitulaturus occurrit, eodem malo corripitur; incenduntur mox etiam reliqui. Jocus esse primo visus est, sed mox rem seriò agi clamor omnium indicavit. Ad labrum vicinum, quod Comes in hunc eventum impleri jusserat, curritur, sed illud modò exaruerat. Famulorum unus vasculum aqua plenum afferebat, sed in ipso limine præ nimia festinatione offendens collapsus est, effusâ quam attulerat aquâ. Alterius aquam ferentis cadus ligneus fatiscens auxilij desperatione calamitatem auxit. Et versa est lætitia in luctum, ac miserabilem ejulatum, cum tribus horis tres Comites in ipso flore ætatis miserè ustulati perierunt. Inunc & illud imagini à DEO acceptæ, pro simulacro divino Chymeras indue, & inter pericula tibi securitatem polliciaris: Sapientis monitum est, *Risus dolore miscebitur, & extrema gaudij luctus occupat. Ipsi autem non intellexerunt.*

XI. Quot sunt hic modo præsentés, qui hæc audiunt, qui hæc fortè pridem legerunt, & cum debe-

Lucius-
Marine:
Sicul. de.
reb. Hisp.
Carol.
Stengel. m
Falls
Christi.

Prov. 14.

deberent ejusmodi casibus absterreri à petulanti larvarum & personarum usurpatione, *ipsi autem non intellexerunt*, sed adhuc hodiè ibunt in adinventionibus suis, cornigeri, thyrsigeri, capripedes, Fauni, hircocervi, abominabiles Chymærae, adeò dulce quibusdam est delipere, & insanire. Ingemiscebat aliquando S. Bernardus, quod pro bono publico non nihil secularibus negotijs se immiscuerit, cum pacem inter viros Principes conciliaret, cum fideles ad bellum sacrum animaret, quæ si hodiè multi Ecclesiæ Prælati facerent, in Cœlum laudibus tollerentur, & tamen in ejusmodi occupationibus Bernardus se Chymæram appellabat. Sic enim scripsit, *clamat ad vos mea monstrosa vita, mea ærumnosa conscientia. Ego enim quædam Chymæra mei seculi, nec Clericum vero nec laicum; nam Monachi jam dudum exui conversationem, non habitum.* Heu quantum inter Bernardum & hodiernas Chymæras intervallum est! longè potiori jure de multis dixeris, sunt Chymærae hujus seculi, nec Christianum agunt nec Ethnicum, sed quidpiam ex utroquè conflatum; nec hominem, nec belluam, sed utroquè, & audiunt clamantem Apostolum: *Induamur arma lucis, sicut in die honestè ambulemus: Induimi Dominum Jesum Christum, & carnis curam ne feceritis. Induite novum hominem qui secundum Deum creatus est. Induite vos armaturam Dei. Induite vos sicut electi Dei, sancti & dilecti.* Si transformationes placent, si Metamorphoses delectant, hoc agamus, ut exuto veteri homine novum induam⁹, qui secundum DEUM creatus est, ne excludamur à cœlesti convivio, in quo dicetur ejusmodi insanis Chymæris: *Quomodo buc intrasti non habens vestem nuptialem &c. Honoremus Archetypum.*

S. Bern.
Ep. 249.

Rom: 13.
v. 13 &
14.
Ephes. 4.
Ephes. 6.
Coloss 3.



DISCURSUS XV.

Die Cinerum.

Speculum Universale.

T H E M A.

Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris. *Gen. 3.*

S Y N O P S I S.

- I. Nature vel artis inventum speculum moribus formandis opportunum est; & in bonum finem excogitatum; sed in abusum plerumque traducitur, & ex eo nonnulli de futuris divinant. Nobis hodie proponitur Speculum universale, ex quo futura divinemus:*
- II. Calva mortualis id est, quam inspiciant equè juvenes ac senes. Tales omnes erimus.*
- III. Juvenes tanquam semper viri vivunt, & disponunt incerta, propediem veni! redituri in cinerem.*
- IV. Larvata mulier Mediolani apparens, detracta larvâ exhibuit calvam, & curiosos perculit. Nihil opus nobis ejusmodi spectaculis, nos ipsos intueamur. Mortis meditatio est peccatorum omnium peremptoria.*
- V. Senes equè imprudentes ac juvenes mortem instantem se putant fallere, cum mentiuntur etatem: Spes longas inchoant cum deficiunt. Similis Laidi vetula, quæ quod deformis esset, in speculo se videre noluit.*
- VI. Quos commiseratione dignos eleganti Apologo expressit Barlaam eremita coram Josaphat Rege. Conantur evadere inevitabilem fatorem necessitatem.*
- VII. Aspiciate miseri, imò & audite loquens hoc speculum Calvam mortualem: Hoc, quod tu es, ego fui: & quod ego sum modo, tu eris postea.*
- VIII. Utinam hodie spectatorum*

*hujus speculi corda mutaventur
nti quondam nobilis matrone,
quæ ab Ecclesiaste petijt sibi af-
ferri speculum Parisiense, cum-
quæ ille attulisset velo testam
calvam, & mortis memoriam*

*aptâ ratione ingessisset, illa
mutata in aliam: Vixit di-
enceps memormortis. Me-
mento homo quia pulvis
es & in pulverem revertere-
ris.*

Memento homo quia pulvis es, & in pul-
verem reverteris. *Gen. 3.*

I.



Irabile sive naturæ sive artis inven-
tum est speculum, quælibet objecta
sensibilia indifferenter, & ipsos eti-
am intuentium oculos videndi in-
strumenta vivaciter representans.
Certant Philosophi num id ars ad-
inverit ad potiùs natura: Praxiteles primum ex
argento fecissè creditur Magni Pompeji ætate, au-
thore Plinio. Æsculapius verò apud Ciceronem
ex plumbo, crystallo, ferro conficiendi artem edo-
cuit. Placet observatio Senecæ: prima illa sim-
pliciore ætate, quæ fortuitis contenta, nondum in
vitium beneficium detorquebat, fontem pelluci-
dum, aut læve saxum pro speculo servijssè: mox in-
ventum naturæ ars imitata in libidinem luxumque
vertit: Unde ait: *Primò faciem suam cuiquè casus o-
stendit &c: Postea rerum jam potiente luxuria, specula
totis paria corporibus auro argentoquè celata sunt, deniquè
gemmis adornata: & pluris unum ex his scæminæ constitit,
quàm antiquarum dos fuit.* Non inquirò quomodo fiat
miranda hæc visio, qua oculi humani seipfos videre
possunt; quæstionem dimitto Philosophis, conten-
tus experimento, quod nemo inficias ierit. Utile
verò sit quærere quo fine inventa sint specula. Plato
mone-

*Plin. lib.
33. cap. 9.
Cic. de
nat. Deo.
lib. 3.*

*Senec.
Nat. quæst.
lib. 1. cap.
17.*

monebat diſcipulos , ut ſe ebrios in illis contempla-
rentur ; ſic enim fore ut dum faciem ſuam furibun-
dam & phrenetico ſimilem intuerentur , impoſte-
rum ab ebrietatis vitio abhorrent. Socrates ex
moribus formandis opportuna aſſerebat , ſuadens
diſcipulis ut crebro ſe in illis contemplarentur , &
qui pulchri ſibi viderentur, caverent corporis digni-
tatem moribus dehonestare , qui verò turpes , co-
narentur formæ defectum , virtutis pulchritudine
compenſare. Chriſtiane Seneca: *Inventa ſunt ſpe-
cula, ut homo ipſe ſe noſceret. Multa ex hoc conſecuta,
primò ſui notitia, deinde & ad quædam conſilium. For-
moſus ut vitaret infamiam: deformis ut ſciret redimen-
dum virtutibus, quidquid corpori deeſſet: juvenis ut flore
ætatis admoneretur, illud tempus eſſe diſcendi, & fortia
audiendi: ſenex ut indecora canis deponeret, & de morte
aliquid cogitaret.* Boni fines, bonus uſus ſpeculorum,
dummodo non etiam ad vanitatem, ad luxum, ad illi-
cita adhiberentur. Sed magna ex parte his deſer-
viunt, formantur trigona, polygona, auctoria,
convexa, concava, quibus ſpeculamur objecta red-
duplicata, aucta, remota, & tantum non etiam fu-
tura: certè Didius Julianus Cæſar ſpeculum habuiſſe
fertur in quo futuros eventus, ſed ope Dæmonis,
prævidebat. Apud Achivos ante Cereris templum
ſpeculum fuit tenui ſuſpenſum filo, & ad aquam fon-
tis ibi exiſtentis demiſſum, in quo ægri, vel certam
ſanitatē, vel certam mortem, ex offerentibus ſe
ſe in ſpeculo imaginibus intuebantur. Optaretis
& vos Auditores tam artificioſum ſpeculum, ex quo
futuros eventus divinare poſſetis? Agite, ſpeculum
ego vobis hodiè proponam, longè utiliſſimum quàm ul-
lum hæcenus artifices manus poliverint: ſpeculum

Senec. cit.

Sigon. in
Imp occi-
dent.

Pauſan.

Lib. 7.

Nat. Com.

Mythol.

lib. 9. præ-

fat.

Rhodigin.

leã. ant.

lib. 15.

c. 131

naturale, *Speculum universale*, in quo omnes & singuli, etiam cœci & oculorum usu orbatî se ipsos perfectè videre, & futuros casus poterunt intueri. Advertite mentes, aures, & oculos.

II. Ecce speculum universale (*calva*) & imago universi humani generis. Videtis? *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Auditis? *repeto: Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris*. Intelligitis? Dicite obsecro, cujus est hæc imago? Juvenis an senis? Formosi an deformis? Pauperis an divitis? Domini an Servi? Viri an mulieris? Curiosè aspiciat. Ah! in hoc speculo ego me video. Quid tu dicis Petre? quid tu Paule? quid tu Barbara? quid tu Catharina? vosne etiam hic vestram agnoscitis imaginem? Agnoscetis nisi desipitis: *Speculum universale*, repræsentat universum humanum genus, & singula ejus individua. Tales omnes sumus, si modica portio carnis & cutis, quæ superinducta est, diffluat, vel detrahatur. Unde Alphonsus Rex interrogatus: quid Reges & privatos divites ac pauperes, claros & obscuros æquaret: respondit C I N I S. Sapienter innuens post mortem regis à privato, divitis à paupere, formosi ab infirmi nullum esse discrimen. Omnes itaque in hoc SPECULO UNIVERSALI nos possumus inspicere. Hic proinde vos inspicite Narcissuli, Hiacynthuli, Parides, qui alienis capillitijs capita vestra ornatis an potiùs oneratis, & odoriferis pulvisculis velut cinere aspergitis: Utinam quoties illa furtiva affectatæ calvitici tegumenta capitibus vestris imponitis, toties recordaremini crines illos esse mortuorum spolia, à cadaveribus clam resecta, quæ vos habetis in delitijs, & veluti proprijs,

*Panorm.
lib. 4. de
gestis Al-
phons.*

novæ hujus ætatis corniculæ gloriâmini : Utinam dum pulveribus pretiosis vos conspergitis, & canam in capillitio simulatis ætatem illa vobis occurreret cogitatio. *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Sed pro dolor ! cum Seneca vos alloqui debéo : *Tanquam semper victuri vivitis. Nunquam vobis fragilitas vestra succurrit, omnia tanquam mortales timetis : omnia tanquam immortales concupiscitis. Audies plerosquæ dicentes : A quinquagesimo in otium secedam : sexagesimus annus ab officijs me dimittet. Et quem tandem longioris vitæ prædam accipis ? Quis ista sicut disponis ire patietur ? Non pudet te reliquias vitæ tibi reservare, & id solum tempus bonæ menti destinare quod in nullam rem conferri possit ? Quam serum est tunc vivere incipere, cum desinendum est.* Jam jam mi adolescens, cum tibi canos aspergis pulveres, cogita te ante ad pulverem, quam canos perventurum : jam, dum mortuorum triumphas exuvijs inter mortuos te numerare memento. Ex hoc Speculo disce quid sit homo. *Quid enim* (quærit & respondet B. Ephrem Syrus) *quid enim est homo ? Nihil. Quid homo ? Vermis. Quid homo ? Cinis & pulvis. Quid homo ? Somnium. Quid homo ? Umbra. Ecce jam transiit, ecce ascendit, ecce præterijt, ecce cessavit.* Quæ brevissimè complexus Justus Lipsius sepulchro suo inscribi jussit :

*Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,
Et scena imago, & verbo ut absolvam, Nihil.*

III. Quis vestrum ô Juvenes hæc seriò considerat ? *Tanquam semper victuri vivitis.* Fumo delectamini, in umbra quiescitis, vanitati servitis, in scena luditis, *nihilum* vestrum putatis esse *aliquid*. Nempe robusti estis, sani estis, idcirco mortem

Sen. de
brev. vitæ
cap. 4.

B. Ephrem
serm. in
eos qui
dormi-
runt.

Lipsii E-
pitaph.

Seneca. E.
pist. 12.

Idem Epist.
101.

S. Chry-
sost. ap. En-
gelgr.

Kisel. To.
5. Alvei.

minimè vobis metuendam existimatis: quasi verò non æquè juvenes ac sènes citet *Æaci urna*. *Mors tam juveni ante oculos debet esse quàm seni. Non enim citamur ex censu.* Ait Seneca: Et ubiquè nos comitantur pericula, nulla etiam robustissimis securitas est. *Stultum est (ut idem Philosophus pronantiat) ætatem disponere; ne crastino quidem dominamur. &c. Nihil sibi quisquam de futuro debet promittere: id quoquè quod tenetur per manus exit, & ipsam quam preuimus horam casus incidit.* Æquè in robustos ac debiles mors telum vibrat, æquè his atquè illis insidiantur humani casus; propè tibi est, quod nulli procul est. Itaquè memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris. In hoc Speculo tuum robur, tuas vires & corporis vigorem specularè. Id monet S. Mater Ecclesia, quæ hodie fidelium capitibus cineres inspergit: *Hodiernus cinis*, inquit S. Chrysofostomus, *debet esse SPECULUM, quod nobis ostendit quales sumus, & quod futuri sumus scilicet CINIS.* Heu nos miseros, qui scimus quid simus, & tamen vix serio recogitamus quid futuri simus! scimus nos esse mortales, sed ita vivimus quasi æternum negotiaturi pro nihilo, & nihil negotiamur pro æternitate. Quin potiùs in id toto visu incumbimus, & cum mortales simus, mortem nobis assiduè statui-mus ob oculos.

IV. Refert rem admirandam recens Ecclesiastes. Paucis, inquit, ab hinc annis contigit Mediolani: discurrentibus de nocte nobilibus sed discipulis adolescentibus obviavit matrona sola, gravi incessu, plena Majestatis. Obstupere juvenes illo tempore foeminam solam, sine omni metu sibi occurrere, rogant quænam sit? unde veniat? quo tendat?

dat? sed dum illa altum filet, audacior unus nigrum velum removet, quo caput matronæ obvolutum erat, & proh ingens monstrum! apparuit Calvaria, quæ tantum petulantibus incussit pavorem, ut pleriquè summo mane ad Confessarium accurrerint, & facta exhomologesi, vitam deinceps in melius commutaverint. Novi ego hominem, qui anno superiore vivere desijt: hic sanus & vegetus noctu ad lunæ splendorem deambulans, spectrum vidit candido amictu instar matronæ sed caput nudatum carne calvam referebat; ex quo illicò se propediem moriturum auguratus est, & die sequenti in lectulo se componens advocavit Confessarium, animæ fordes eluit, ac intra octiduum rebus animæ benè dispositis expiravit. Nihil opus est ut expectemus ejusmodi prænuntios, ejusmodi monitores ad agendam pœnitentiam. Nos ipsos inspiciamus in Speculo, seriò recogitemus nos esse mortales, formatos è pulvere, abituros in pulverem, fortè hac die, fortè hac horâ, fortè hoc quadrante. Omnes in mundo larvati incedimus, vera nostra effigies calva est, omnes similes sumus nascendo, & moriendo:

Excudit redeuntem natura (inquit Seneca) sicut intrantem. Non licet plus inferre quam intuleris: imò etiam ex eo quod in vitam attulisti pars magna ponenda est: detrahatur tibi hæc circumjecta, novissimum velamentum tui cutis &c. Qualis tunc futurus es? nunquid similis calvarijs temerè per cœmiteria jacentibus? Profectò qui non perfunctoriè hoc meditaretur, & celer foret ad pœnitentiam, & tardus deinceps ad peccandum. Nam assidua *mortis meditatio* (inquit Augustinus Ticinensis) *est peccatorum omnium peremptoria, juxta illud quod scriptum est; In omnibus operibus tuis*

Anno
1672.

Sen. Epist.
102.

Aug. Tric.
in vita S.
Guarini
Ep. Præ-
nest.

tuis memorare novissima tua & in æternum non peccabis. Ubi enim non est timor mortis, ibi dissolutio vitæ; ubi verò dissolutio vitæ, ibi peccatorum abundantia; ubi denique peccatorum abundantia, ibi & perditio animæ. Vis evitare perditionem animæ? fuge peccata; vis fugere peccata? cave dissolutionem vitæ: vis cavere dissolutionem vitæ? mortem time, mortem meditare, memento, quia pulvis es, & in pulverem reverteris.

V. Ad fenes me converto, qui non minus ac juvenes egent *Speculo Universalis*, in quo se contemplantur. Habeo domi meæ effigies quinque sensuum, quas ingeniosus pictor per contraria expressit. *Tactum* repræsentat puerulus flens, quem cancer à digito pendens fortifice stringit, *Olfactum* agit puella nares obturans quasi abhorrens à foetido objecto: *Gustum* exhibet juvenis fistula tabacum hauriens: *Auditum* sustinet vetula rugosa, auribus peplo involutis: denique *Visum* effigiat senex lippiens & ferè cœcutientibus oculis, quibus se & canos suos in speculo contemplatur. Verè lippiunt & cœcutiunt senes ad Speculum universale. Mortem salutant à limine, & credunt tamen adhuc se longè ab ea peregrinari; jam pede suspenso in sepulchrum ruunt, & adhuc sibi longævos annos pollicentur. Ridet eos Seneca, qui tales: *Decrepiti senes* (inquit) *paucorum annorum accessionem votis mendicant, minores natu se ipsos esse fingunt: Mendacio sibi blandiuntur, & tam libenter fallunt, quam si fata unà decipiant. Jam ergò cum illos aliqua imbecillitas mortalitatis admonuit, quemadmodum parvules moriuntur, non tanquam exeat de vita, sed tanquam extrahantur: Stultos se fuisse quod non vixerint clamitant, & si modo evaserint*

Sen. de.
brev. vi-
ta. c. 11.

serint ex illa valetudine, in otio victuros. Omnibus hodiè clamat Ecclesia. *Memento homo quia pulvis es, & in pulverem reverteris.* Quia omnes nati sumus ut moreremur, sed potissimum fenes in Speculo se intueri deberent, quos præter repentini casus periculum omnibus commune, ipsa ætas gravis & in finem vergens, mortis in horas expectandæ commune facit. Sed multis surdis canitur fabula. Spes longas inchoant ubi deficiunt, & cum vitam juhentur ponere, auspicantur. Adhuc emam, ædificabo, credam, exigam, lucrabor, honores geram &c: Cum instat à tergo mors pallida, quam si meditatione seria præoccuparent, leuius ferrent. Similes hi videntur Laidi vetulæ, quæ videns defecisse pristinam formam, speculum quo prius usa fuerat, respuit, & veneri dicavit, in cuius persona argutè canit Ausonius ex Græco mutato Epigrammate.

Lais anus Veneri speculum dico, dignum habeat se.

Æterna æternum forma ministerium.

At mihi nullus in hoc usus, quia cernere talem

Qualis sum nolo: qualis eram nequeo.

*Auson. ap.
Piccinell.
Lumi ri-
floss.*

Sic prorsus fenes de morte cogitare, *Speculum Uniuersale* habere præ oculis recusant, quia quales sunt nolunt videri, & quales erant nequeunt esse: quamquam semper fuerunt mortales, sed non tam periculosè mortales uti in extrema senectute, in qua omnia etiam juvenibus communia habent pericula, & quod maximum est speciatim non posse ampliùs sperare diuturnam vitam. Et tamen non minus quam iuvenes de futuris voluptatibus, lucris, commoditatibus, honoribus dies noctesquè solliciti, discurrunt, disponunt, fatigantur, ut tandem eos

in ejusmodi curis absorptos repente fatalis hōra obruat.

S. Jo. Damasc. in vita Barlaam. & Iosaphat cap. 12. Roscocid. in vit. PP. lib. 1. Zebeth. Verme male conscient. lib. 2. c. 1. §. 2.

VI. Hos verè commiseratione dignissimos eleganti Apologo expressit Barlaam unus ex severis antiquæ eremi cultoribus cum Josaphato Indorum Rege differens teste S. Joanne Damasceno. Fuit inquit, quem aperto campo Monoceros persequatur, effertatum animal, atquè ut ipsum nomen præfert in fronte cornutum. Et quamquam hæc fera velocissimè instaret fugitivo, ille tamen concitato cursu evasit insidias in obviam arborem eluctatus. Ubi cum se brachijs ramorum implicuisset, conspexit undequaque mellis liquorem sudare: jamquè oblitus recentis discriminis dulcem escam involans cœpit lambere mel, quod fortuna inopinatò obtulerat, sed ad interitum tam delicatè epulaturò. Nam & pestilens Draco proximus arbori intra scrobem fauces ingenti hiatus cœpit diducere, hominemquè ex ramo pendulum inconnixis oculis designare in prædam. Insuper mures duo prægrandes albus alter, alter niger radicem ligni continua arrosione infestabant certi non ante desistere, quam fatiscens arbor hominem inhiantis bestię dentes excussisset. Quid verò interim profugus ille? quam cautelam inimicis machinis opposuit? exiguo melle usquè adeò occupatus, nihil egit; & aut Dracōnem exitiumquè præsens non animadvertit, aut fascinatus infantilis lenocinio promulsidis, periculum vecordi negligentia dissimulavit. Atquè hic mos hominum est, ajebat Barlaam eremita ad Josaphat Regem: insidiosa mors & certo loco nescia stare, omni velocior monocerote, quotidie presso nos vestigio persequitur; pro cornu uno mille falcibus,

mille

mille telis armata in nostram internationem. Et fugere tamen volumus, conamur evadere inevitabilem factorum necessitatem: ac quod longè stultissimum est, tunc cum clepsydra fatalis horæ effluit, tacitiquè cum noctibus dies, velut candidus nigerque masculus lignum & vitam effœtam sensim rodendo incidunt, cum draco inferus semper vigil, semper Argus ad humanam perniciem patulum ritum aperit, ut nos absorbebat; quærimus tamen ad huc alvearia, favos & mellis guttulas, oblectamenta carnis & sensuum, nequè interea reminiscimur unde venerimus, quo tendamus, à Speculo humanæ fragilitatis oculos avertimus, quasi æternum vi-
cturi.

VII. O miseri & salutis vestræ incurij, aspici-
& si vultis etiam audite hanc calvam elinguem, e-
dentulam, ossæam, informem, nudam, ignotam,
quæ tamen omni oratore disertius loquitur; quid
ita? *Hodie mihi cras tibi, quod tu modo es, ego fui, quod
ego nunc sum, tu eris*: ad hoc natus es ut moriaris, &
revertaris in pulverem. *Dic mihi ubi sunt amatores
mundi, qui ante pauca tempora nobiscum erant? Nihil ex
eis remansit nisi Cineres & Vermes. Attende diligenter
quid sunt vel quid fuerunt? Homines fuerunt sicut tu,
comederunt, biberunt, riserunt, duxerunt in bonis dies suos,
& in puncto ad inferna descenderunt.* Hæc cogita te
audire ex calvaria perorante. *Verè si ossa ipsa arida
audire volueris* (inquit Augustinus) *tibi prædicare po-
tuerunt, & dicere: O miser! quantum pro cupiditate
hujus sæculi discurras! aut quid superbis, vel luxuriæ in-
felicius colla submittitis? attende ad me, intellige, & con-
sidera me.* **HOC QVOD TU ES. EGO
FUI,**

S. Bern.
Flor. c. 31.

S. August.
serm. 66.
ad Fratres
in Eremito.

*FUI, ET QUOD EGO SUM MO-
DO TUERIS POSTEA.* Sic Augustinus
En SPECULUM UNIVERSALE, quod
qui surdus est aspiciat, qui cæcus est audiat, omni
humano generi propositum & passim obvium.
Nam: *Quotidie præter oculos nostros transeunt notorum
ignotorumquæ funera, & subito id putamus esse, quod
nobis tota vita denuntiatur futurum.* Cum igitur ista
audimus, videmus, reminiscamur, quod hodiè
omnibus ingeminat Bcelesia. *Memento homo quia
pulvis es, & in pulverem reverteris.*

Senec.
Consol. ad
Polyb. c.
29.

Spalbergh
Conc.
Dom. 15.
post. Pent.
Engelgra.
Cæli P. 2.
Festo S.
Fraocisc.
Borg. 9. 1.

VIII. Utinam ego hodiè tam feliciter hoc
monitum Auditoribus meis inculcassem, uti cele-
bris ille Parisiensis Ecclesiastes, de quo nuperus Au-
thor recenset, quòd solitus quadragesimæ tempore
ad aliàs civitates excurrere, & populum è suggestu
docere, incidit alicubi in nobilem matronam mag-
gis spectatæ formæ, quam vitæ: quæ à disceden-
te petijt impertunè, ut cum proximè rediret se-
cum adferret Speculum Parisiense. Promisit ille,
& verò promissis stetit, attulitque sub velo abscon-
ditam calvariam, qua detecta neruosa ac aculeata
oratione illam allocutus est: *Speculum* inquiens *ò
Domina flagitasti, en Speculum aptum non concinendis
crinibus sed reformandis moribus.* Fuit hæc olim quod
tu modo es, eris & tu brevi, quod illa est modo &c:
Cohorruit matrona & afflatu divini Spiritus acce-
dente illicò immutata, sprevit præsentia, cœpit
cogitare futura. Utinam inquam ego hodiè tam felix
essem, & vel unum juvenem dissolutum, volupta-
tibus mancipatum, vel unum senem salutis suæ
negli-

negligentem, vel unam Dominam vanitati additam, hujus *Speculi Universalis* aspectu ad meliorem frugem reducerem, sed hoc non est mearum virium. Ecclesiastes muneri suo satisfacit, qui quod dicendum est dicit. Cœterum Spiritus ubi vult spirat, & sæpè spirat, sed non agnoscitur nostrâ culpâ. Non addo aliud: Ecce SPECULUM UNIVERSALE. *Memento homo quia pulvis es & in pulverem reverteris.*



DISCURSUS XVI.

Dominica I. Quadragesimæ

Odium Amorosum

THEMA.

Cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.

Matth., 4.

SYNOPSIS.

- I. Erant qui sibi blandiuntur ex verbis Apostoli nemo unquam carnem suam odio habuit, & a jejunio se putant esse immunes. quia potius per jejunium quam per epulas amatur corpus, dum odio amoroso castigatur.
- II. Hujus veritatis typum exhibet Abrahamus, jussus immolare dilectum filium, & Deo obtemperans, melius servavit dum non pepercit.
- III. Nemo nostrum corpus odisse dicitur cum sanitatis causa per chirurgum scindi, secari, uri patitur, nisi odio amoroso.

IV. Tale odium sui est jejunium, sanitatis mater, uti expertus est juvenis Religiosus apud Bellovacensem.

V. Ex nimis escis varij contrahuntur morbi, nemo egrotat ex moderato jejunio. Anaboretæ inter austera jejunia sani semper ac vegeti ad longævam pervenerunt ætatem.

VI. Cum viceversa belluones & abdominis mancipia innumeris subjecti sint morbis & miseris.

VII. Sed potissima jejunii instituti causa est pœnitentia pro peccatis. Est jejunium instar pharmaci, quod vermes peccatorum expellit: & Deum inflectit ad indulgentiam.

VIII. Neque aliam ob rationem Christus jejunavit, quam ut

nobis præiret exemplo, ut ejus imitatione animati jejunaremus, & castigaremus, gulam, per quam primo peccavimus.

IX. Sed multis nostrum cura non est Christum imitari, quasi præceptum jejunii solos pauperes & Religiosos obligaret, queruntur multi debilitatem, & facultates extorquent pro esu Carnium, sed conscientia illos dijudicat. Alij à carnib⁹ abstinent, sed cibis esurialibus se sarciant semper saturi: hi non jejunant: & sæpè coguntur jejunare cum non est præceptum.

X. Itaque amplectamur hoc amorosum odium nostri corporis, & jejunemus abstinendo non tantum à cibis sed & peccatis.

Cum jejunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit.
Matth. 4,

I.



Primo Ecclesiæ Christianæ exordio semper inventi sunt, qui textum sacrarum literarum in pravos torquerent sensus, & perversis interpretationibus sibi blandirentur. Testatur id D. Petrus in secunda Epistola loquens de Epistolis Pauli: *Charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis, loquens in eis de his, in quibus*

quibus sunt quadam difficultia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cœteras scripturas ad suam ipsorum perditionem. Quid ergò mirum reperiri hodiè cum mundus ad interitum properat, multos ineptos divini verbi interpretes, qui contempta sapientum doctrinà & veris elucidationibus, sacro abutuntur textu, & ubi deberent assurgere ad cœlestia, ibi præcipitia sibi parant ad barathrum. Teste, inquit, Apostolo: *Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam, sicut & Christus Ecclesiam.* Quorsum igitur illud importabile onus quadragintadialis jejunijs? quorsum tam rigida, & severa corporis maceratio, qua alimentum ad vitam sustentandam necessarium non tantum in specie, sed & in mensura & pondere determinatur? fovendum est corpus, non odio habendum; roborandum ad labores pro republica, non enervandum. Qui se ipsos mutilant censentur juxta Canones homicidæ: ergò pariter, qui jejunijs & vigilijs corpus suum debilitant, qui ei alimenta quibus foveri posset subtrahunt nihilo meliores censendi sunt mutilatoribus, & homicidis. Ita quidem delicati suæ cuticulæ curatores quos à genuino Paulinæ sententiæ intellectu aberrare præsentem ostendam discursu, ubi probavero per jejunium nutriri & foveri carnem, & corporis amorosum odium esse cum castigatur.

II. Quantus sit amor parentum in filios noverunt vel maximè qui experti sunt. Abrahamo post longam conjugij sterilitatem, specialis Dei gratia filium dederat, spem successionis, locupletis fortunæ hæredem, solatium orbitatis, blandum tædiorum levamen. Et jam Isaac adolescentiæ annos transgressus fuerat, vividus & vegetus juvenis, cujus poster-

*Ephes. 5.
29.*

*Dist. 55.
si quis ab-
scivit.*

Gen. 22.

posteritatem Deus multitudini stellarum fide datā comparaverat; cū ecce veluti promissi pœnitens Abrahamum alloquitur: *Tolle, inquit filium tuum, quem diligis Isaac, & vade in terram visionis, atque ibi offeres eum in holocaustum.* O arcana divinæ dispositionis mysteria; Filium dedit, & quidem filium dilectum, ut præmaturè reciperet. Quid ad tam in-

Basil. Seleuc. orat.

7.

speratum præceptum Abraham? *Igitur Abraham de nocte consurgens stravit asinum suum, &c.* Paratus exequi quod erat imperatum. Advertit hic Basilius Seleuciensis, quod Abraham: *Non servit, non illacrymavit, non naturæ vi fractus est: non emisit vocem patre dignam, quasi filij jugulum abnueret. Non dixit quæ ab ingenio voluisset: O Barbaricas præceptiones; o imperia à naturæ legibus abhorrentia; filij carnifex esse jubeor, servus cum fuerim pater, &c.* Sed velut oblitus paterni affectus educit filium, altare parat, imponit victimam, & sacrificium orditur. Quid agis Abrahamæ? num existimas semen tuum multiplicandum sicut stellas cœli per interitum unicæ prolis?

Zeno. Veron. ser. 3. de Abra.

Luc. 3. 8.

Audite Zenonem Veronensē: *Melius servavit filium dum non pepercit.* Perdere vult Abrahamus filium ut servet, quē servando perdidisset; non immemor, quod *potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahamæ.* Odisse videtur, quem strui lignorum imponit, sed hic est verus amor filij, qui non præfertur amorī DEI: amoroso odio amplexus filium posteritati propagatorem dedit.

Joan. 12.

III. An non hic obsecro, Abrahamus se præpropera virtute Christianum exhibuit, veluti edictus illud servatoris Christi oraculum: *Qui amat animam suam, perdet eam, & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Auditis delicatuli

licatuli, quibus grave est per quadraginta dies abstinere à carnibus, vitare superfluum cibum & potum, corpus nonnihil macerare? Amore perditur corpus, odio conservatur, & amorosum est planè id odium quod vitam servat. Nemo nostrum queritur cum membrum aliquod in corpore læsum chirurgus sanaturus circumcidit, urit; secat, emplastris morsicantibus obligat; nemo crudelem, nemo inimicum appellat; sed velut salutis suæ operatorem amplectitur. Nunquid ferire, secare, urere incidere odij sunt actiones? Ita lanè, sed ex intentionis arbitrio; qui secat & urit ut noceat, hostis est; exercet malignum odium: qui secat & urit, ut conservet corpus, amicus est; exercet amorosum odium. Quo respexit S. Laurentius Justinianus, ad allegata Joannis verba paraphrasim addens: *Qui male amat, perdit; & qui bene odit, custodit.* Profectò male amat, qui facit & saginat, bene odit qui per abstinentiam corpus macerat.

S. Laur.
Justin. ser.
2. de S.
Laurent.

IV. Mirabar cum legerem apud S. Basilium: *Jejunium sanitatis matrem* appellari, sed cum hesternæ diei collectam in Missa observavi, maior mihi suborta est admiratio: sic quippe heri oravimus: *Concede ut hoc solenne jejunium quod animis corporibusque curandis salubriter institutum est de voto servitio celebremus.* Ergone jejunium non animabus tantum medicinam præstat, sed & corporibus Nemo dubitet. Quod observans allegatus Basilium: *Interroga, inquit. Medicos & dicent tibi nihil esse periculosius habitudine corporis extremè bona, eoque qui peritissimi sunt artis, per jejunium detrahunt redundantia, ne vis nature pondere corpulentia fracta succumbat.* Rectè proinde fatemur jejunium animis corporibusque curandis salub-

S. Basil.
hom. 1. de
Jejun.

*Bellouac.
ap. Aub.
Spec. ex tit.
Abstinenti.*

riter institutum, quod qui debite observant hi carnem suam *amorosso odio* prosequuntur, & tunc vel maxime vitæ suæ lenocinantur, cum rigidiore abstinentiâ corpus castigant. *Hoc qui bene odit, custodit.* Veritati firmandæ facit, quod de juvene religioso refert Bellouacensis. Prudentissimè, inquit, respondit quidam de nostris adolescentibus Episcopo interroganti, unde proveniat, quod sanior & pulchrior esset in claustro, quam fuerit in seculo? quia inquit, uniformiter vivo, & decenter. Perrexit quærare Episcopus: *Quid ergo comedisti hodie?* satis, inquit. *Quid heri?* similiter satis. Non quæro inquit ille de quantitate, sed de qualitate, quid comedisti heri, quid hodie? Heri inquit comedi pisâ & olera, hodie olera & pisâ: cras autem comedam pisâ cum oleribus: postea olera cum pisis. Non farciebat hic ventrem exquisitis è toto orbe epulis, pisis contentus & oleribus satisfecit naturæ, & sanior ac pulchrior effectus est, quam in seculo fuerit ubi delitijs fruebatur. Heu quam procul ab hac dispositione corporis redeunt ij, quorum DEUS venter est, qui saginantur quotidie nova ciborum varietate, qui pomo citrino quingentis nummum millibus empto cum Tullio, aut bis tanto cum Afinio Gallo, nauseantis omnia stomachi famem pellunt; qui cum Æsopo ex canoris & loquacibus avibus sexcentorum millium patinam conflant; qui cum Neronis familiaribus una cœna mellita dant, quæ quadragies H. S. constant; qui margaritas cum Tragœdi filio edunt, cum Cleopatra gemmas sorbent, aut suspensam auro nivem cum Apicio bibunt: qui appositas dapes non sapore sed sumptu æstimant, & illis solum acquiescunt cibus, quos

invitæ

invitæ quodammodo reluctantique naturæ hominum pericula rapiunt : & tunc demum se credunt famem sedasse, cum distento in tympanum abdomine , in pedes non possunt consurgere , sed famulorum manibus lecto inferri debent. Quid verò inde reportant ejusmodi facilè divinatis. Nam.

V. Quod ex nimia ciborum ingestione, ex comestationibus & crapulis multi gravissimos contrahant morbos, quin & mortem incurrant , & sæpè legimus, & quotidie experimur : id saltem verissimum est per abstinentiam & sobrietatem prolongari vitam , per edacitatem breviari. Spiritus sancti oraculum & monitum est per Ecclesiasticum : *Noli avidus esse in omni epulatione, & non te effundas super omnem escam. In multis enim escis erit infirmitas, & aviditas appropinquabit usque ad coleram. Propter crapulam multi obierunt : qui autem abstiniens est adjiciet vitam.* Concedite mecum indeferta & eremos , ibique contemplantini seneciones grandes ætate, centenarios & ultra qui sexaginta , septuaginta annos inter ferarum latibula exegerunt, rigidissimo jejunio corpus macerantes , semper tamen sani & viribus integris : Unde hæc tanta firmitas ? Unde tam diuturna vita ? *qui abstiniens est adjiciet vitam.* De Asella Virgine scribens S. Hieronymus testatur quod continuum toto anno servaverit jejunium , biduo & triduo à cibo abstiniens in Quadragesima vero totis hebdomadis , & addit : *Quod impossibile forsitan est hominibus ad credendum , D E O autem præstante possibile est ; ita ad quinquagenariam pervenit ætatem ,*

Eccle. 37.
v. 34.

S. Hieron.
Ep. 15.
ad Marcel

ut non doleret stomachum; non viscerum cruciaretur injuria, sana corpore, animo sanior. MARIA Ægyptiaca in solitudinem secedens, duos semipanes secum detulit, qui arefacti quasi lapides obduruerunt, & his solis sustentata per annos septendecim in eremo perseveravit, usque ad annum quadragesimum.

Vita c. 18.

Hieron. in
vita.

Idem Hieron
in invita

Magnus Antonius in summa austeritate & continuis jejunijs annum centesimum quintum ætatis explevit. Hilarion, qui nunquam ex quo eremum petijt nec diebus festis, nec ægritudinis causa solvit jejunium ante solis occasum, vitam nihilominus produxit ad annum octogesimum. Quid cæteros memorem penè innumeros? verbo: *Qui abstinens est adjiciet vitam.* Amat benè animam suam, qui sic corpus odit, & melius nutrimur per jejunia, quam per lautas epulas.

VI. Nunc ediverſo convertamur ad gulæ & abdominis mancipia, quanta apud illos morborum & miseriarum seges! Romanus sapiens de suis loquens temporibus, depinxit nostra, quæ penè pejora sunt prioribus. *Postquam (inquit) cœpit cibus non ad tollendam: sed ad irritandam famem quæri, & inventæ sunt mille condituræ, quibus aviditas excitaretur, quæ desiderantibus alimenta erant, onera sunt plenis. Inde pallor, & nervorum vino madentium tremor, & miserabilior ex cruditatibus quam ex fame macies. Inde incerti labantium pedes, & semper qualis in ipsa ebrietate titubatio. Inde in totam cutem humor admissus distensusque venter, dum malè assuescit plus capere, quam poterat. Inde suffuso luridæ bilis, & decolor vultus, tabesques in se putrescentium, & retorti digiti articulis obrigescentibus, nervorum sine sensu jacentium torpor, &c. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta, & cerebri*

Senec. Ep.
95.

not. 2.
7. q.
1. 1. 1.

cerebri æstuantis verminationes? &c. Immunes erant ab istis malis, qui nondum se delitijs solverunt, &c. simplex erat ex simplici causa valetudo: multos morbos, multa fercula fecerunt. Hæc Seneca veritati patrocinians, quæ si benè perpenderent helluones, næ illi revocarent exulem menfarum frugalitatem, hoc præferunt esuriali tempore, quod imitatione Servatoris quadragintadiali jejunio Ecclesia præcipit honorari. *Multos morbos multa fercula fecerunt: multis nocent in corpore, sed pluribus in anima.*

VII. Enim verò nequis existimet me hodie corporum potius quam animarum Medicinæ velle agere: *Sciendum* (loquor cum Hugone de S. Victore) *quod per quatuor anni tempora, scilicet Ver, æstatem, autumnum, & hyemem, in quibus in multis deliquimus omnes, constituit primitiva Ecclesia quatuor celebrari jejunia, quibus pro quantitate criminum alij plus, alij minus abstinentes peccata sua deslerent.* Id vel maximè intelligendum de jejunio quadragesimali, quo ad recolenda præcipua bonsummatæ per DEI Eilium Redemptionis nostræ mysteria disponi debemus, ut postmodum cum Resurgente ambulare incipiamus in novitate vitæ. Scitis quid ægroti agant, cum feberi aut alio Symptomate laborare incipiunt? advocant medicum, poscunt pharmaca, sorbent amara & naturæ contraria, ut salutem pristinam consequantur, & velut in novos homines reviviscant. Saluberrimum animæ Pharmacum jejunium est, quo morbi omnes facilè depelluntur. Unde S. Basiliius ad jejunandum exhortans: *Sis, inquit: hilari animo, quod tibi à medico datum est pharmacum efficax abolendo peccato.* Id etiam eleganti similitudine expressit S. Ambrosius, peccata vermibus componens

Hugo. de
S. Vid. T. 1.
3. ex Mi-
scel. l. 3. tr.
31. c. 1.

S. Basil.
hom. 1. de
jejun.

S. Ambros.

de Elia &
jejun. c. 11.

S. Bernar.
Sen. ser. 5.
die Cin.
S. Cyrill.
hom. 20.
de Pasch.

Exodi. 33.

S. August.
ser. 65. de
temp.

Lyr. in
Matth.

nens in hæc verba : *Sicut cum in intimis puerorum visceribus vermes ex cibi indegestione nascuntur & extingui non queunt, nisi cum amarior potus infunditur, ita profundum animæ, virtus ingressa jejunii culpam latentem interficit.* Sic Ambros. Ex quo & illud depromit S. Bernardinus Senensis : *Nullum est tam grave delictum, quod abstinentia non purgetur.* Eam ob causam S. Cyrillus Alexandrinus appellat jejunium : *Superne conciliatorem atque administrum benevolentie.* Quia scilicet ut peccata purgentur & dimitantur, conciliari debet is, qui & peccatorum est vindex, & Medicus animarum. Prævaricatus fuerat populus Israël in Eremo, & jam eo processerat divinæ justitiæ rigor, ut fulminaret sententiam : *Populus duræ cervicis es, semel ascendam in medio tui, delebo te.* Interposuit se Moyses cum per quadraginta dies jejunasset, & ecce placatus est DEUS : quod expendens S. Augustinus agebat : *Impetraverunt unius hominis jejunia, quod totius populi saturitas desperaverat ; Advertamus ergo quanta sit inter jejunium & saturitatem distantia ; inter ventrem vacuum & pulmonem epulis aestuantem.* *Moyses quia jejunavit Dominum vidit ; populus quia manducavit & bibit, idola fabricatus est.*

VIII. Sed quam existimatis subesse causam, quod Christus benedictus qui peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus, qui Patrem habuit semper benevolum, nunquam aversum, per totos quadraginta dies & noctes jejunium continuaverit ? Non habuit pharmaco opus sanitas ipsa ; non habuit reconciliatione opus innocentia, & tamen jejunavit. Nihil moror rationem Lyrani : *Ut virtus d. vinitatis diabolo celaretur, quia Moyses*

Jes & Elias jejuna verunt tot diebus. Aliò etiam ten-
dit Paulus de Palatio : *A Spiritu agitur ad jejunan-*
dum, sanè cum spiritus concupiscat adversus carnem,
nihil antiquius habet spiritus, quàm statim carnem doma-
re. Placet ratio S. Ambrosij : *Quadragesimam nobis*
Dominus suo jejania consecravit, quod etiam inquit
Abulensis : *Jejunavit Christus ut nobis jejunandi exem-*
plum traderet : nam cum ipse fuerit plenissimus legislator,
debut nos de omnibus instruere. Omnis certè Christi
actio nostra est instructio, & quod ipse egit ut doce-
ret, nobis exercendum est ut malis nostris medea-
mur. Peccavimus per gulam in protoparente,
æquum est, ut mortificando gulam pœniteamus un-
de Author Glossæ. *In pugna Christi prius agitur con-*
tra gulam jejunando, per quam victus est primus homo.

I X. Verùm quidquid exemplo nostro jejuna-
verit Christus, hoc tamen corrupto seculo pluri-
mis Christianis, nec cura est imitationis, nec me-
tus prævaricationis, nec studium pœnitentiæ.
Quadragesimale jejunium jam solos inter pauperes
& Religiosos observatur. Delicati mundi sectato-
res magnam rem se præstare arbitrantur, si duabus
aut tribus hebdomadis à carnium esu abstineant.
Queruntur debilitatem stomachi, vertigines capi-
tis, nausæam ciborum esurialium, & qua possunt ar-
te extorquent à Medicis testimonia, ut impetrent
facultatem laxandi præcepti Quadragesimalis. Non
irridetur DEUS, qui scrutatur interiora : frustra
tibi consilium Medici, si conscientia te non absolvit,
si cum posses citra sanitatis jacturam præcepto Ec-
clesiæ satisfacere, ut gulæ lites ad ollas carnium
properas, *forfitan inquires* (verba sunt B. Petri Damia-
ni) *dolet caput, languet stomachus, hæc sunt emplastra*
mollium,

Paul. de
Palat. in
Matth.

S. Ambrosij
ser. 34.

Abul. in
Matth.

Gloss. in
Matth.

B. Petr.
Dam. lib.
6. Ep. 23.

*mollium, satis macra hæc cernitur excusatio, cum ægros aqua frequenter refoveat, & vinum frequenter occidat. Multos verò deprehendere licet, qui ab esu carniū quidem temperant, sed alijs delicatis edulijs ita ventrem saginant, ut semper saturi nullam sentiant difficultatem jejunijs. Quales est illud jejunium, qualis refectio post jejunium, cum præclaris epulis distendimur: Quærit S. Hieronymus. Jejunare est corpus castigare inediã, est subtrahere superflua, est pati esuriam; non repleri, non saginari. Malè amat suū corpus, qui nihil ei subtrahit cupediarum; benè odit, qui alimeuta necessitati soli commensurat. Hic & facilè reddit rationem DEO & sanum conservat corpus, & ab anima expellit vitia, & merita sibi cumulat, & præmium sempiternum meretur. Quod agnoscens Ludovicus Pius Imperator cum post festâ Paschalia in morbum lethalem prolapsus cibum non posset sumere, per dies quadraginta solo refectus est Dominico corpore: quibus diebus exclamabat: *Justus es Domine. At quia Quadragesimæ tempus non jejunans, exegi, saltem coactus idem jejunium tibi exsolvam.**

*Spod. ad
en. 2. 40.*

X. Amplectamur ergo hoc amorosum odiū nostri corporis, & præceptum Quadragesimale jejunium, fideliter, integrè, devotè impleamus, sit nobis jejunium medela mentis & corporis. Excipite (uti exhortatur Basilius) *excipite malè valentes sanitatis matrem; qui bona estis habitudine, excipite bonæ habitudinis custodem.* Neque satis esse credite hoc sacro tempore abstinere à carnibus, abstinere à cibis superfluis, sed à vitijs etiam est abstinendum. Nam ut loquitur S. Ambrosius; *Hæc voluntas est Domini, ut jejunemus à cibis pariter, & peccatis abstinentiam*

*S. Basil.
hom. 2. de
jejun.*

*S. Ambros.
ser. 41. in
Dom. 3.*

tiam

tiam indicamus corpori, ut à vitijs magis animam abstinere possimus. Sic odiendo corpus amabimus animam, sic perdendo, servabimus. Quadrages.



DISCURSUS XVII.

Dominica II. Quadragesimæ
Metamorphosis Christiana

T H E M A.

Et transfiguratus est ante eos. *Matth. 17.*

S Y N O P S I S.

- | | |
|--|---|
| <p><i>I. An possit transformari una natura in aliam querunt Philosophi. Poëta multas commiscuntur Metamorphoses: Historici nonnullas depronunt, sed magicas, & apparentes.</i></p> | <p><i>stum, & filium diaboli in filium Dei.</i></p> |
| <p><i>II. Verius sacre literæ de Loth uxore in statnam salis conversa, & de Nabuchodonosore in bovem mutato, si non quod lineamenta, quoad mutationem phantasie, ut dispensa DEO in pœnam delicti, crederet se bovem esse & fœnum ut bos comederet. Verum hæc mirabilia: mirabilibus verò hominem peccatorem converti in ju-</i></p> | <p><i>III. Christus in hodierno Evangelio proponitur transfiguratus justorum documento, ut à tenebris ad lucem vocati, crescant de claritate in claritatem.</i></p> |
| <p><i>IV. Num pœnitentia illa est, quæ speciem mentis alteram facit, ex tenebris in solem transfert: unde peccator conversus idem homo est quoad personam, alius quoad virtutem, sicut sol oriens ab occidente.</i></p> | <p><i>V. Eadem pœnitentia candorem primigenium reducit, ob quam causam historia Christi transfigurati legitur bis in</i></p> |

Quadragesima, heri & hodie,
quia per emundationem à pec-
catis sumus similes Deo.

VI. Et pœnitens idem nomen cum
Deo sortitur, quod *SIT*, pec-
cator verò quod *NON SIT*.

VII. Sed ostendenda est & virtu-
tis necessitas, & modus exercen-
dæ. Si salutem consequi volu-
mus, Dei imitatores & quo-
dammodo Deos nos effici oportet,
secus sumus filij diaboli.

VIII. Pœnitentia verò agenda

observatione quadraginta
diebus jejuniij, ut & à cibo &
à culpa jejunemus macerando
carnem propter præterita.

IX. Idq; magnorum exemplo, In-
stanti qui rigide jejunabat,
Ottonis *IV.* qui moriturus
pœnitentiam asperam egit,
nihilominus per Purgatorium
transiens ut filius Dei efficeret-
ur, per Christianam Meta-
morphosim.

Et transfiguratus est ante eos. *Matth. 17.*

I.



Elebris inter Philosophos & Theolo-
gos versatur quæstio, an fieri possit
transmutatio vel transformatio u-
nius naturæ in aliam. Fabulosa ve-
tustas plena est ejusmodi transmuta-
tionibus. Unde Tereus in upupam,
Progne in hirundinem, Philomela in lusciniam,
Callisto in ursam, Cadmus in Draconem,
Niobe in saxum mutati feruntur, quæ sub fictionis involucre
suas obvelant veritates; neque tamen veram ali-
quam transformationem arguunt. Verum quæstio
est an reipsa humanum aliquod individuum aliquando
transformatum sit in aliam naturam, aut transfor-
mari possit. De Luciano quodam memorant, quod
in Thesaliam profectus in hospitium fortè divertit,
ubi mulier se unguento illinens in corvuum muta-
batur, qui volens imitari, & se inungere volens, in
aliud unguentum errore incidit, & conversus est in
asinum. Inductus verò in theatrum varijs consper-
sum

Ovid.
Metam.
Nat. Com.
Mythol.

Franc. Pic
de Ludif.
decem. lib.
3. Ludov.
Vives in
August. de
civ. Dei.
lib. 18.

Apul. lib. 2.
Asiu.

sum herbis ex ancillæ institutione, per esum rosarum restitutus est. Neuros Scythiæ populos fama est quotannis semel singulos ad aliquot dies effici lupos, & rursus in pristinum redire habitum. In Livonia & Lithuania olim maximo numero homines in lupos vertebantur, & rusticorum caulas aggressi diripiebant pecora, dolia cereviæ exhauriebant, & ubi libuisset pristinam resumebant formam. Sed hæc fieri dæmonis ope, nec veram esse transformationem disertè statuit S. Augustinus, inquiens: *Dicit & humana opinio, quod quadam arte mulierum, & potestate dæmonum, homines converti possint in lupos, & jumenta, & queque necessaria portare, &c. Hoc sic intelligendum est; quoniam dæmones naturas non creant: sed aliquid tale facere possunt, ut videantur esse que non sunt.* Sic Augustinus: qui præterea adstruit verum corpus humanum sopore oppressum ludificari somnijs, dum interim ejus loco phantasticum aliud corpus à dæmone substituitur & onera portat. Sed quia de nonnullis traditur, quod pluribus annis apparuerint sub lupi vel alterius bestię forma, neque tamen intellectu & ratione humana caruerint, existimandum reor non tantum per substitutionem phantastici corporis, sed etiam per solam illusionem visus, hominem qui verè homo manet, apparere lupum vel asinum: quamadmodum accidit puellæ pudicæ, quæ à proco Ægyptio in equam versâ omnibus apparuit, soli B. Macario Anachoretæ ad quem adducta fuit, humanam formam retinuisse visâ, quia in eo cessabat illusio dæmonis.

II. Quid verò dicemus de transmutationibus, de quibus sacræ literæ attestantur? sanè Loth uxor in salis statuam versâ quod respexisset ad Gomorchæorum incendium: *Respicensque uxor ejus post se, ver-*

Herodot. lib. 4.

Olav Magn. lib. 18. c. 45. Botbin. lib. 6. Dæmon. c. 6. ap. Bayol. lit. M. fol. 545. S. August. lib. de spir. & anima. c. 26.

Barthol. spin. q. de strig. c. 16. Vincent. Belloua. lib. 16. Hist. flor. sylv. de strigin. lib. 2. c. 8. Majol. Canicul. colloq. 1. To. 1. Steng

*Judicior.
To. 2. c. 60.
Dan. 4.*

*Metaph.
30. sept.*

*Aventi lib
7. Annal.
Boico. mi-
hi pag. 633
Fugger. in
spec. fol.
323.*

sa est in statuam salis, Nabuchodonosor etiam ejectus est ex hominibus, & fœnum ut bos comedit, & cum feris ac bestiis fuit habitatio ejus septem annis. Quibus similia plura apud historicos tam Ecclesiasticos quam profanos reperiuntur. De Tiridate Armeniorum Rege memorat Metaphraustes, quod cum Virgines Ripsimem & Gaianam ad nefanda flagitia vellet impellere, mutatus sit in porcum. De terræmotu, qui in Carinthia Anno 1348. ingens fuit & 26. Urbes & castella prostravit, recenset Aventinus quod in confinibus Norici, Pannoniæ & Illyrici (Fuggerus ponit in Carniolia, quod videtur factum in Lueg ubi nunc castellum in rupe & fluvius per vastam specum unius miliaris decurrit) duo montes ad invicem conciderint: ubi quinquaginta amplius homines, villica mulgentes cum vaccis extinctas diriguerunt, & corpora à spiritu terreno in salarias statuas redacta; hæcque simulacra sibi & Cancellario Austriaco inspecta esse refert Conradus de Maidenberg, ejus temporis Scriptor. Sed hæc sunt mirabilia DEI. Loth uxorem extinctam, ejusque cadaver in statuam salis transmutatum nova forma veteri superinducta certum est: Nabuchodonosorem verè phantasiâ immutatâ ex DEI vindicis voluntate, credidisse non hominem amplius sed bovem se esse, videntur sentire scripturæ Interpretes. Non tamen impossibile DEO (etsi impossibile sit dæmoni) fateri debent vel ipsi Philosophi, quin expulsa forma substantiali v. g. cadaveritatis, ei possit superinducere. Formam bovis vel alterius bestię. Verum seponamus hæc mirabilia, & scrutemur aliquid mirabilius, quomodo scilicet homo ipse non jam ipse sed alius à se ipso, id est à pecca-

*Stengel.
cit. sup
Delvio in
Disq.
Mag.*

peccatore, mutari & transformari possit in DEUM, & cum Christo transfigurato in monte Thabor Christiana quadam metamorphosi transfigurari, imò quomodo filius diaboli possit transformari in filium DEI, quod erit præsentis sermonis thema.

III. Varias assignant rationes SS. Patres, cur Christus eductis secum tribus Apostolis in montem Thabor voluerit transfigurari, & illis sese totum alium à priore ostendere, ita ut facies ejus splenderet ut sol, vestimenta verò fierent alba ut nix. S. Lucas Evangelista attingens hanc transfigurationem ait: *Facta est dum oraret, species vultus ejus AL-
TERA*, quæ sine dubio ponderans Gilbertus rationem transfigurationis refundit in commendationem orationis: *Voluit inquit, per hoc in mente sua orationis commendare virtutem, quod illa sit, quæ te in intimis ALTERUM faciat, & novum commutet in hominem.* Alio tendit Lyranus, *ut ostenderetur discipulis gloria future resurrectionis, non tantum animæ sed & corporis.* Quâ videlicet veluti prægustata in contemplatione Christi animarentur ad fortiter subeunda martyria, & sequendum Christum per passionem. Mihi verò placet sententia B. Alberti Magni qui ideò Christum benedictum putat transfiguratum, ut doceret electos ad quotidianam mutationem animæ in melius. Verba ejus appono: *Quod Christus operatus est in suo corpore, quotidie vivi sancti mente: in qua dum fulgorem suæ claritatis immittit, faciem mentis ALTERAM facit.* Quasi diceret, videbat in discipulis Christus adhuc tenebras & obscuritates quasdam, quas gratia suæ illustrationis propulsaturus, transfigurari voluit, & veluti velum humanitatis quo vestiebatur divinitas non nihil di-
ducere

Luc. 9.

Gilb. Abb.
serm. 15.
in Cant.Lyrano. in
Matth.B. Alb. M.
in Luc.

ducere, ut DEUS illustrati splendoribus animarentur ad profectum in vita spirituali, ad emundandas penitus conscientias ab omni labe.

IV. Profectio emundatio conscientiae & puritatis studium per poenitentiam, virtus est quae *faciem mentis ALTERAM facit*: quod vel ex ipsa hodierni Evangelici textus narratione non uno argumento elicio. Ait quippe sacer Historicus. *Et resplenduit facies ejus sicut sol.* Cur obsecro claritatem vultus Christi Evangelista expressurus non alia utitur similitudine quam solis? annon etiam plura sunt, quibus claritas convenit? ut speculum, ut aurum, ut lux. *Meridiana lux clara est*: ut dies, *clara adhuc die*: ut ignis, quemadmodum in Apocalypsi visus est: *Et oculi ejus tanquam flamma ignis.* Non, non: sed *resplenduit facies ejus sicut sol*, qui cum lucet etiam exurit, qui luce sua manifestat abscondita, qui cum occidit, iterum resurgit, verae poenitentiae symbolum cui lemma possis addere quod Maphæus Barberinus* (postea summus Pontifex Urbanus VIII.) finitis studiis & laureâ doctorali ornatus, cum in patriam rediret, sibi formavit, solis orientis picturæ adscribens: *Aliusque & idem.* Alium se factum per scientiam, eundem tamen esse in persona significans. Melius id de poenitente peccatore, qui ex calibus & peccatis resurgit dicere possis. *Aliusque & idem.* Instar solis orientis post tristem occasum resplendens, & licet idem homo, alius tamen à priore peccatore quia justus: Nam Poenitentia *faciem mentis ALTERAM facit*: Quo referas illud Chrysostomi: *Poenitentiae autem illud est, ut qui vetusti facti sunt, & vetera verunt in peccatis, liberentur à vetustate & ALTERI quodammodo fiant.* Post poenitentiam potest dicere peccator, ut loquitur S. Ambrosius *Ego non*

Isai. 18.
2. Reg. 3.
Apoc. 1.

Piccinell.
mund.
Symb. lib. 1.

M. J. B.
J. L. M.

S. Chrysost.
hom. 9. in
Ep. ad
Hebraeos.
S. Ambros.

sum ego. Talis juvenis ille, qui amoribus impuris allueverat, & expiatis criminibus obvians meretriculæ, cum illam se noscere dissimularet, aggressa impudens fœmina juvenem: Non nosti me inquit: *Ego sum illa*: Non novi inquit, quia *Ego non sum ille.* Nimirum per pœnitentiam mutatus in alium, & qui prius insepultus tenebris peccatorum jacuerat, jam *resplenduit sicut sol*, quod Evangelista de justis testatur: *Iusti fulgebunt sicut sol*, Similes effecti filio Dei.

lib. 2. de
pœn. c. 10.

V. Progrediamur cum Evangelista: *vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix.* Volens DEUS Israëlem à peccatis mundare, exhortatur per Isaiam Prophetam: *Lavamini, mundi estote, auferite malum cogitationum vestrarum, &c. Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabitur: Et si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Non vacat mysterio, quod sub allegoria nivis & lanæ promittat DEUS pœnitentibus munditiem cordium, si ipsi prius cooperati sese manducaverint, & sustulerint malum cogitationum suarum. Nempè albedo nivis & lanæ non est superinducta sed connaturalis. Vult igitur animas nostras ita mundas esse, ut re ipsa mundæ sint non solum mundæ appareant, ne dici de illis possit, quod sint *sepulchra dealbata.* Id observans Chryóstomus ajebat ad hunc locum: *Propterea namque colores non evanidos, sed subjectis ferè consubstantiatos in contrarium dixit statum venturos. Non enim simpliciter lavare dixit, sed tanquam lanam, & quasi nivem dealbare, ut bonam nobis spem suggerat: ergo magna vis pœnitentiæ; siquidem ut nivem nos reddit, & ut lanam albefacit, licet præveniens peccatum nostras infecerit animas.* Sub eadem allegoria vim pœnitentiæ exprellit Psaltes Regius, cum canebat: *Lavabis*

Matth. 28.
v. 42.

Isa. 28

S. Chrysoſt
hom. 41. ad
popul.

Innoc. III.
in Psal. 4.
pœnit.

me & super nivem dealbabor. Quæ expendens Innocentius Papa III. inquit: *Spes tribuitur peccatori, ut per pœnitentiam possit redire, non solum ad priorem mundiciam, verum etiam ad longè majorem, ut videlicet dealbetur super nivem.* Quæ dum confidero & simul investigo causam cur Ecclesia præcepit Evangelium hodiernum non tantum Dominica 2. Quadragesimæ, sed etiam pridie, sive Sabatho Dominicæ primæ à sacerdotibus in Missâ legi, non aliam reperio causam, quam quod nobis transfiguratio Christi proponatur ad incitamentum pœnitentiæ, ut per veram peccatorum nostrorum emundationem clarificemur, & fiamus *Alique & ijdem*, transformemur de peccatoribus in DEO gratos & justos, de iniquis in filios DEI, atque adeò, si dicere licet efficiamur quidam transfigurati Christi, & quasi *Dij*. Nam *per hoc DEO evadimus similes* (inquit Chrysostomus) *dum quæ ipse vult eadem volumus.* Vult autem ut emundemur à peccatis, *lavamini, mundi estote*: Vult ut instar nivis aut lanæ congenita quadam munditie, & puritate dealbemur, non fucata non extrinsecus superinducta, ne simus veluti *sepulchra dealbata*, foris alba, intus horrida cadaveribus peccatorum. Et quia ad hoc difficulter impellimur, instat, urget Ecclesia idem Evangelium bis repetendo.

S Chrysost.
hom. 8. in
Ep. 1. ad
Tym.

VI. Cum destinasset DEUS Moysem Legislatorem Israëlitarum, quærebat Moyse quid responsurus esset si interrogarent à quo mitteretur, quid ad hæc DEUS? noluit alio nomine insigniri, quam: *Ego sum qui sum*, quasi ESSE & ENS sit proprium DEI, sed occurrit mirari cur Spiritus sanctus idem nomen attribuerit Prophetæ Isaïæ, qui etiam missus Legatus ad populum Israëliticum dixit: *Ecce ego*
mitto

mitto me. ubi Septuaginta legunt: *Ecce ego sum, mitte me.* Quid commune habuit Isaias cum DEO, ut mereretur eodem nomine in sacris literis nuncupari? Aptè in rem nostram Basilius: *Id autem dixit, expurgatis prius labijs.* Qui autem in iniquitatibus jacet, necdum ejus cognitione illustratus **QUI EST**, non potest pro seipso testimonium reddere. *Ecce ego sum.* Quasi diceret, homo justus & per pœnitentiam à peccatis mundatus similis efficitur DEO, & ideò nomen commune sortitur cum DEO, ut possit de se pronuntiare *Ecce ego sum.* Econtra peccator dum seipsum per peccatum redigit in nihilum, non potest dicere *Ego sum*, sed potius *ego non sum.* Ad justos dixit DEUS: *Ego dixi Dij estis & filij excelsi omnes.* Excelsus DEUS generare non potest nisi DEUM, & cum se exhauriat unicâ generatione in uno Filio DEO, mirum dictu est, quod per Spiritum sanctum nominentur plures Filij excelsi, & plures Dij, nisi de adoptivis filijs per gratiam intelligamus. Sicut ergo Filij DEI per gratiam omnes justis, sic etiam per eandem gratiam iidem justis Dij adoptivi. Est hæc D. Augustini ratiocinatio: *Filij DEI facti sumus, & Dij facti sumus, sed hoc gratiæ est adoptandis, non naturæ generantis.* Dij ergo adoptivi sunt quotquot per seriam pœnitentiam emaculant suam animam, & justis effecti per gratiam in numero Filiorum DEI computantur. Et hanc reor causam fuisse cur DEI Filius qui se non nominabat nisi filium hominis, in monte Thabor exhibuerit se insolitâ quadam Metamorphosi clarificatum, ut verè Filium DEI, ut scilicet Apostolos (& in ijs fideles omnes) ad participandam secum divinitatem animaret, & quidem per pœnitentiam, & emundationem ab omni prorsus

S. Basil.
hom. de je-
jun.

Psal. 81.

S. Aug. in
Psalm. 49.

labe & macula peccati. Rectè proinde Apostolus :
 I. JOHANN. 3. *Videte, inquit, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut
 Filij Dei nominemur, & simus.* Sed quales esse oportet, qui Filij DEI non tantum nominentur, sed re ipsa sint? mox ipse declarat: *Omnis qui habet hanc spem in eo sanctificat se, sicut & ille sanctus est.* Neque hoc contentus assignat causam Incarnationis Christi eam esse, ut nos ex peccatoribus efficeret justos ac Filios DEI. *Scitis quia ille apparuit ut peccata nostra tolleret: & peccatum in eo non est. Omnis qui in eo manet non peccat.* Quæ diffundens Doctor Angelicus ita disserit: *Unigenitus DEI Filius suæ divinitatis volens nos esse participes, naturam nostram assumpsit, ut homines Deos faceret, factus est homo.* Nempe degeneraverat homo à primæva sua prærogativa similitudinis cum DEO, quam ut in eo reformaret DEI Filius, assumpsit hominem, edocuitque qua ratione pristinam reciperet gloriam, purgationem peccatorum faciens, emundans animas à delictis, & restituens quam homo per peccatum perdidit justitiam, quæ hominem transformat in DEUM.

D. Thom.
 Opusc. 57.

V II. Sed frustra ego hodie in effectus & gloria pænitentiae diffundor, nisi & necessitatem ejus ostendero, & modum exercendæ. Dicite obsecro num malitis nominari & dici Filij DEI, aut potius filij diaboli? *Aut cum Christo, aut cum diabolo nos esse oportet, nec est locus, medius,* inquit quidam è SS. Patribus. At Apostoli conclusio est: *Qui facit peccatum ex diabolo est: Et rursus: Omnis qui natus est ex DEO peccatum non facit.* Infer te nunc per legitimam consequentiam, si licet peccatori per pœnitentiam emundari, ex injusto fieri justum, licet ex filio diaboli, transformari in Filium DEI.

I. JOHANN. 3.

DEI.

DEI. O metamorphosim admirandum! O vim ineffabilem divinæ gratiæ, quæ confertur peccatori per veram pœnitentiam justificato! qui modo per peccatum effectus fuit filius diaboli, per pœnitentiam receptâ gratiâ efficitur Filius DEI! A sole proigigni radios nemo ignorat, hos verò quid vetet appellare filios solis, qui licet terram contingant, adhærent tamen suæ origini, quod Seneca adaptans animo excelsò & sacro, planè Christianè philosophatur: *Quemadmodum radij solis contingunt quidem terram, sed ibi sunt unde mittuntur: sic animus magnus & sacer in hoc demissus, & propius quidem divina noscens, conversatur quidem nobiscum, sed hæret origini suæ.* Ita prorsus homo peccator justificatus per gratiam, adhæret soli justitiæ ceu radius soli, ceu Filius DEI, Deo.

Sen Ep. 41.

VIII. Vultis nunc intelligere, qua ratione agenda sit pœnitentia, ut per eam transeamus in adoptionem filiorum DEI? Audite magnum Leonem de causa instituti Quadragesimalis jejuniij differentem: *Magnâ divinæ Institutionis salubritate provisum est, ut ad reparandam mentium puritatem, quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas & pia opera redimerent, & jejunia casta decoquerent.* Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis, quibus ad pœnitentiam invitamur, quibus reparare jubemur mentium puritatem, ut præteritorum temporum culpas decoquamus, nosq; DEO similes magis magisque efficere studeamus, uti de se gloriatur Apostolus & monet Corinthios: *Nos verò omnes revelatâ facie gloriam Domini specularantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem.* DEUM imitando filij DEI & Diſjevadimus: *DEUS ipse* (inquit S. Maximus)

S. Leo.
serm. 4. de
Quadrages.

2. Cor. 3.

S. Max.

hom in Li-
tan.

DEUS ipse misericors, jejunius & sanctus est: atque adeo qui vult proximus DEO esse, debet imitari hoc esse quod DEUS. Debet crescere in puritate, debet transformatus à peccatore in justum, à filio tenebrarum in filium lucis, porrò à claritate in claritatem ascendere, & instar Filij DEI clarificari. Ad hoc ipsum nos excitat Ecclesia initio hujus sacri temporis pœnitentiæ, cum Joële Propheta: *Sanctificate jejunium.* Quid est sanctificare jejunium, nisi voluntaria carnis maceratione, culpas eluere, vitia fugere, sectari bona opera. *Quid est* (quærit alio loco S. Maximus) *sanctificare jejunium, nisi jejuniij causa sancta velle, justa facere, iniqua vitare? Sc.* *Apprimè sanctificat ille jejunium, qui per omnia præceptis divinæ legis intentus, diabolica à corde suo respuit tentamenta.*

S. Max.
hom. 1. de
jejun.

Procop. de
sanctificat.
lib. 1.

IX. Hoc porrò in effectum deducere discamus à Magnis. De Justiniano Imperatore meminit Procopius. Omnibus; inquit, illis diebus qui Paschalem solennitatem præcedunt, jejunio adductus, duram quandam vitam egit, nedum Regi alienam; sed neque privato civi aliquo modo acceptabilem. Per duos dies cibus abstinebat: summo mane identidem è lecto surgens Reipub. invigilavit, cujus negotia verbo & opere pertractans, matutinum & meridianum, & non minus tempus nocturnum expendit. Nam in seram noctem lectum petens, mox surrexit, quasi plumarum pertæsus. Cibi appetens, vinum, panem, & id genus alia cibaria abesse voluit: brassicam solum & aggresstes herbas longo tempore sale & aceto maceratas edebat. In potu aqua erat sola: neque his ad iaturitatem utebatur: sed petitum cibum paulisper degustatum mox dimisit, non eo sumpto qui naturæ erat satis. De

Othone

Othone IV. Imperatore narrat Crantius, quod cum morbo laboraret, qui vitam illi abstulit, severissimam pœnitentiam egerit; coquinarijs suis præcipiens, ut collum suum calcaneis premerent, & vilissimam creaturam se reputarent. Addit ex Cantipratano Bzovius: quod omni die sacerdotibus Christi dorsum suum tradidit flagellandum: illiusque contritio tanta fuit, ut Hildesheimensis Episcopus (quo Confessario utebatur) testatus sit, vix se posse credere, ut Otho Imperator post tantam contritionem & pœnitentiam, vel ad horam Purgatorium sustineret. Nihilominus post mortem apparens Sanctimoniali suæ cognatæ suffragia petijt, ut decies mille Psalteria legèrentur, & ad singulos Psalmos à Religiosis in plurimis cœnobijs decem ictuum disciplina fieret, & ad unumquemque versum salutatio Angelica & Oratio Dominica adderetur, & tempore disciplinæ Psalmus *de profundis*. Tanti stetit Othoni Imperatori, vel post actam pœnitentiam transformatio in Filium DEI, ut de claritate conscientiæ, in claritatem gloriæ transiens, & rursus apparens, ac ineffabili coruscans lumine Sanctimoniali diceret: *Gratias reddo tibi, tu pro me misericordissimo Domino gratias age, quia jam à pœnis ereptus ad gloriam transeo sempiternam*. Quid nos ex somnolentia nostra in agenda pœnitentia nobis polliceamur? Cum transfigurationem Domini contemplamur cum Petro quidem dicimus: *Domine bonum est nos hic esse*: at cum eodem Petro *nescimus quid dicamus*, quia per illa ad ista, per pœnitentiam ad remunerationem, per laborem ad requiem, per puritatem conscientiæ ad claritatem gloriæ pervenitur. Quadragesimale jejunium devotè transigamus, ut attingamus

Alb.
Crant. sa-
xon. lib. 7.
c. 37.
Cantiprat.
lib. 2. c. 53.
Bzov. To.
13. Annal.
ad an. 1218

mus felix Pascha & cum Christo resurgamus in gloria. Jejunemus à cibo pariter & culpa, ut assimulemur filio DEI. *Simus* (us loquitur Gregorius Nazianzenus) *simus sicut Christus, quoniam ipse sicut nos : efficiamur Dei propter ipsum, quoniam ipse propter nos factus est homo.* Hæc quippe est *Metamorphosis Christiana.*



DISCURSUS XVIII.

Dominica III. Quadragesimæ

Exorcismus dæmonij muti.

T H E M A.

Erat IESUS eiciens dæmonium, & illud erat mutum, *Luc, 11.*

S Y N O P S I S.

- I. Exergumenus mutus simulacrum est peccatoris non confidentis peccata sua, cui si accedat surditas & cecitas in periculosissimo versatur statu. Exorcisandus proinde est ut dæmonem, qui est peccatum eiciat.*
- II. Multo verò facilius est expellere per exorcismum dæmonem à corpore, quam peccatum ab anima peccatoris, propterea illud ad officium Mino-*
- rum spectat, hoc solis sacerdotibus commissum est.*
- III. Ipse Christus dæmones expellebat à corporibus solo verbo, ad eiciens verò peccata è cordibus tota illi fortitudine opus est.*
- IV. Exorcisam agit Apostolus cum monet : ne regnet peccatum in mortali nostro corpore, quia in aliquibus transit, in alijs habitat, in alijs planè regnat,*

regnat, ut difficulter eijci, possit : quia cum omne peccatum sit coluber, nisi maturè elidatur, crescit in regulum.

V. Regulus autem est Basiliscus serpens coronatus, in quem erumpit omne peccatum si foveatur. Et hic regulus est Rex superbia, dæmon.

VI. Permittitur hic sæpè regnare in anima propter dilatam vel neglectam pœnitentiam, contra quem nulla prævalet incantatio, quia obstinati difficillimè corriguntur, uti accidit cuidam sceneratori, qui differens de die in diem, tandem cum vellet pœnitere non potuit.

VII. Cavendum à talibus regulis,

Erat IESUS eijciens dæmonium, & illud erat mutum, Luc. II.

I.



Nergumenus nobis hodie in theatro Evangelico proponitur cavendorum pariter & agendorum exemplar. Miserrima hominis conditio, corruptæ per peccatum naturæ subjectum esse inclinationibus &

vitijs, ac insuper pessimi hospitis effici habitaculum. Id fieri permittente DEO nihil ambigendum est : Nam vel in pœnam peccati vel ad virtutis experimentum, vel ad manifestandam suam omnipotentiam, vel ad suggerendam occasionem consequendæ salutis concedit sæpè

DEUS

Expellendi sunt colubri, ne os occludant per quod eijci debent, ne verecundiam vel spem longioris vitæ prætendant, quod in se experta mulier Aronensis.

VIII. Minatur illis DEUS, in quibus sedem fixit sathanas per consuetudinem peccati & obstinationem, quod sit venturus Citò, & subinaturus in eos sententiam ; & multis nimis Citò venit.

IX. Idcirco præoccupemus faciem ejus in Confessione, ne preveniamur à dæmone in accusatione, ut ejectione dæmone, subintret gratia, qua deducamur in gloriam,

- DEUS potestatem inimico humani generis, ut & in hominum corpora tyrannidem exercent, & animas ipsas quandoque perturbet, non tamen perdat. De Saule sacer textus: *Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam.* Sed hoc erat occasio Davidi exercendæ virtutis, & Sauli in pœnam peccati. Audiverat Paulus incestum inter Corinthios admissum, & zelo divino accensus expedire judicavit *tradere hujusmodi sathane in interitum carnis, ut spiritus saluus fieret.* Septem dæmonijs obnoxia erat Magdalena peccatrix, sed ab his per misericordiam Salvatoris liberata, quia postmodum dilexit multum, remissa sunt illi peccata. Multos alios à dæmonibus obsessos in libertatem alle-
Matth. 8. ruit Servator testante Evangelista: *Obtulerunt ei multos dæmonia habentes, & eiciebat spiritus verbo.* Illorum verò liberatio præ cæteris meretur considerationem, quæ plura alia mala annexa habuit maligni spiritus vexationi. Hodiernus non tantum dæmonium habuit, sed & dæmonium mutum; addit *Matth. 12.* Matthæus etiam cæcum fuisse: *Oblatus est ei dæmonium habens cæcus & mutus, & curavit eum, ita ut loqueretur & videret.* Alio loco surdum & inutum curavit, cui utrumque sensum spiritus nequam ligaverat ab infantia. *Marc. 9.* *Surde & mute spiritus ego præcipio tibi, exi ab eo.* Magna naturæ vitia surdum, cæcum, mutum esse, præsertim si duo aut omnia tria in eodem subjecto concurrant: sed magis deploranda hæc vitia, si animam ipsam corripiant; & non tam corpus quàm animam sub Tyrannico suo jugo premat dæmonium surdum & mutum, cæcum & mutum! S. Bonaventura de his moraliter differens: *Dæmonium (inquit) est peccatum, quod facit surdum*
- S. Bonav.
in Luc.*

surdum ad veritatem audiendam, & mutum ad confitendam. B. Albertus Magnus, existimat hodiernum energumenum omnibus hisce malis laborasse, ac non tantum mutum, sed cæcum insuper & surdastrum fuisse: *In ratione illum læsit, ne veritatem perciperet, ne lumen claritatis DEI in miraculis videret: in auditu, ne ex auditu verbi ad fidem veniret: in loquela ne de salute ab aliquo inquirere posset.* Idem sensit Ven. Beda. Mihi suffecerit hodie conjurare habentes dæmonium mutum, illos verò intelligo, qui peccatis immerfi instante hoc sacro tempore, quo animas suas per Sacramentum pœnitentiæ, & seriam peccatorum suorum Confessionem deberent eluere, muti sunt; & vel malitiosè reticent dicenda; vel quæ dixerint pallijs excusationem obvelant. Exorcistam igitur agam eiciens quantum in me fuerit *dæmonium mutum.* Adeste peccatores, & si non estis surdastri, attendite, quomodo & præcavere debeatis dæmonium, & admissum eijcere.

B. Alb. M.
in Luc.

II. Ne temerariè videar hodie suscepisse munus Exorcistæ principio ostendam peccatorem qui per sacramentalem Confessionem peccata sua expiare vel tergiversatur, vel erubescit, vel alias negligit, & quod periculotissimum est planè abnuat, nihil differre ab Energumeno vel dæmoniaco, à quo proinde peccatum ceu dæmonem eijcere longè laboriosius est Confessario, vel Concionatori, quam ex obsessis corporibus malignos spiritus Exorcistæ. Hanc sententiam videtur ipsa Ecclesia approbare: dum enim munus exorcisandi energumenos commisit minoribus ordinibus, & munus absolvendi à peccatis solis concessit sacerdotibus, eo ipso agnovit difficilior esse à peccatis liberare ani-

mas, quàm à dæmonibus corpora. Quid? pejor igitur erit conditio peccatoris quàm energumeni? sic res habet. Energumenus sive obsessus sive circumfessus in solo corpore affligitur à malo spiritu; peccator in anima pariter & corpore: Energumenus per exorcismum sola voluntate DEI à Dæmonio liberatur, peccator absolvi non potest à peccatis, quantumvis DEUS ejus salutem desideret, nisi & ipse velit. Unde longè difficilior sæpe est extorquere à peccatore peccati dolorem, quam Dæmonem fugare ab Energumeno. Ex quo etiam elicitur peccatum pejus esse dæmone, quia peccatum animam præcipitat in æternam damnationem, cui dæmon sola obsessione corporis nocere non potest. Sic sentiebat Chrysostomus inquit: *dæmone pejus est peccatum*. O miserabilem statum peccatoris! præsertim si urgente conscientia non pœnitet, si differt, si tergiversatur, si negligit pœnitere.

S. Chrysof.
hom. 30. ad
pop.

III. Ut thesim assumptam comprobem, observate quod Christus benedictus energumenos à dæmonijs liberaverit solo verbo: *Surde & mute spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo, & exclamans, & multum discerpens cum, exiit ab eo.* Magnum miraculum, quod vocem audierit conjurantis qui surdus erat, quod exclamaverit qui mutus erat, quod dæmon illico abcesserit. Verùm hoc totum uno penè verbo confecit Christus. Ut autem à peccatore peccatum expellat, majori opus est miraculo, totam in hoc impendere debet fortitudinem. Hoc sensu accipio illa verba Psalmitæ: *Qui educit victos in fortitudine; similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.* Quis nescit ab Isaiâ comparari peccata vinculis: *Quasi vinculum plaustrum peccatum.* Quis dubitet per exasperantes intelligi peccatores apud Psalten qui
alibi

Psal. 67.

Isai. 5. v.
18.
Psal. 77.

alibi canebat: *Generatio prava & exasperans, non est creditus cum DEO spiritus ejus.* Et attestante Evangelista dæmoniachi habitabant in sepulchris, per quos designari peccatores luce clarius est: Unde Theophylactus vocat carnem peccatoris sepulchrum animæ: *Sepultus est in inferno dives ille: nam profecto etiam cum viveret, sepulta erat ejus anima, carnem quasi sepulchrum circumferens.* Ad peccatoris ergo exorcismum non est satis verbum divinum, sed potentior vis & fortitudo divina educens vinclos in fortitudine. *Similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris.*

Matth. 8.

Theophyl. in Luc.

IV. Cum igitur ad expellenda hæc peccatorum dæmonia, non Exorcistis simpliciter sed Apostolis & sacerdotibus commiserit Servator, nihil temerè me nunc acturum existimo, si peccatores exorcisavero monens, clamans, instans: *Pœnitentiam agite, & cum Apostolo: Non regnet peccatum in vestro mortali corpore.* Si ex fragilitate humana delinquitis: Pœnitentiam agite. Nolite locum dare diabolo perseverantem: humanum est peccare: diabolicum perseverare. *Non regnet peccatum.* Cur obsecro non dixit Apostolus: Non sit, non introeat, non habitet peccatum in vestro corpore, sed non regnet? Audite super hoc melliflui Bernardi sensum. Triplex inquit est status peccatorum: In alijs est, sed transit & non habitat; in alijs habitat, sed non regnat; in quibusdam verò non transit, & non solum habitat, sed regnat: qui est status omnium periculosissimus, adversos quem nulla valet incantatio, nullus sufficit exorcismus. *Est considerare homines (inquit ille) in quibus peccatum non modo habitat, sed & regnat: nec jam proximum magis aut magis intimum posse esse videtur, nisi fortè cum sic dominabitur, eis ut*

S. Bern. serm. 10. in Psal. Qui habitat.

nullo modo deinceps valeat non dominari. Est autem
 Et alios invenire in quibus quidem adhuc manet peccatum,
 sed jam non dominatur aut prævalet in eis, evulsus quo-
 dammodo, necdum tamen expulsus: dejectum sed non pro-
 fusus ejectum, Quasi diceret in quibus peccatum qui-
 dem reperitur, sed cum proposito pœnitentiæ a-
 gendæ per sèriam confessionem, bonam spem con-
 cipere possunt, ut ab ijs expellatur: in quibus verò
 radicatum est, & transivit in habitum vel obstina-
 tionem: Sic dominabitur eis, ut nullo modo deinceps va-
 leat non dominari. Periculosissimus est hic status. A
 quo cavendum insinuat Isaias, inquiens: *De radice
 colubri egredietur regulus.* Quodlibet peccatum est
 quidam coluber juxta illud: *Quasi à facie colubri fuge
 peccata.* Unde expellendus est coluber ne fiat re-
 gulus, ne dominetur, ne regnet, quia de peccato
 radicato nascitur habitus: habitus verò secundum
 Philosophos est *qualitas difficulter mobilis*; ex habitu
 nascitur obstinatio, quæ in corde hominis efficit re-
 gnum, & absolutum dominium animæ peccatricis.
 Huc respiciebat memoratus D. Bernardus monens:
*Indicat sibi homo jejunia, corpus castiget, ac subijciat ser-
 vituti: ne forte de radice colubri egrediatur regulus, de
 concupiscentia consuetudo,* cujus ulteriorem rationem
 mox reddit: *Nimirum peccatum faciens servus est pec-
 cati, servus planè diaboli.* Itaque non regnet pecca-
 tum in nobis, non transeat in consuetudinem, non
 permittatur diù habitare, ne degeneret in obstina-
 tionem, ne mancipet animas servituti diaboli.

V. Inter serpentes pestilentissimus censetur,
 basiliscus, quem eundem esse cum regulo vel no-
 men ipsum enuntiat; hic solo visu necat, solo at-
 tu omnia exurit, afflatu consumit; *candida in ca-
 pite*

Isai. 14.

Eccli. 21.

S. Bernar.
 Serm. 14.
 de divers.

capite macula ut quodam diademate insignem Plinius scribit. Bellum peccati in corde peccatoris radicati symbolum : candidum præfert diadema, quia dæmon *transfiguratur se in Angelum lucis*, peccata extenuat, & mille coloribus ceu licita, ceu levia, ceu decentia statum picturata exhibet, & prætextibus obvelat, sed maculæ tamen sunt, quibus dæmon in nostram Tyrannidem coronatur. *Vitia* (quæritur Seneca) *sub virtutum nomine obrepunt : temeritas sub titulo fortitudinis latet ; moderatio vocatur ignavia.* Sunt qui ambitionem & superbiam reputant tesseram sanguinis generosi ; iracundiam vocant magnanimitatem ; luxuriam, jocos ; avaritiam, bonam œconomiam ; homicidia, vitæ tutelam ; deceptiones & dolos, ingenij acumina &c. & ejusmodi immerfi sceleribus, dum se candidæ fortunæ pullos credunt, serò experiuntur se coronatum in corde suo gestasse basiliscum. De his fatur Isaias Propheeta : *Confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates. Ova aspidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt ; qui comederit de ovīs eorum morietur ; & quod confotum est erumpet in regulum.* Ubi anima peccatis infordescere sinitur, nec maturè expellitur ingressus coluber, de radice ejus egreditur regulus, nascitur basiliscus, sævissima Tyrannide animam oppressurus. *Quod confotum est* (inquit Magnus Gregorius) *erumpet in regulum, quia consilium maligni spiritus, quod corde tegitur, ad plenam iniquitatem mittitur.* Non vis ut regnet in te peccatum, ne ex colubro fiat regulus, ex consuetudine vel reticentia intolerabilis & exitiosa Tyrannis, noli fovere, noli abscondere peccatum. Addit Gregorius : *Regulus namque superbiæ Rex dicitur.* Vah infelicem animam, cui regulus superbiæ Rex, ipse

Plin. lib. 3.
c. 21.

Sen. Ep. 45

Isai. 59.

S. Greg.
Moral. lib
15. c. 9.

diabolus nominatur; Heu miserabilem energumenum, qui cum posset hostem enascentem elidere, patitur ut invalescens animæ regnum occupet!

VI. Sed nolite vobis persuadere hæc subinde non accidere DEO permittente, in pœnam scele-
rum, in pœnam dilatæ, neglectæ, contemptæ pœni-
tentia. Expectat nos patiens redditor, monet per
Concionatores, per exempla proximorum, per
ipsum temporis Quadragesimalis recursum: *Ecce
nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis*, quibus
excantandi sunt è cordibus serpentes, eiicienda pec-
cata, mundandæ conscientia, redeundum cum DEO
in gratiam: si porrò pergas fovere peccata, si negli-
gas oblatam occasionem pœnitendi, si differas de
die in diem, aut denique eo cœcitatatis devenias, ut
neque peccata reputes quæ patraſti: fulminat ille
tandem sententiam illam peccatoribus obstinatis
comminatam: *Qui nocet, noceat adhuc: & qui in sor-
dibus est, sordescat adhuc.* Quo fit ut malus hospes
possessione firmata in corde, nullâ humanâ virtute
expelli possit, sed surdam ad monita, cœcam ad ve-
ritatem, mutam ad Confessionem effectam in æter-
nam damnationem præcipitet: Ad hos loquitur
DEUS per Jeremiam: *Ecce ego mittam vobis serpentes
& regulos, quibus non est incantatio.* At quæ verba
Gregorius: *acsi diceret: justo iudicio talibus vos im-
mundis spiritibus tradam, qui à vobis repelli exhortatione
prædicantium, quasi incantantium sermone non valeant.*
Proximus est ad interitum, qui peccatis inforde-
scens, nec Concionatorum stimulis, nec vicino-
rum exemplis, nec sacri hujus temporis recorda-
tione ad pœnitentiam agendam movetur. Id ex-
pertus fœnerator ille, de quo Joannes de Abbatis-
villa

Apoc. 22.

Jerem.

*Greg. 34.
Moral. c. 5*

villa Cardinalis recenset, quod sæpius monitus ut ageret pœnitentiam, respondere sit solitus: *Adhuc tempus est; pœnitentiam agam, sed nondum.* Idem repetebat ægrotans, cum sacerdos videns periculum instaret ut confiteretur. *Pœnitebo, sed nondum est tempus.* Heu miser; illud est pœnitentiæ tempus, quod tibi DEUS designat per sacerdotes, per exempla proximorum, per recursum sacrorum mysteriorum: per infirmitatem: cave ne tempus non sit, cum tu tempus esse volueris. Inter hæc abreptus jacuit sine sensu quasi mortuus: mox redditus sibi, cum sacerdos non desisteret inclamare pœnitentiam, ille ejulans reposuit: *O pœnitentia ubi es! Jam pœnitere non valeo, sic judicante justo Judice, quia dum pœnitentiam facere potui, non volui.* Et hæc clamans infelicem animam reddidit. Annon iste traditus fuit spiritibus immundis, qui nullâ incantatione potuerunt expelli? Cavendum igitur est ne patiamur in anima nostra, perseverare, habitare, regnare peccatum; elidendus est & excantandus coluber tenellus, ne cum in basiliscum & regulum excreverit, nullo exorcismo expelli possit. Hoc cavendum.

VII. Illud verò studiose agendum, ut si quos hæctenus mutum dæmonium à pœnitentia retraxit, obtemperent monenti Apostolo *Confitemini alterutrum peccata vestra.* Etenim ut Sapiens inquit: *Qui abscondit scelera sua non dirigetur: qui autem confessus fuerit & relinquerit ea, misericordiam consequetur.* Conterantur corda, laxentur ora: *Ore autem confessio fit ad salutem.* Nam ut advertit S. Antonius de Padua: *Multis cameris dæmon habet ingressum vel habere potest ad domum conscientie nostræ, scilicet animæ;*

*Joan. Card
de Abbatis
villa Spec.
Exempl.
tit. Pœnit.*

Jac. 5.

Prov. 28.

Rom. 10.

*S. Ant. Pad
in Dom. 3.
Quadrages.*

sed

Sed tamen nunquam nisi per unum ostium potest eijci & expelli, scilicet oris seu confessionis. Ingreditur ille per oculos, aures, nares, os, manus, pedes, sensus omnes, corpus totum, per solum os eijcitur confitendo. Sed ne exeat, obducit pessulum, obturat os, facit elingues peccatores: alijs ruborem & verecundiam immittit, ut quod patrare non puduit, pudeat confiteri; alijs persuadet levia esse quæ gravia sunt: neque DEUM adeo severum esse peccatorum vindicem, ut quid vis puniat; alijs insuffurat multum vitæ temporis superesse, in cuius fine admittæ possint expiari; alios inducit, ut credant peccata non esse, in quæ fragilitas humana propendet; atque ita *Impius cum in profundum venerit contemnit: Quod expendens Augustinus ajebat: Pudore infandorum criminum, & impunitatis pollicitatione, & spe longioris vitæ, & Confessionis suo tempore faciendæ, tanquam pessulo quodam claudit ostium.* Sed habes hostem in tua potestate si velis: non potest invito os claudere: Per rumpe, distringe pessulum, ut mulier illa, quæ Anno 1601. Aronæ in Italia sacerdoti facta est, se multis annis libidini mancipatam accessisse quidem Confessionis tribunal sed plura semper tacuisse quam explicasse: Sæpius quidem ex animo paratam venisse ut integrè sua peccata sacerdoti detegeret, sub ipsum tamen Confessionis initium sibi injecta impedimenta, adeo ut non solum pudore suffunderetur, sed & fauces suas sentiret constringi: tantum videlicet sibi eam dæmon vindicaverat potestatis. Narravit præterea cum sacram synaxim accederet, assiduis mentem stimulis concuti solitam: cum verò sacrilega lingua divinum ferculum exciperet, non panem sibi sed ignem flammamque visum. Statuisse

S. Aug. To.
10. hom. 12

Ex annu.
10c.

tuisse proinde tandem ex integro peccatâ detegere ; & impofterum dæmonem penitus ab anima excludere. Profectò *iterata Confessio* (ut aiebat B. Laurent. Justinianus) *Immundorum spirituum propulſat fraudes.*

B. Laurent.
Juſt. lib. de
ob. c. 15.

VIII. In Confessionis encomia diffuſus S. Auguſtinus hortabatur Fratres (vel quilibet author eſt ſermonum ad FF. in eremo) inquiens : *Ad ſacram meſſem Confessionis accedere feſtinate : hæc eſt enim ſalus animarum, diſſipatrix vitiorum, reſtauratrix virtutum, oppugnatrix dæmonum, pavor inferni, obſtaculum diaboli, Angelorum tunica, Eccleſiarum fiducia, ſalus, Dux, baculus, lumen, & ſpes omnium fidelium.* Confessionem meſſem appellat propter ingentes fructus quos reportat. Eſt ſalus animarum, quia ſine hac velut tabula ſecunda poſt naufragium peccator ad portum non pervenit. Eſt diſſipatrix vitiorum, quia frequentata emendationis propoſita, Confessoris monita, divinæ gratiæ augmenta non ſiunt facile vitia creſcere aut radicari. Eſt reſtauratrix virtutum quia per eam reviviſcunt extincta merita, & habitus ad bonum labefactati rurfus ſolidantur. Eſt oppugnatrix dæmonum quia illis prædam obtentam eripit. Eſt pavor inferni, quia procul arceat inimici inſidias. Eſt obſtaculum diaboli, quia hic ingreſſum non habet, ubi habitat Deus. Eſt Angelorum tunica, quia ſicut Angeli ita *Confessio & pulchritudo in conſpectu ejus*, qui *Confessionem & decorem induit.* Eſt Eccleſiarum fiducia, quæ ſpem gloriæ in nobis generat : Eſt ſpes, quæ non confundit. Eſt Dux, quæ dirigit ad viam vitæ, baculus qui ſuſtentat ne relabamur, lumen quod illuſtrat animas ut è tenebris eluctentur. *Confessio sanat, Confessio*

S. Aug. ſer.
30. ad frat.

Pſal. 95.
Pſal. 163.

Isid. lib. 1.
c. 12.

S. Ambros.
c. Ecce. de
pœnit. 1.
dist.

S. Ambros.
lib. de pa-
radis.

S. Chrysof.
hom. 3.
de pœn.

S. Pellan.
in paran.
ad pœn.

justificat, Confessio peccatis veniam donat. Inquit Isidorus. Confessio animam à morte liberat, Confessio aperit paradysum; Confessio spem salvandi tribuit. Inquit S. Ambrosius. Tantæ Confessionis prærogativæ sunt; imò tanta necessitas, quia ut alibi idem sanctus Ambrosius: Non potest quisquam à peccato justificari, nisi peccatum antea fuerit confessus. Et tamen ea est incuria & negligentia mortalium, ut plurimi vel raro eam amplectantur, vel in longum differant, vel omninò prætermittant. Et quid obsecro tandem est, quod nos à Confessione deterret? Pudet enuntiare coram uno, quod non puduit coram pluribus exercere: pudet revelare sacerdoti DEI loco sedenti, quod DEUM latere non potest: pudet coram uno confundi, quod in die judicij propalabitur mundo universo! Heu mentis nostræ cæcitatem! heu nequissimi dæmonis versutissimas insidias! Pudorem & verecundiam DEUS dedit peccato, confessioni fiduciam: Invertit rem diabolus, & peccato fiduciam præbet, confessioni pudorem & verecundiam. Ut loquitur Chrysostomus: cujus verba excipiat parenensis D. Patiani: Rogo vos fratres per illum Dominum, quem occulta non fallunt, desinite vulneratam tegere conscientiam: prudentes ægri medicos non verentur. Ne in occultis quidem corporum partibus etiam secaturos, etiam perusturos. Et peccator timebit: peccator erubescet perpetuam vitam præsentis pudore mercari? Nihil præcipitur, nisi ut in corde doleas, & ore proferas quod deliquisti, nulla sectio, nulla ultio membrorum imperatur: Verbis sanantur morbi animæ non herbis amaris, & subterfugimus?

IX. Reprehendit DEUS in Apocalypfi nonnullos Asiæ Episcopos quos inter etiam Pergamenum, cui scribi iussit: *Angelo Pergami Ecclesiæ scribe, scio ubi habitas, ubi sedes est sathanæ.* Sedes sathanæ infernus est: nunquid in inferno habitabat Episcopus Pergamenus? *Ubi sedes est sathanæ.* Nempe habitabat ille in medio nationis pravæ, cuius corda penitus dæmon possederat, non velut transiens. Sed velut permanens & fixo domicilio. Est hoc ad mentem Hugonis Cardinalis: *Ubi sedes est sathanæ, id est mansio non transitus: in illis enim mansionem facit diabolus, qui peccata nolunt confiteri, sed celant ea in gutture suo. In illis transit, qui est peccant aliquando ex fragilitate, tamen statim confitentur.* Reprehenditur itaque Episcopus quod inter tales habitet, quod illos non corrigat, non emendet, & jubetur ipse agere pœnitentiam, id est quod prius neglexerat, porro agere, hortari, increpare, arguere, obsecrare oves sibi commissas, & à maligno infessore eorum animas exorcizare: *Similiter pœnitentiam age: si quo minus; veniam tibi cito, & pugnabo cum illis in gladio oris mei.* O quam multis tardè creditur venturus, & citò venit, & pugnat cum illis in gladio oris sui fatalem in eos sententiam fulminando!

Apoç. 2.

HugoCard
in Apoç.

X. Idcirco *præoccupemus faciem ejus in Confessione*, ne inimicus præveniat nos accusando. Confiteamur cum Psalmista *in directione cordis*, id est ut S. Bonaventura monet: *Patenter, serventer, festinanter. Patenter ut sit Confessio nuda sine palliatione: serventer, ut sit Confessio vera sine excusatione: festinanter, ut sit Confessio prompta sine dilatione.* Sic eijcietur dæmon mutus, & subin-

S. Bon. in
Psal. 118.

S. Chrysoftom
1. in
Epist. ad
Philemon.

trabit gratia DEL. Concludo verbis D. Chrystostomi : Si publicanus cum diceret solum DEUS propiti-
us esto mihi peccatori, justificatus descendit; & nos
quoque si humiles contritique fuerimus, magnam divinæ
pietatis promerebimur gratiam, si confiteamur peccata no-
stra, nosque ipsos reprehendere non desistamus. Omni igitur
ex parte diabolus expugnare studeamus. Nihil diffi-
cile dixi, nil grave, nil molestum. Remitte ei qui te læsit,
egeno miserere, humiliam animam tuam. Quamlibet maxi-
mus peccator sis, audeo dicere coelesti regno donaberis, cum
per hujusmodi opera & ipsa expies crimina, & omnium
scelerum maculam diluas. Contingat utinam nos omnes
enudata per Confessionem conscientia, omnique deterfa cri-
minum labe repromissis illic perfrui bonis, gratia & beni-
gnitate Domini nostri IESU Christi. Amen.



DISCURSUS XIX.

Dominica IV. Quadragesima.

Pegasus alatus

THEMA,

Cum gratias egisset, distribuit. Joan. 6.

S Y N O P S I S.

- I. Considerans David inquietu-
dinem peccatorum, optat vo-
latum ut requiescat, ubi nem-
pe à peccatis securus sit. Jeju-
nanti gratia Dei est velut e-
quellus, cui si addas geminas
alas orationis & elemosynæ
fit Pegasus, qui te ad cælum
portat.

II. Oratio & Elemosyna juxta
S. Chryso-

S. Chrysoſtomum ſunt gemine ale pœnitent ian ſeu jejunantium.

III. Et quidem adeo neceſſarie, ut jejunium ſine his non profuturum ſit, quemadmodum Nivita Deum non placaveſſent ſolo jejunio niſi & oraſſent.

IV. Orarunt, & decretum quod tulerat Deus deperdenda civitate revocavit: tanti facit jejunium conjunctum orationi.

V. Illa verò Oratio debet eſſe non quecumque, ſed etiam pro inimicis, vel cum injuriarum acceptarum oblivione.

VI. Quia alias male oramus Dominicam orationem, ſi dum oramus non dimittimus debitoribus noſtris, nec exaudimur, ſi odium fovemus in proximos.

VII. Rectam rationem jejunandi optime explicat Iſaias cum pluribus circumſtantijs.

VIII. Quod per viſionem oſten-

ſum fuit Abbati Arſenio de cedente ligna, fundente aquam in cifternam pertuſam, & portantibus ad templi jannam lignum tranſverſum.

IX. Jejunium etiam oratione adjutum, niſi cedant opera miſericordie Deo non placet, ex mente Chryſoſtomi.

X. Et ex mente S. Bernardi, qui juſtitiam orationi conjungi vult, debetur autem pauperi eleemoſyna ex juſtitia.

XI. Si ergo jejunio addite fuerint ale oratio & eleemoſyna, adhuc advertendum, ne altera ala ſit infecta ſanguine, & quod datur acceptum ſit per rapinam.

XII. Danda eleemoſyna de ſuo Dei exemplo, qui cum omnia nobis dediſſet, etiam ſe ipſum dedit, cum dives eſſet propter nos egenuſ factus, & cruce nobis offert amplexum.

Cum gratias egiſſet, distribuit. Joan. 6.

L

R

Egius Pſalter David recordatus malorum quæ certatim irruebant in animam ex conſideratione peccatorum, ut levamen aliquod conſequeretur optare ſibi cœpit volatum. *Contristatus ſum, inquit, in exercitatione mea, &c. declina verunt in me iniquitates. Et dixi: Quis dabit mihi pennas ſicut columbæ, & volabo, & requieſcam.* Mirabile votum Prophetæ! quie-

Pſal. 54.

tem desiderat, & volatum optat : Non congruit quieti agitatio, sine qua volatus esse non potest. *Volabo & requiescam.* Contrarium potius optandum tibi est mi David : *Quiesce ut volare possis, non vola ut quiescas. Volabo & requiescam.* Nimirum à vinculis peccatorum expeditus, vult sese librare in cælum, ubi vera quies est ac secura tranquillitas ; vult post deposita onera iniquitatum, post toleratos labores, post exantlata pericula in tuto se collocare, ideò postulat pennas sicut columbæ fugientis accipitrem : *Volabo & requiescam.* Idem prorsus existimo votum ac desiderium esse animæ anhelantis ad DEUM, quæ per carnis macerationem & jejunium alleviata, depositis per pœnitentiam oneribus peccatorum, securum locum desiderat ut infernalis accipitris evitet insidias : *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam.*

Hom. Ista.

9.

- - - volucris similis fit & ipsa columbæ

Que volat, atque cavæ rupis sese abdit in antrum
Accipitrem fugiens - - -

Tho. &
Kemp.

Venerabilis Thomas à Kempis non volatum columbæ sed equitationem suadet animæ timenti DEUM : *Suaviter equitat, quem gratia DEI portat.* Ut verò hic equellus ad cælum usque te portet ageris aptemus illi geminas alas, quibus instructus evadat *Pegasus alatus* longè felicior illo quo Bellerophon à Minerva donatus in cælum conscendere moliebatur. Pœnitentiam agimus confitendo peccata, expurgamus conscientias ab immunditia ; non est satis : jejunamus ad satisfaciendum pro peccatis, & corpora macerata inedijs alleviamus, non est satis ; in gratia

gratia DEI sumus, & suaviter portamur ab hoc equello, semper tamen in periculo; unde ad volatum hoc non est satis. Aptandæ sunt geminæ alæ huic Pegaso, oratio inquam & eleemosyna, quia *Bona est oratio cum jejunio & eleemosyna*, quod in hodierno Evangelio Christus expressit: *Cum gratias egisset*, ecce oratio: *distribuit*: Ecce eleemosyna. Has proinde jejunantis, & pœnitentis animæ geminas esse alas, quibus in cœlum & se curam quietem se possit librare, centrum erit hodierni discursus. Favete.

Tob. 12.

II. Non sum nescius S. Augustinum orationi assignare comites ceu geminas alas jejunium & eleemosynam cum inquit: *Hæc iustitia hominis in hac vita, jejunium, eleemosyna, oratio. Vis orationem tuam volare ad DEUM? fac illi duas alas, jejunium & eleemosynam.* Et alibi idem S. Pater orationi alias accommodat alas: *Hæ sunt due alæ orationis, quibus volat ad DEUM si ignoscis delinquentis, & donas egeni.* At verò S. Chrysostomus cum pœnitentiæ (cujus pars est jejunium) recenset effectus, adjungit eiorationem & eleemosynam, quasi insinuans his duabus veluti alis sublevari jejunantem in cœlum. *Quale ergo est istud medicamentum pœnitentiæ, & qualiter conficitur? Primo exculpando propria peccata: Iniquitatem inquit, meam, non celavi, &c. Si confessus fueris peccatum tuum, sicut oportet confiteri, humiliatur anima, &c. post humilitatem autem oratione opus est, intentis lacrymis multis per diem & noctem, &c. Post orationem autem sic intentam opus est eleemosyna multa. Quasi diceret: non sufficit per pœnitentiam emundari animam, & abolevisse peccata, sed ut illa sublevetur ad DEUM addere illi oportet alas orationem humilem:*

S. Aug. in
Psal. 42.S. Aug. ser.
de QuadraS. Chrysof.
hom. 3. in
Epist. ad
Hebr.

Idem S.
Chryſtom
7. de pœnit

Idem hom.
71. ad pop.

Aborum. 8
Idem Chryſt.
hom. 6. de
pœnit.

S. Petr.
Chryſol.
ſerm. 8.

S. Bern.
ſerm. 4. in
Quadrageſ.

Recl. 35.

& largam eleemoſynam, quod ex alia ejuſdem aurei oris ſententia elicio: *Pennata eſt eleemoſyna, aureas habens alas, ipſos oblectans ſupra modum Angelos.* Et alibi etiam orationem pennatam aſſerit; cum enim præmiſiſſet *Orans & ut oportet jejunans non multis eget: qui verò multis non eget, nunquam fiet avarus, & ad eleemoſynam magis eſt aptus. Jejunans levis eſt & alatus.* Poſt pauca ſubnectit: *Orans cum jejunio geminas habet alas, & ipſis quidem ventis leviores.* Nimirum alteram alam orationis de qua hic loquitur, & alteram eleemoſynæ, de qua alibi illuſtria ſuggerit documenta in eundem ſenſum intendens. Nam ad illum locum Actorum, ubi de Centurione Cornelio dicitur. *Eleemoſynæ tuæ & orationes tuæ aſcenderunt in cœlum,* ita diſſerit ſanctus Pater: *Pœnitentia niſi pennatam habuiſſet eleemoſynam, nequaquam aſcendiſſet in cœlum.* Diſſertiffimè verò S. Pet. Chryſologus: *Miſericordia & pietas jejuniſunt alæ, per quas tollitur & portatur ad cœlum, ſine quibus jacet & volutatur in terra.* Alæ igitur jejunantis animæ ſunt oratio & eleemoſynæ.

III. Et hæc quidem adeò neceſſariæ, ut mellifluus Doct̄or affirmet diſertis verbis non profuturum jejunium ſi hiſce geminis alis deſtituatur. Verba ipſius depromamus: *Quid jejunium nobis proderit ſi relinquatur in terra, quod abſit. Sublevetur ergo jejunium penna quadam orationis. Verum huic, ne fortè minus ſufficiat, alteram quoque neceſſe eſt ſociari. Oratio juſti (ait ſcriptura) penetrat cœlos. Sint ergo jejunio noſtro, ut facile cœlos penetret alæ duæ, orationis ſcilicet, atque juſtitie. Juſtitia verò quæ eſt, niſi quæ cuique reddat quod ſuum eſt.* Obſtupeſco ad hæc ſancti Doct̄oris verba. Quis enim neſcit quantis encomijs orne-

tur jejunium à SS. Patribus. Ipsa Ecclesia de illo canit quod *vitia comprimat, mentem eleuet, virtutem largiatur & premia.* Nihilominus ait Bernardus: *Quid jejunium nobis proderit, nisi subleuetur penna quadam orationis?* Ergone macerare corpus inedia, abstinere à carnibus, dimittere cibos delicatiores, & appetitui gustus congruentiores, non est per se meritorium, aut DEO placitum? Ergone Ninivitæ qui pœnitentiam egerunt in sacco & cinere, qui indixerunt sibi jejunium à maximo usque ad minimum non evitarunt minas irati DEI virtute jejuniij? Ergone mira Anachoretarum abstinencia, quæ solis radicibus ipsæ quæ perpauca multis annis traxerunt verius quam egerunt vitam, non fuit tantæ efficaciz ut placeret DEO, ut cœlum ijs lucraretur? Non, inquit Bernardus, quamdiu relinquebatur in terra, sed tunc primum cum perorationem, quæ est elevatio mentis in DEUM, velut alam quandam sublevatum est, ut in conspectu altissimi sisteretur, alioqui & Hebræi & Turcæ defacto & Pharisei ac hypocritæ, qui etiam jejunant ut videantur, ut laudentur ab hominibus, suis jejunijs cœlum mererentur. Imò & Dæmon qui semper jejunat idem consequi possêt: Unde rectè S. Ambrosius: *Illi qui jejunant à cibo, & non se abstinent à malo similes sunt Diabolo, qui non manducat & à malo non cessat.* Jejunium ergo ut placet DEUM, ut placeat DEO per alam orationis attolatur, & subleuetur à terra, ne quid terrenum sapiat, ne fiat nisi propter placandum DEUM. Hoc sensu dicebat Chrysostomus: *Jejunium animæ nostræ alimentum est; leves ei pennas producit, ut in sublime feratur, & summa contemplari queat, voluptatibusque & omnibus, quæ in hoc mundo suavia habentur, ipsa sit superior.*

S. Ambros.
de jejun. &
elem. c. 3.

S. Chrysost.
hom. 1. in
Gen.

rior. Quod fanè anima jejunans consequitur cum per Orationem elevatur ad DEUM, & terram ac terram deserit.

IV. Verum, quia Ninivitarum hic facta est mentio, penitius aliquantò eorum poenitentiam inspiciamus. Narrat sacer textus, quod annuntiata per Jonam subversione urbis. *Crediderunt viri Ninivite in DEUM, & prædicaverunt jejunium, & vestiti sunt saccis à majore usque ad minorem.* Adeò ut ipse Rex è folio suo defiliens positâ purpurâ saccum induerit ac præceperit: *Homines & jumenta non gustent quidquam nec pascantur, & aquam non bibant. Et operiantur saccis homines, & jumenta.* Neque hic stetit Regium præceptum, sed insuper quod fuit efficacissimum medium placandi iram divinam: *Et clament ad Dominum in fortitudine.* Nondum satis: *Et convertatur vir à via sua mala, & ab iniquitate, quæ est in manibus eorum.* Vultis finem? Jonas expectabat Urbis subversionem ne reputaretur mendax; sed DEUS misericors pepercit populo & Urbi. Num præcisè propter jejunium, an alias ob causas? *Et vidit DEUS opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est DEUS.* Vidit opera, quæ? poenitentiam, & jejunium cum clamore & oratione & ideò misertus est. Sublevatum est jejunium ante conspectum DEI non utcunque, sed per aliam orationis & clamoris in fortitudine, & eam ob causam ut loquitur Chrysostomus: *Elegit DEUS prophetiam potius suam cadere, quam civitatem corruere.* Tantam virtutem habuit oratio velut ala adjuncta jejunio. Quamvis Prophetia non ceciderit cum fuerit conditionata, uti idem S. Chrysostomus disserit ex alio DEI decreto apud Jeremiam *Exitium loquar*

Jon. 3.

S. Chryl. ost.
hom. 5. ad
pop.

loquar inquit ad gentem & regnum, ut eradicem, & suffodiam, & perdam, & erit si pœnitentiam egerint malitia, & ego iræ quam locutus fueram illis obliuiscar. Non ergo sufficit ad placandum DEUM per se spectatum jejunium nisi accedat oratio & mentis in DEUM elevatio, quæ ritè fieri non potest, quamdiu anima vitij immersa rebus adhæret terrenis.

Jerem. 18.
v. 7.

V. Hanc veritatem firmat alius scripturæ locus apud Isaiam, ex quo non solum discemus quod jejunium sine oratione DEO non placeat, sed insuper discemus rectè orare cum jejunabimus. Monebat Prophetam DEUS ne cessaret clamare & annuntiare populo scelera eorum. Quæ illa scelera? En, jactabant Israëlitæ. *Quare jejunavimus, & non aspexisti? humiliavimus animas nostras & nescisti.* Nunquid bonum est jejunare & humiliari coram DEO? Respondet DEUS per Prophetam: *Ecce in die jejuniij vestri invenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis.* Sistamus tantisper in istis. Jejunabant Israëlitæ, jungebant orationes jejunio, quod denotant verba illa *humilia vimus animas nostras*, & tamen non sunt exauditi; quia debitores suos repetebant, quia offensas sibi à DEO volebant remitti, & ipsi non remittebant alijs. O Christiani quomodo possent nostra jejunia placere DEO, qui ex præscripta formula orare debemus. *Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, si dum jejunamus & jejunio orationes jungimus, cor nostrum plenum est amaritudine, occulta fovemus odia, spiramus vindictas? Quid expectemus aliud à DEO, quam: *Ecce in die jejuniij vestri invenitur voluntas vestra & omnes debitores vestros repetitis.* Quod per alium quo-

Isai. 64.

que Prophetam DEUS exprobrabat Israëlitis : Cum jejunaretis & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos nunquid jejunium jejunastis mihi ? Hæc dicit Dominus exercituum : dicens : iudicium verum iudicate , & misericordias & miserationes facite unusquisque cum fratre suo &c. & malum vir fratri suo non cogitet in corde suo. Ad quæ verba appositissimè Chrysofostomus : Cum igitur illis adhuc in umbra sedentibus & errorum affixis caligini nulla de solo jejunio fieret utilitas, nisi reliqua corrigerent, & ex corde malignam in proximum voluntatem rejicerent : quam nos habebimus excusationem , à quibus exiguntur majora , quippe non tantum hæc facere jubemur , verum & inimicos diligere docemur & beneficijs prosequi ? Et quid dico prosequi beneficijs ? orare nempe pro ipsis, dominumque deprecari, & de habenda eorum providentia supplicare. Hoc enim nobis omnium maximè in illa tremenda proderit die nostrorumque peccatorum maxima erit consumptio. Hæc Chrysofostomus, docens nos jejunio conjungere orationem , non qualemcunque sed etiam pro inimicis.

VI. Occasione aureæ hujus sententiæ Divi Chrysofostomi quæro ex vobis Auditores an sciatis orare *Pater noster*. De multis habeo causam dubitandi. Nam quod avarus bene oret *Pater noster* non possum credere multò minus de iracundo , & foveute inimicitias id mihi persuadeo. Quid sibi vult, quod Christus benedictus formulam orandi præscribens, docuerit orare in plurali, & non in singulari , ut cum singuli oramus diceremus *Pater meus qui es in cælis* &c. *Panem meum quotidianum da mihi hodie* &c. Sed voluit ut diceremus : *Pater noster qui es in cælis. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* &c. Nempe volebat nobis instillare communem ad omnes

in nes affectum, & communes necessitates communiter ab omnibus postulari, ut hac ratione etiam inimicos nostros includeremus, eosque affectu communi amplecteremur, idem pro illis petendo, quod nobis fieri vellemus. Ex quo aperte sequitur quod avarus non bene oret, licet instar Psittaci milies repetat *Pater noster*. Quia in cogitatione sua aliter sentit, & vult communem omnium Patrem esse solum sibi Patrem, & optat non tantum suum panem, sed omnium hominum sibi soli præstari quasi diceret: *Panem non tantum meum, sed totius mundi, da mihi non tantum hodie, sed & semper*, quia nunquam expletur avaritia quantumcunque habeat, nec contenta est unius diei providentia, sed in multa futura tempora una sibi die vellet provisum. De iracundo, qui rancorem & odium fovet contra proximum adhuc clarius est, quia si orat: *Dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, ipse sibi in suum caput sententiam fert, petens ut sicut ipse non dimittit, ita Deus ipsi non dimittat; sicut ipse vellet adversarium incidere in miseras & infortunia imò si posset ei vitam tollere, ita sibi à Deo fieri postulat. Nullus proinde avarus, nullus iracundus quantumcunque jejuset & oret quidquam apud Deum jejunijs & orationibus mereri potest, quamdiu in mala cogitatione perseverat.

VII. Revertamur unde nonnihil digressi sumus, & prosequamur textum Isaiæ: *Ecce ad lites & contentiones jejunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite jejunare, sicut usque ad hanc diem, ut audiat in excelsis clamor vester. Nunquid tale est jejunium quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? nunquid contorquere quasi circum caput suum, & saccum & cinerem*

rem sternere ? Nunquid istud vocabis jejunium & diem acceptabilem Domino ? Nonne hoc est magis jejunium quod elegit ? Dissolve colligationes impietatis , solve fasciculos deprimentes : dimitte eos , qui confracti sunt , liberos ; & omne onus dirumpe . Frange esurienti panem tuum , & egenos vagosque induc in domum tuam ; cum videris nudum operi eum &c . Tunc invocabis , & Dominus exaudiet , clamabis & dicet : ecce adsum . Plurcula sunt , sed per Spiritum sanctum dictata , & assertæ veritati idonea , ex quibus evidenter deducitur : Jejunia nostra Deo grata non esse , nisi accedat oratio , quam comitetur aliarum virtutum exercitium , & fuga vitiorum , & ipsa quoq; eleemosyna . Hoc jejunium elegit Dominus , hoc à nobis postulat , ut cum jejunamus dissolvamus colligationes impietatis , id est vitiorum catenas , solvamus fasciculos deprimentes , quæ sunt peccata . Frangamus esurienti panem , exerceamus cum proximo misericordiam , quia jejunium ad cælum volare non potest sine alis orationis & eleemosynæ , quæ alæ nisi puræ sint à sordibus & vitijs elevari non valent .

V III. Hoc sibi volebat, ni fallor, visio illa Abbatís Arsenij de qua Author libri doctrine Patrum. Narrabat Arsenius tanquam de alio, quod ipse viderat. Deductus à spiritu vocante in certum locum vidit Æthiopem cædentem ligna & cum fecisset ingentem fascem tentabat illum portare ; sed cum non possët , cædebat rursus alia ligna & addebat fasci , quasi levius portaturus quod erat gravius , idque sæpius repetebat . Vidit deinde alium , qui è lacu aquam hauriebat & in cisternam pertusam effundebat , ex qua cisterna tota aqua in lacum relabebatur

Lib. Doct.
PP. de pro-
vid. n. 1.

bebatur. Vidit denique duos viros equites portantes lignum transversum, & volentes intrare templum, sed non poterant ob impedimentum ligni transversi, quod è manibus volebant dimittere, ut inclinati sub illo ingrederentur: sic remanserunt extra templum. Explicuit verò Angelus visionem. Primus, qui fascem lignorum cum deberet minuire augebat, est homo peccator qui pro eo quod pœnitentiam deberet agere, peccata peccatis addit, & sibi gravius imponit onus. Hoc puta esse illud Prophetæ *solve fasciculos deprimentes*. Secundus inutili labore aquam infundens cisternæ reddenti eam iterum unde hausta erat, est homo exercens bona opera, sed quia his etiam permiscet mala, perdit per hoc & bona opera. Cogita hic illud Prophetæ: *In die jejuniij vestri invenitur voluntas vestra*. Tertij duo, qui propter lignum transversum non possunt ingredi templum, sunt illi ait Angelus: *Qui portant velut in justitia superbiæ jugum, & non humiliati sunt ut corripuerent se, & ambularent humiliter in via Christi propter quod & remanserunt foris è Regno DEI*. Nihil vetat per hos eisdem intelligere eos, qui mutuas exercent inimicitias quæ ortum habent ex superbia. Nam ejusmodi sibi ponunt obstaculum velut quoddam transversale lignum, ne intrent in regnum cælorum, ne quantum vis jejunent, & orent, quia & elemosynas profundant, quia tamen se non humiliant, ut invicem offensas remittant, mutuo impediunt meritâ suorum operum. Quo illud Prophetæ referas *omne onus dirumpe*. Aut fortè etiam non malè abieris in eam cogitationem, si per portantes

trans-

transversum lignum intellexeris avaros & immiseri-
cordes, qui dum nihil de suo alijs volunt dimitte-
re, sed tenaci manu quisque quod suum pariter &
alienum est retinent, regnum DEI intrare non per-
mittuntur. Si frangerent illud lignum cupiditatis
& avaritiæ, *frangerent esurienti panem*, frangerent pa-
riter sibi impedimentum & obstaculum ad regnum
cœlorum.

IX. Jam verò quod jejunium etiam si oratio-
ne adjuvetur, DEO tamen non placeat, nisi etiam
accedant opera misericordiæ & assumatur altera ala
Eleemosynæ fide iustorem vobis exhibeo sæpius me-
moratum magnum Chrysofomum: qui ad opera
misericordiæ suos Antiochenos exstimulans miseri-
cordes comparat prudentibus Virginibus, immiseri-
cordes verò fatuis, & ita fatur: *Tanta vis est eleemo-
synæ, cum multa fiducia suos introducit alumnos; est enim
cœli nota janitoribus &c. Hanc amemus, hanc diligamus,
ut nos agnoscat. Si ipsa nos agnoverit, & Dominus a-
gnoscat: si non agnoverit ipsa, ignorabit & Dominus &
dicet: Nescio vos.* Deinde nonnullis interjectis per-
git Chrysofomus: *Jejunas quotidie? verum & tunc
Virgines illæ, sed nihil eis profuit. At oras? & quid hoc?
absque eleemosyna sterilis oratio; omnia immunda absque
hac, omnia inutilia, major virtutis pars est amputata.
Qui non diligit fratrem suum inquit, DEUM non novit:
tu verò quomodo diligis, neque parva hæc & vilia volens
ei communicare?* Sed & alibi idem aurei oris Doctor
in eandem thesim pronuntiavit, cum facta mentio-
ne Cornelij Centurionis dixit: *Orationes tuæ & elee-
mosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu DEI:
Intueris conjugationem optimam? Tunc exaudimur
quando & nos audimus pauperes accedentes.* Qui au-
tem

S. Chrysof.
hom. 36.
ad pop.

S. Chrysof.
hom. 11. in
Epist. ad
Hebr.

tem obdurat aures suas ut non audiat pauperem, deprecationem ejus non exaudiet DEUS. Legitima est hæc causalis, qui non audit proximum audiri non meretur à DEO, incassum igitur se fatigat immisericors, quantumcunque temporis in preces infumat, quamdiu clamantem pauperem recusat audire.

X. Vultis & aliam vobis hujus veritatis afferam rationem? Memineritis rogo sententiæ S. Bernardi quam initio hujus Discursus adduxi: *Sint jejunio nostro ut facile cælos penetret ala dux: orationis scilicet atque justitiæ.* Hanc justitiam dico ego esse eleemosynam, quæ reddit cuique quod suum est: reddit etiam pauperi quod suum est. Tenemur ex Justitia pauperum necessitatibus subvenire, quod ut probem Academici cujusdam symbolum ante oculos habete. Volens ille exprimere in pictura veram justitiam distributivam, pinxit solem qui radios suos diffundebat per montes, valles, saxa, arbores, fluvios, lacunas, homines & pecora, & lemma adjecit: CUIQUE SUUM. Cogitate jam annon hoc ipsum nobis enuntiet divinam in hoc mundo Oeconomiam. DEUS summè bonus & effundens ad extra suam bonitatem *solem suum oriri facit super bonos & malos*, omnibus prospicit, omnibus hunc mundum colendum, & fovendum dedit, neque de jure naturæ uni plusquam alteri *Cuique suum* radium, nec ullus potest altero jure naturæ plus prætere, aut plures radios quam unum sibi necessarium. Unde ergo provenit, quod in mundo reperiantur multi multa habentes, alij verò nihil habentes? nunquid ita disposuit à creatione mundi supremus Oeconomus, suprema providentia DEI? Nolo jam hoc dicere, quod ambitio & arrogantia,

3. Chrysof.
hom. 34. ad
pop.

& violentia discrimen constituerint inter homines, qui eandem omnes habent Originis prærogativam, nec forte nascendi ullus altero deberet esse nobilior, nullus ditior, sed æquali fortuna inter se vivere. Illud solum asserere libet cum S. Chrysofotomo : *Audiamus quotquot ventri indulgemus, quotquot in opiparas coenas expendimus divitias; nihil ad nos pertinentes, sed* **INDIGENTIBUS DEBITAS**. *Non enim quoniam ex benignitate multa de tuis erogare jussus es hac idè putes esse tua. Tibi mutua dedit, ut laudabilis fieri posses: ne tua igitur esse putes, ei sua præbens. Nec enim si tu mutua dedisses, ut abiens aliquis posset questuum occasiones invenire, illius pecunias esse diceres. Igitur & Tibi DEUS tradidit, ut cælum lucrari posses: ergo benignitatis excessum ne facias ingratitude materiam. Quæro nunc an ad justitiam pertineat restitutio? affirmabis. Quæro iterum an debita quis de jure possit exigere? etiam consenties. Si ergo divitiæ tuæ sunt **INDIGENTIBUS DEBITÆ**, jure à te repetit pauper quod suum est, & tibi à DEO solum mutuo datum. Itaque cum negas esurienti panem, nudo vestitum, sitibundo potum, necessitate constricto auxilium, injustus es, & aliena per vim possides. Quomodo ergo vis ut jejunium tuum etiam oratione multa adjutum ascendat in conspectum DEI, si altera alâ quæ est misericordia & eleemosyna destituatur? *Redde quod debes*, ut accipias quod petis. Redde inquam quod debes de alieno, & adde etiam de tuo quod non debes, alioqui non fecisti eleemosynam.*

XI. Sed prò dolor multos hodie invenias, qui cum ingentes divitiarum acervos congesterint, per fas & nefas pecunias corraferint, jejunant, o-
rant,

rant, largiuntur eleemosynas : jejunant inquam magis ex avaritia quam pietate, ne multum infumant; orant magis ex consuetudine quam devotione, ne videantur Athei : dant eleemosynas de alienis rapinis, nihil de suo, & illas quidem modicas ad externam apparentiam, & his veluti alis putant se sublevandos ad regna cœlorum. Sed procul errant isti in cogitationibus suis, quia ad hos dicit Deus per Jeremiam Prophetam : *Quid niteris bonam ostendere viam tuam. In alijs tuis inventus est sanguis animarum pauperum.* Ad quæ verba S. Thomas : *Loquitur ad similitudinem avis rapacis : Quia scilicet milui & vultures cum alias prædantur aves sibi earum sanguine alas inficiunt. Tales milui sunt avari qui ex ingentibus rapinis centesimam partem largiendo pauperibus, sibi blandiuntur, quasi innocentes, quasi bonam graderentur viam. In alijs tuis inventus est sanguis animarum pauperum : Non devehent te alæ tuæ ad cœlum nisi sanguis hic penitus eleuatur. Redde quod debes. Quia omnis violentia prædatio cum tumultu, & vestimentum mistum sanguine erit in combustionem & cibus ignis.* Jejuna non ex tenacitate sed charitate ; ora non ex consuetudine, sed devotione ; largire eleemosynas non ex alieno, sed de tuo, & si possides aliena, restitue cui debentur : si non possides aliena, & possides superflua, ac plura quam frui liceat, crede illa quoque esse aliena, & à DEO mutuo concessa, ut pauperibus elargiaris ejus exemplo, qui cum omnia nobis dedisset, ultimo seipsum dedit : longè affectuosius quam ille devotus de quo S. Bernardinus Sen. qui cum amore DEI omnia sua distribuisset in pauperes,

Jerem. 2.

D. Tho in
c. 2. le. em.

Isai. 9.

S. Bern.
Sen. To. 1.
ser. 7. de
elem. a. 2.

& adhuc plures accederent ac *elemosynam postularent, nihilque ei remansisset, projecit se in manus poscentium dicens: suscipite memetipsum.* Sic & longè majori charitate Christus cum nobis omnia donasset, nudus jam & expoliatus in Cruce expandit sua brachia, quasi diceret: Omnia vobis donavi, nihil mihi amplius restat, *accipite memetipsum.* O misericordissime IESU agnoscimus ineffabilem tuam liberalitatem, qui cum dives esses propter nos egenus factus es; cum omnia nobis donasses, etiam teipsum nobis benignissimè offers. Jejunas in deserto ut nos pascas, oras in monte, ut nobis patrocineris, oras in Cruce ut nobis ignoscas; fitis in Cruce ut nos potes torrente voluptatis; aperis insuper largissimos fontes misericordiæ tuæ, quibus eluas peccata nostra; expandis Brachia ut nos amplectaris. Desideramus nunc alas columbæ: *Quis dabit mihi pennas sicut columbæ, & volabo & requiescam,* pennas orationis puræ, & profusæ charitatis, quibus fugientes infernalem accipitrem, provolemus *sub umbram alarum tuarum,* brachiorum tuorum, quæ in amplexum nostrum expandisti, & requiescamus dum vivimus in cavernis maceriæ, in cavernis petræ, in vulneribus tui sacratissimi corporis, *donec aspiret dies & inclinentur umbræ vitæ nostræ,* ac tandem tuis alis sublevati evolemus tecum ad gaudia sempiterna, ubi te cum Patre & Spiritu sancto glorificemus in sæcula.

DISCURSUS XX.

Dominica Passionis V. Quadragesimæ.

Veritas Exul,

T H E M A.

Si veritatem vobis dico cur non creditis?

Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum. IESUS autem abscondit se.

Joan. 8.

S Y N O P S I S.

- I.** Veritatem dicturo periculum est ne dum alijs dicit, sibi non dicat, ut Demaratus Xerxis Consiliarius: sed veritas que abscondit se inquirenda est.
- II.** Ex contrario maximè elucet: ejus contrarium est mendacium natum patre diabolo, ut veritas DEO, quam tamen rari confectantur.
- III.** Si queratur in Aulis, fortè à nonnullis Principibus admittitur, sed à Consiliarijs in exilium agitur. Rhetorica aulica omnes figuras ad Ironiam & mendacium reducit.
- IV.** A tribunalibus ubi maximè deberet intervenire veritas repellitur, corruptelâ Indicum, &ceptione personarum &c.
- V.** Maximè verò caudicorum trochleis, qui sepe magis solliciti de crumena quam anima: quibus junguntur falsi testes.
- VI.** In foro licet clamitet sapientia veritatem, hæc prima est veritas, quod in foro nulla sit veritas, inter mercatores, canpones &c.
- VII.** In templis deberet esse Veritas, sed à Sacerdotibus sepe absconditur, à laicis simulatione palliatur, qui labijs Deum honorant non corde.
- VIII.** In castris inter milites non invenitur Veritas, ubi fallaciæ artes sunt, & mendacia stratagemata.
- IX.** Nuspian ergo est in terris Veritas: nec habet locum nisi in

aëre in crucē librata, Sibi non ut esse solet nuda sed, velata.

X. Velata sanè quia cepit obrui mendacijs & falsis testimonijs, simulationibus, fictionibus Consiliariorum, Iudicum, Advocatorum, mercatorum, omnium Christiananorum.

XI. Utinam aliqui huic tristi ve-

lamini, non superinducerent adhuc aliud velamen, & excusarent excusationes in peccatis. Utinam omnes veritati etiam exuli prestaremus homagium, & posita simulatione, furo, mendacio, loqueremur veritatem cum proximo, &c.

Si Veritatem dico vobis cur non creditis?

Tulerunt ergo lapides ut jacerent in eum. IESUS autem abscondit se.

Joan. 8.

I.



Erret me hodie veritatem dicturum de VERITATE, apophtegma illud, quod sapientissimus Seneca narrationi de Veridico Xerxis, Persarum Regis Consiliario Demarato subtextuit: *Xerxes* (inquit Seneca)

Pudore quam damno miserior Demarato gratias egit, quod solus sibi verum dixisset, & permisit petere quod vellet. Petijt ille, ut Sardis maximam Asia civitatem curru vectus intraret, rectam capite tiaram gerens: id solis datum Regibus. Dignus fuerat premio antequam peteret. Tandem subjungit: sed quam miserabilis gens, in qua nemo fuit qui VERUM diceret Regi, nisi qui non dicebat sibi! Sapienter egit Demaratus, cum Regem dehortatus est ne bellum inferret Græciæ tot stipatus

myria-

Sen. de Benef. lib. 6.
6. 31.

myriadibus, quas Græcia non posset capere. VERITATEM dixit: *Tot ista gentium millia trecenti morabuntur. Tota illos Asia non movebit loco. Tantas minas belli & penè totius generis humani ruentis impetum paucissimi sustinebunt.* Nam ita factum est. Sed desipuit in eo Demaratus cum sibi VERITATEM non dixit. Neque enim sapientiæ attribui potest, quod pro libera VERI professione Regium sibi honorem deferri petierit tam periculosum munus, tam vanâ mercede permutans: acciditque ei, quod Alexandro Macedoni, qui cum Jovis filius appellari vellet, *rerum gestarum famam* (ut ait Curtius) *dum augere vult, tali appellatione corruptit.* Idem ne mihi fortè eveniat pertimesco; ne scilicet cum alijs VERITATEM dixerò, mihimet non dicam, immemor quod periculosum sit vellere publicos ævi mores, & contra torrentem niti cassus plerumque sit labor. Verum nemo unus est, qui omnibus horis sapiat, *& in suo quisque negotio hebetior est quam in alieno.* Patiar hodie me mihi desipere, dum vobis sapiam. Nam si cum Christo estis; credetis: si contra Christum, ad vos spectabit thema assumptum: *Si VERITATEM vobis dico, cur non creditis?* Inquiram igitur VERITATEM, quæ abscondit se. Si non invenero, vos tamen vel exuli præstare homagium.

Curt. lib. 9.
de vit. A.
lex. n. 7.

Curt. lib.
7. n. 4.

II. Comune Philosophorum axioma: *Contraria juxta se posita magis elucescunt,* disertius expressit Plutarch' inquit: *Cum juxta se bona & mala collocantur, facilius meliorum & agnitio demonstratur & electio.* VERITATI è diametro opponitur mendacium, ut luci tenebræ,

Plut. P. 1.
Moral lib
de Home.

tenebræ, virtuti vitium, æquitati Iniquitas, bonitati malitia, DEO Dæmon. VERITAS est DEI filia, mendacium dæmonis, attestante scriptura & ipsa increata VERITATE, quæ alloquens Judæos aiebat: *Vos ex patre diabolo estis &c. ille homicida erat ab initio, & in VERITATE non stetit &c. quia mendax est, & pater ejus.* nimirum mendacij, ut observant Chrysofostomus, Theophylactus, Leontius & alij. Unde D. Augustinus: *Quomodo DEUS Pater genuit filium veritatem, sic diabolus lapsus, genuit quasi filium mendacium.* O quantum ergo intervallum est inter VERITATEM & mendacium, illa saluat, hoc perdit, illa filios DEI arguit, hoc filios dæmonis; & tamen quotusquisque in mundo est, qui VERITATEM sectetur? Regius Psaltes quasi paucos veraces in mundo existimaret, universim alloquitur humanum genus *Filij hominum gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & queritis mendacium:* quasi innueret, *Querite potius veritatem, quia si perennare desideratis: Labium VERITATIS firmum erit in perpetuum:* Si in periculis fueritis *VERITAS liberabit vos:* Si adversarios sentietis: *Omnia vincit VERITAS.* Si justitiam amabitis, scitote, quia *gens justa est custodiens VERITATEM:* Quæramus ergo VERITATEM: Sed metuo ne sicuti hominem quærebat Diogenes, ita nos quæramus VERITATEM inter VERACES: nullus enim tam impudens mendaciorum assertor est, qui VERAX videri non velit; & si uno mendacio se fidem mereri non putat, alterum alteri superstruit, ut falsitati novâ falsitate fidem conciliet.

III. Eamus ad Aulas Principum *Magna est VERITAS & prævalet:* inter potentes & magnos forte locum habebit. Et de ipsis quidem Principibus

Chrysof.
Theophyl.
Leont.
Ammon.
ap. Mal-
donat. S.
Aug. in
Joan.

Psal. 4.

Prov. 12.

Joan. 8.

g. Esdr. 3.

Isai. 26.

Isai. 3. o.
3.

bus vix dubitem, quin memores sint illius apud sapientem: *Non decet Principem labium mentiens.* Apud quos verbum simpliciter prolatum juramenti obtinet vicem, uti Theobaldum Comitem laudat S. Bernardus: *cui simpliciter dicere jurare est, & leve mendacium grave perjurium imputatur.* Cum enim Princeps causam non habeat cur subditos metuat, non habet causam cur illis mentiatur: uti unus ex 70. Interpretibus ajebat ad Ptolomæum Regem Ægypti. At verò in aula non sunt soli Principes, qui loquantur, quin potius soli audiunt, quod plures loquuntur. Utinam semper audirent VERITATEM, etiam tunc cum sibi eam dici vel jubent vel desiderant. Ut ille apud Plautum qui ajebat: *Nolo te assentari mihi &c. Ego VERUM amo, VERUM volo dic mihi, mendacem odi.* Frequenter autem evenit, quod Fl. Vopiscus ex mente Diocletiani Imperatoris dicebat: *Ego à patre meo audi vi: Diocletianum Principem jam privatam dixisse nihil esse difficilius, quam bene imperare. Colligunt se quatuor vel quinque, atque unum consilium ad decipiendum Imperatorem capiunt; dicunt quid probandum sit. Imperator qui domi clausus est VERA non novit, cogitur hoc tantum scire quod alij loquuntur: facit Iudices, quos fieri non oportet: amovet à Repub. quos debebat obtinere. Quid multa? ut Diocletianus ipse dicebat: Bonus, cautus, optimus venditur Imperator.* Hæc ille. VERITAS quocunque venit hospes est: ad domos privatas quarum limina nulli observant satellites, faciliorem habet ingressum: ad Principes non admittitur, nisi per ministros. Et si hos contingat à VERO discedere, falsum amplecti, privata curare, publica negligere,

Prov. 27.

S. Bern.
Ep. 39. ad
Theob.Aristæ lib.
de 70. In-
terpret.Plaut. in
Mossell.Fl. Vopisc.
in Aurelia.
c. 43.

sibi laborare, Principi adulari ; quid mirum si magnis obruatur calamitatibus patria. Quod agnoscens Gordianns juvenis Imperator focero suo Mithreo rescripsit : *Mi pater VERUM audias velim. Miser est Imperator apud quem VERA reticentur : qui cum ipse publicè ambulare non possit : necesse est ut audiat, & vel audita, vel à plurimis roborata confirmet.* Et hic quidem in eo felix censendus quod VERUM audire desideraret, infelices illi, qui à VERITATE abhorrent, unde facilè pares suis votis consiliarios adipiscuntur. Nam ut ait Æneas Sylvius. *Omnes Principem facere amicum student, & non quæ sunt apta, sed quæ jucunda putant, in consilio dicunt : & nititur pro se quisque, ut carior sit, nec est qui libera proferat animi verba.* Quam raros inter hos Themistocles, qui sentiat, & liberè dicat ; *VERITATEM in summo bonorum simul & vitæ periculo profitendam esse ; & tum maxime cum multorum salus inde emineat.* Quam rarus in aulis Boëthius, qui Principis iras non curet. Dicebat nonnemo de nostris temporibus (utinam mentiendo citra culpam) quod lugendum est : *Rhetorica aulica omnes figuræ troposque ad Ironiam & mendacium reducit. Qui simulat, dissimulat, mentitur, decipit, juxta aulicas Institutiones Rhetor optimus est.* In aulis proinde VERITATEM inquirere frustraneus censendus labor. At Christum, qui increata est VERITAS, hisce diebus in aula spectamus, deducitur ad Herodem, sed irridetur, & per ludibrium candidâ veste amicitur, quasi candor in aulis stultitia reputaretur. Atque ita ab Aulis VERITAS exul est.

IV. Accedamus tribunalia Iudicum, & inquiramus an illic fortè sit VERITAS. Et quidem illic deberet

Jul. Capit.
tol. in vita
Gord. c. 25

Æn. Sylv.
Ep. 105.

Ælian.
van. hist.
lib. 3.

Caran. in
Boët. D. 5.
q. 12.

deberet esse ejus proprius locus & habitatio, præcipiente Domino per Prophetam : *Conversus cogitavi in diebus istis ut benefaciam Domui Iuda & Ierusalem : nolite timere. Hæc sunt ergo verba quæ facietis. Loquimini VERITATEM unusquisque cum proximo suo. VERITATEM & iudicium pacis iudicate in portis vestris.* Sed heus tu Iudex, quomodo discernes VERUM à falso, qui manus tibi pateris ligari muneribus partis & actoris iniqui ? quomodo justè iudicabis, qui personas intueris, & potentio rem quidem vereris, pauperem contemnis ? quomodo VERUM exercebis iudicium si præoccupato affectu sententiam pro amico fers priusquam partes audieris ? si assessorum vota in eam partem impellis, à qua sperandum vel metuendum esse existimas ? si memor injuriæ ab habente justam causam irrogatæ, occasionem arripies exercendæ vindictæ ? Quam verè dixit Oratorum Princeps : *Plura iudicant homines aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut letitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua perturbatione mentis, quam VERITATE, aut præscripto, aut juris norma.* Rara avis Iudex integer. Eum verò dicam integrum, qui & oculis careat, & manibus. Cæteri homines non dicuntur integri nisi hæc habeant : at verò Iudices non sunt integri, nisi his careant : oculis quidem ne personas respiciant, manibus verò ne munera suscipiant. Eam ob causam ut tradit Plutarchus apud Thebanos statuae Iudicum sine manibus formabantur, & ante altaria Deorum locabantur, quo fortè etiam innuebant, injuriam passis asylum & refugium esse debere apud Iudices non minus quàm apud aras. Unde Archytas ajetbet apud Aristotelem *Iudicem & aram*

Zach. 8.
v. 16.

Cic. 2 de
Orato.

Plut. lib.
de Iud. &
Osir.

Aristot. 3.
Rbet.

idem esse. Pariter enim ad utrumque confugiunt qui injuriâ afficiuntur. Alexander Macedo exigebat præterea in Iudice unam tantum singulis altercantium apertam aurem, causam rogatus subjiciens: *Alteram integram servo reo.* O si tales, ubique forent Iudices, cœci, manci, & uniaures, quam facillè apud illos VERITAS hospitaretur, & ferrentur legibus conformes sententiæ; nullus Q. Callidius exclamaret adversus corruptum Iudicem: *Idoneam mercedem pro meo capite pacisci debuisti.* Nullus Plinius assereret: *Ingeniosior est ad excogitandum simulatio VERITATIS.* Sed in omnibus tribunalibus audiretur una vox: *VERITAS manet & invalescit in æternum. Nec est apud eam accipere personam, neque differentias, sed quæ justa sunt, facit omnibus injustis & malignis. Et non est in judicio ejus iniquum, sed fortitudo &c. Benedictus DEUS VERITATIS.*

V. Jam verò quantumvis ipsos Iudices integros esse contingat, sæpenumero qui Iudicum aures implent partium Patroni, Advocati, Cauffidici, procul recedunt à VERO, cum mille inventionibus & sophisticis argumentis leges torquent, statuta confingunt, malas consuetudines ceu bonas obdruunt; ac modo protrahunt lites, modo emungunt partes, modo impellunt ad falsa testimonia, modo cogunt ad perjuriam, & neque pro cœlo indipiscendo tantum laborant, quantum, ut iniquæ causæ pallium VERITATIS apparentis inducant, magis solliciti de crumena quam anima; de victoria, quam salute, quam sæpius una cum victoria perdunt, non tantum suam, sed & plurimum aliorum, ut de ipsis quasi solis verificari possit, quod Philosophus Villensis pronuntiavit: *Unus malus Medicus, unus*
malus

Plut. in
Alex.

Brut lib. 3.
cap. 10.
Plin. in
Paneg.
Trajan.

3. Esdræ 4.

malus Iudex, unus malus Consiliarius, plus quam decem pirate sunt. Cum tamen *Iurisconsulti* (ut inquit Chassanæus) *id præcipuum studium sit, justum ab iniusto, falsum à VERO discernere.* Non omnes arguo : sunt etiam inter hos (uti in omni hominum genere) laude digni : solum dico quid aliquando & sæpè fiat vel fieri possit. Et habeo de hoc VERITATIS divinæ oraculum : *Mendacium operatus est stylus mendax scribarum.* Inquit Hieremias ; ad quæ verba D. Thomas : *Ostendit injustitiam, vel malè scripturas exponendo, vel iniquas leges condendo.* Quod roborat alio textu Isaiæ Prophetæ. *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes injustitiam scripserunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cause humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* Quos scribas & scribentes hi Prophetæ intelligant, ulteriori explanatione non eget, quod enim scribæ Iudæis, hoc nobis Causidici. Sed absolvamus etiam hos à reatu ; certè falsos testes, qui in iudicijs sæpè interveniunt fateri oportet juratissimos esse VERITATIS hostes. Nam præterquam quod DEUM qui est increata VERITAS offendant, Iudicem VERITATIS defensorem, & simul innocentem reum VERITATIS pupillum uno ictu falsi testimonij petunt, tribus unâ actione injurij. Unde aiebat Hieronymus : *Testis falsidicus tribus est personis obnoxius, primò DEO, quem pejerando contemnit ; consequenter Iudici, quem mentiendo fallit ; postremò innocenti, quem falso testimonio lædit.* Atque ita VERITAS etiam à tribunalibus sæpenumerò cogitur exulare. Et si eam non proscribit Iudex, fugat Causidicus, persequitur falsus testis.

VI. Progrediamur ad forum, an illic fortè

*Anonym.
Phil. Vln.
Chassan.
Cat. glo.
mund. p. 7.
conf. 34.*

*Jerem. 8.
D. Tho. in
Jerem.*

Isaiæ. 10.

*Isid. de
summ. bo-
no lib. 3.*

Prov. 1. reperiat **VERITAS**. *De sapientia testatur Salomon: sapientia foris prædicat; in plateis dat vocem suam: in capite turbarum clamitat, &c.* quid clamitaret sapientia nisi **VERITATEM**? In plateis igitur invenitur **VERITAS**. Sed dum sapientia clamitat **VERITATEM**, hæc sola **VERITAS** est, quod in foro nulla sit **VERITAS**, idcirco lamentatur: *Vsquequo parvuli diligitis infantiam, & stulti ea quæ sibi sunt noxia cupient. Quasi diceret cum Psalte: Vsquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem & queritis mendacium, illud scilicet quod maximè nocet auctori: quia mentita est iniquitas sibi.* Unde Anacharsis dicebat: *Forum esse locum multis hominum fraudibus, ac rapinis destinatum.* Ingredere si placet officinam Mercatoris, Propolæ, Oenopolæ, pharmacopolæ, &c. jurabunt muscedam esse piper Indicum, mulsum esse vinum Creticum, herbas quæ in domestico creverunt horto advectas esse ex Brasilia, ex Insulis fortunatis, ex ultima Thule: merces quæ per viginti annos corosæ sunt, heri esse advectas & nuper elaboratas: nummos plusculos expensos in vecturam, telonia, bajulos, jumenta &c. producent insuper mensuras signatas sed decurtatas, appendent stateras, sed diminutis ponderibus, jurando per conscientiam, per animam, per **DEUM**, devovendo se morti subitanæ, & mille diabolis si fallant: & nec unum verbum consentaneum proferant **VERITATI**. His minatur **DEUS** per Amos Prophetam. *Venit finis super populum meum Israël &c. Multi morientur, in omni loco proijcietur silentium. Quid ita mi DEUS? quid tantoperè peccavit Israël? Audite hoc (inquit) qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terra, dicentes: Quan-*

Quando transibit mensis, & venundabimus merces: & sabbatum, aperiemus & frumentum, ut imminuamus mensuram, & augeamus siclum, & supponamus stateras dolosas, ut possideamus in argento egenos, & pauperes pro calceamentis, & quisquillas frumenti vendamus. Inter hos profecto VERITAS locum non habet, sed vanitas, de qua Psaltes Regius: *Vani filij hominum: mendaces filij hominum in stateris: ut decipiant ipsi de vanitate in idipsum.* Hoc est quod lamentatur Isaias: *Corruit in platea VERITAS.* Conculcata ab œnopolis, mercatoribus, mechanicis aliisque ejusmodi, qui lucris inhiant, fallendo, decipiendo, circumveniando &c. qui cum sæpè injustissimum pretium extorqueant, incidunt in illam censuram sapientis: *Potior est fur,*

Psal. 61.

Isai. 59.

Eccl. 20.

VII. Relinquamus forum, ingrediamur Ecclesiam. Ubi potius quam in loco sacro VERITATEM inueniemus? Conveniunt in Ecclesijs Sacerdotes, & laici, viri & mulieres, senes & juvenes, omnis sexus ætatis & generis homines. Et sacerdotum quidem est loqui VERITATEM, aliorum audire. Sed vereor ut in utrisque deprehendamus magnum VERITATIS defectum. Quid enim si illud Propheticum illis conveniat: *Domus mea domus orationis vocabitur cunctis populis.* Speculatores ejus cœci omnes, nescierunt universi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes somnia. Quæ cum sancto Gregorio passim interpretes verbi divini præconibus adoptant. Si enim advertunt publica adulteria, & tacent, sunt *Canes muti*: vident opprimi pauperes, & tacent,

Isai. 56.

S. Greg. in
c. 30. Job.

tacent, sunt *canes muti*. Vident blasphemari nomen DEI, & tacent; sunt *canes muti*. Ipso silentio profitentur se inimicos VERITATIS. Nam ut loquitur

S. Anselm.
in Ep. S.
Pauli ad
Corinth.

S. Anselmus: *Qui VERITATEM occultat, & qui mendacium profert, uterque reus est: ille quia prodesse non vult, iste quia nocere desiderat.* Unde Isaias Pro-

Isai. 6.

pheta seipsum redarguens silentium suum reputat maximam prævaricationem: *Vae mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum.* In quæ verba S. Hieronymus:

S. Hier. Ep.
142. ad
Damas.

Quia, inquit, *Oziam in templum irruentem non corripuerat, nec juxta Eliae exemplum libera voce impium dissonarat, labia habet immunda.* Quid adhæc illi, qui non tantum tacent, ac VERITATEM dissimulant in Ecclesijs, sed operibus suis loquuntur mendacia? annon hi gravius delinquere censendi sunt?

S. Ambros.

Digna consideratione est illa S. Ambrosij sententia: *Carvete Fratres mendacium: quia omnes qui amant mendacium, filij sunt diaboli. Non solum in falsis verbis, sed & in simulatis operibus mendacium est. Mendacium namque est se Christianum dicere, & opera Christi non facere: mendacium est, Episcopum, sacerdotem, vel Clericum se profiteri, & contraria huic ordini operari.* Heu

Isai. 29.
Matth. 15.

quantos igitur veritatis osores in ipsis Ecclesijs, de quibus etiam DEUS conqueritur apud Prophetam: *Populus hic labijs me honorat; cor autem eorum longè est à me.* Mentiri non est aliud quam contra mentem ire, mentitur qui aliud verbis profert, aliud corde & animo versat, corpore in templis præsens, cogitationibus per popinas & ganeas discurrens. Non est ergo etiam in templis VERITAS.

VIII. Vbi tandem inveniemus VERITATEM? ab aulis, à tribunalibus, à foris, à privatis domibus,

domibus, à templis exulat, proferamus pedem extra urbes ad castra. Milites sunt vindices VERITATIS, assertores iustitiæ, propugnatores æqui, qui certant, ut tribuant suum cuique: sunt viri fortes: *Vir bonus & fortis nunquam timet dicere saterique VERUM*, ait Aeneas Sylvius. Sed idem Sylvius contra milites pronuntiat: *Florentinorum pro-verbium est, dum bella vigent, utendum esse mendaciis*. Quid sunt aliud stratagemata, quam houesta mendacia? simulatur metus, & latet audacia; fingitur animositas & trepidant intus præcordia. *Aucupes dum ludunt fallunt, nec nisi ludant fallunt, nil possunt sine cantu retia*, inquit nonnemo, sic milites nisi ad artes convertantur non circumveniunt hostem, non urbes expugnant, non consequuntur victorias. Taceo Milites Plautinos & Bombomachides, qui

*Æn. Sylv.
Epist. 80.*

*Scrib. Po-
lico. Chri-
stia.*

De minimo magna & de parvo maxima fingunt, Uno halitu myriadês totas à se deletas, hostem prius fugatum quàm visum gloriosè se sesquipedalibus enarrant verbis, & cicatrices in fronte, naso, genis ostentant, quas fortè in cella Bacchi commilitonum canthari illisi fecerunt. Non ergo etiam in castris VERITAS.

IX. Sed inani labore consumimur, si VERITATEM in terra quærimus. Non est in terra VERITAS. Dicit quidem Pſaltes: *VERITAS de terra orta est*, sed a terra in exilium depulsa. Ubi, Ubi es sancta VERITAS? *Audite verbum Domini filij Israël: quia iudicium Domino cum habitatoribus terre. Non enim est VERITAS, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium imundârunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lu-*

Osee. 4.

gebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea. Quin igitur revocamus quantocyus exulem VERITATEM? quin ei & exuli præstamus homagium? quin execramur dolum, falsitatem, mendacium? Ah nos infelices! illa VERITAS quæ de terra orta est, à Deo generata, hodie toto terrarum orbe proscripta locum non habet nisi in aëre, & ibi etiam non ut esse solet Nuda, sed obvelata. *Tulerunt lapides ut jacerent in eum. JESUS autem abscondit se.* Heu me quale spectaculum! VERITAS per falsa testimonia in Aulis Principum, in tribunalibus Prætorum & Sacerdotum, in consiliis Scribarum & Phariseorum ad mortem condemnata, ab omni hominum genere contempta, illusa, explosa, à militari cohorte ligata, velata, consputa, irrifa, extra urbem eijcitur, & ne in terra locum habeat, in aërem sublevata cruci affigitur. Ecce VERITATEM cujus primum elogium est, nudam esse, hæc nobis hodie pullo & obscuro amictu obvelata proponitur. *JESUS autem abscondit se.*

Rup. lib. 5.
c. 1.

X. Quæ causâ hujus velamenti? Dicat Rupertus Abbas, quia Sabbatho ante hanc Dominicam coactum fuit Concilium Scribarum, & Phariseorum adversus JESUM, ideoque velari Cruces, & majorem mœstitiam conveniri officiis Ecclesiasticis. Sed cur lugeat & lugubri amiciatur velo meus JESUS qui *desiderio desideravit hoc Pascha.* Velentur altaria, velentur sanctorum imagines: lugeat Clerus & populus, maneat, Nuda VERITAS, quæ nunc vel maxime se cœpit exerere, & vel ab invitis extorquere assensum. Dicant alij causam horum velaminum esse, quod hoc tempore Christus apud Judæos non ambulaverit palam, sed juxta

Gavant.
Thes. P. 4.
tit. 7.

ta Evangelium hodiernum *abscondit se* : Sed quomodo non ambulavit palam, si post octiduum velut triumphans ingressus est Hierosolymam cum accurrentium turbarum applausu? Ego potius illam suspicor causam esse cur hodie velentur obscuro velamine effigies Christi Crucifixi : quia cœpit VERITAS obrui mendaciis & falsis testimoniis : *Principes autem Sacerdotum & omne concilium, querebat falsum testimonium contra JESUM.* Velatur VERITAS, per falsa testimonia, per mendacia, per simulationes, quas exercet *omne Concilium.* Quodnam illud concilium? Vos vos in Aulis Principum & Magnatum improbi Consiliarij, qui VERITATEM palliatis & absconditis : vos vos Judices corrupti muneribus, depravati affectibus, spe aut metu in transversum acti, qui VERITATEM à tribunalibus excluditis, vel admissam falsis prætexitibus obvelatis : vos vos avari caussidici, qui vestris sophisticis inventionibus, & adulteratis legum interpretationibus fucum facitis Judicibus, & VERITATEM tacetis : vos vos iniqui Mercatores & Mechanici, qui merces & nundinationes vestras mendaciis, falsitatibus, perjuriis, pretiosiores efficere fatagitis, *mendaces filij hominum in stateris* appensam in statera Crucis VERITATEM palliatis : Vos vos Sacerdotes & animarum pastores, qui pro VERITATE, fumos & fucos auditoribus proponitis *canes muti non valentes latrare* : vos vos Christiani qui verbis profitemini vos nosse Deum factis autem negatis : Vos denique universum genus humanum, quia *omnis homo mendax* : vos inquam hoc obscurum velum, hoc triste pallium textuistis, & Nudæ VERITATI ab omni terra in exilium actæ injecistis.

Matth. 2.

XI. O JESU æterna VERITAS, infinita bonitas, ego quoquè ego miser peccator, cui ex officio incumbit ad populum loqui VERITATEM, ad hoc funestum corporis tui velum cooperatus sum, & hoc ipso præsentì sermone cooperor. Conatus sum dicere VERITATEM, sed non dixi ut debui, nondum video signa emendationis in Auditoribus.

Maledictum & mendacium inunda verunt. Non est VERITAS in terra. Omnes nos deliquimus, omnes ad hoc triste peplum contulimus operas: & tamen reperietur fortè aliquis ex hic præsentibus, qui putet me dixisse *in excessu mentis meæ: omnis homo mendax.* Talis profecto adhuc se ostendit inimicum VERITATIS. Nolite, nolite Christiani huic tristi velo VERITATIS æternæ superinducere aliud ad-

Psal. 115.

huc velum *ad excusandas excusationes in peccatis.* Adeste potius, & unà mecum ad obvelati Crucifixi pedes procumbite, petite veniam & misericordiam, quia dum VERITAS exul à terra libratur in aërem, pendet è Cruce *Misericordia & VERITAS ab-averunt sibi.* Paratus est nobis ignoscere, si agnoscamus delicta, paratus est misereri, si deponamus à cordibus nostris vela VERITATIS. Miserere O JESU, peccavimus, VERITATI vela induximus; procul deinceps umbræ, procul fuci, & velamenta: in simplicitate & sinceritate deinceps erit sermo noster, uti tu docuisti, EST, est, Non, non. Sicut in die honestè ambulabimus, ut *Fructus lucis sit in omni bonitate & Justitia, & VERITATE.* Ecce omnes benedictis tuis pedibus advoluti statuimus, declinare mendacium, & omnem simulationem, *ut VERITATEM facientes in charitate crescamus;* & præstemus tibi æternæ VERITATI homagium

Psal. 140.

fide-

Ephes. 5.

fidelitatis, sine dolo, sine furo; *deponentes mendacium* Ephef. 4.
loquemur **VERITATEM** unusquisque cum proximo
suo, quoniam sumus in vicem membra. Ut te aliquando
revelata facie intueri mereamur, æternam VERI-
TATEM.

DISCURSUS XXI.

Dominica in Ramis Palmarum.

Homo-bestia.

THEMA.

Invenietis Asinam alligatam & pullum
cum ea; solvite & adducite mihi.
Matth. 21.

SYNOPSIS.

- I. *Asinus* & *bestia peccator* est
communi Patrum allegoria,
qui utinam dignus fieret glo-
rificare & portare Deum
in corpore suo, uti hodierna
Asina.
- II. *Justus* est homo reduplicati-
vè, diciturque homo homo,
ad cujus completam definitio-
nem requiritur, ne sit homo
jumentum, ut sit timens Deum
& mandata ejus observans.
- III. Duo quidem reperiuntur in
- homine, unum animale, alte-
rum spirituale, hoc ablato, re-
manet homo jumentum &
bestia prædita humanâ formâ.*
- IV. Hoc innuere voluit Deus
cum Adamo & Eve post pec-
catum fecit tunicas pelliceas,
indices belluini animi.
- V. Ita & Cainum ferijt male-
dictione sicut serpentem de-
ceptorem, quia eum imitatus
occidendo Abelem in belluam
degeneraverat.

VI. Antequam diluuium operiretur terra, solus Noë repertus est homo; ceteri vero non homines, sed ex hominibus in bestias mutati erant.

VII. Simili ratione per peccatum Nabuchodonosor transit in feram, & cor feræ datum est ei.

VIII. Fratres Josephi quid aliud erant quam belluæ per inuidiam. Filius prodigus inter porcos pastus est. Pharisei dicti sunt genimina viperarum. Verbo omnis peccator in brutum mutatur per peccatum.

IX. Neque in eo sistit humana malitia, ut unius bruti assumat formam, sed tot bestiali-

bus formis quot peccatis fedatur; quod calculo suo approbant certatim Patres.

X. Et etiam profani scriptores, effigiantes peccatorem cenonstrum, & ex multis beluis compositum.

XI. Nostrum est agnoscere nos ipsos, & si quidem deleat nos esse bestias, simus saltem Iumenta rationalia, cuiusmodi in hodierna processione desiderat S. Bernardus, glorificantes & portantes Deum in corpore nostro.

XII. Ut videlicet in altera processione ad gloriam, inueniamur inter eos, qui cedebant ramos, qui substernebant vestimenta &c.

Inuenietis Asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite, & adducite mihi.
Matth. 21.

I.



Siquis vestrum est AA. qui se adeo innocentem & sanctum putat, ut nullius criminis reum existimet, sed cedat ad partem, vel claudat aures. Non enim mihi hodie sermo erit ad innocentes sed peccatores, non ad homines sed ad bestias. Fungi jubeor Apostoli officio, & mihi reor præceptum a Christo. *Ite in castellum quod contra vos est, ad congregatam in Ecclesia mul-*

multitudinem Auditorum : ubi *invenietis Asinam alligatam & pullum cum ea*. Senes & juvenes peccatis ligatos : *Solvite, & adducite mihi*. Quod dum exequi conor, nemo mihi succenseat, si peccator cum fit, hodie Asinus & bestia audiat : inhærebo enim SS. Patrum & Theologorum allegoriæ, quam si ut par est humiliter intellexeritis, felices vos æstimare debebitis, si porro sessorem Dominum nacti fueritis *glorificantes & portantes Deum in corpore vestro*.

II. Uno penè calamo peccatorem delineant Patres, qui non hominem sed belluam, non imaginem Dei, sed ferarum habere pronuntiant : cum vice versa homo justus non tantum homo, sed bis homo & ut in scholis loquimur *homo reduplicativè* dicatur. Quærit Psaltes Regius de Sion civitate sancta : *Nunquid Sion dicet : Homo, & homo natus est in ea.* & apud Prophetam Ezechielem : Hæc dicit Dominus Deus : *Homo homo de domo Israël*. Quid sibi vult hæc repetitio & vocis homo geminatio ? Respondeat Origenes : *Estote homines homines ; scilicet, quia non omnes homines homines sunt. Homo in honore positus non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus & assimilatus est eis. Iste non est homo homo, sed homo jumentum &c. Absit ergo à nobis ut tales simus, qui mereamur audire non esse nos homines homines. Si enim boni & mansueti simus, duplicamus hominis nomen ut sit in nobis non simpliciter homo, sed homo homo.* Hæc Origenes, qui plus videtur requirere in homine, quàm importet ejus definitio. Definit hominem Philosophus. *Animal rationale*. At Origenes vult ut homo etiam non comparetur jumentis. Nec isto contentus S. Bernardus, desiderat ad definitionem ho-

S. Bern.
inf. cit. S.
Chrysol.
S. Ambros.
S. August.
Petr.
Chrysol.
Isido. Pe-
lus. Gre-
gor. Nys-
se S. An-
ton. Pad.
Fidel. in
Natal.
Dom. Ca-
lud. Dom.
3. Adv.
Mauril.
Dom. 2.
Adv. Pet.
& Aven-
dagn. Ser.
1. de Na-
tiv. Con-
tin. Quad.
p. 121.
Psal. 86.
Ezech. 14.
Origen.
hom. 3. in
Ezech.

*Eccles. 12.
S. Bern.
ser 20. in
Cant.*

minis timorem Dei & mandatorum observatio-
nem : juxta illud Ecclesiasticis : *Deum time, &
mandata ejus observa : hoc est enim omnis homo.* Ubi
addit Doctor mellifluus : *Ergo si hoc est omnis ho-
mo, absque hoc nihil est omnis homo.* Nihil ista rece-
dunt à legitima hominis definitione. Qui enim
rationalis est, ac ratione utitur, non assimiliat se
jumentis quæ carent ratione, sed agit quæ ratio
dicat. Conforme rationi est, ut creatura metuat
suum creatorem, ut subditus obtemperet manda-
tis sui Legislatoris & Domini, ut vivat secundum
quod ratio recta dicat. Id ni fallor volebat innue-
re Seneca ad Lucilium scribens : *Proprium hominis
est animus, & ratio in anima perfecta. Rationale enim
animal est homo. Consummatur itaque ejus bonum, si id
adimpleverit cui nascitur.* Adimplet id cui nascitur
homo, qui DEUM timet, qui mandata eius observat:
quia autem hæc agit non peccat. *Et hoc est omnis
homo.* Secus se habens & vel unum mandatum
transgrediens perdit esse hominis, annihilat diffè-
rentiam à brutis, & simulis factus illis comparatur
jumentis.

*Senec. Ep.
41.*

III. Duo deprehendes in homine si rectè con-
sideres ejus essentiam, unum animale & terrenum,
alterum spirituale & cœleste, unum commune cum
bestiis, alterum proprium & differentiam consti-
tuens à bestiis. Si ergo corrumpas quod spirituale
est, remanet tibi solum quod animale est, & à brutis
quæ impetu naturali feruntur, nihil distas. *Ablata
ratione remanet in homine quod est bestiale,* inquiebat S.
Bernardinus, & alibi ostendit per quid tollatur ra-
tio allegans D. Augustinum : *Ratio à delectatione car-
nali absorbetur, & impossibile est ut aliquid intelligat.* Hoc
ipsum

*S. Bern-
nard in
serm. de
desid. ver.
a. 3. c. 2.
Idem ib.*

ipsum est quod ait Psalmista : *Homo cum in honore esset non intellexit.* Honor hominis est esse Deo similem, quem cum nesciat æstimare peccator, perdit per peccatum lineamenta similitudinis & efficitur similis jumentis & brutis ; *quibus non est intellectus.* Ideò rectè S. Chrysoſtomus : *solus ille verè est homo, qui conſervat à imagine à Deo conſeſſam pulchritudinem minimè ſœdavit.* Idem ſenſit Philo Hebræus juſtum injuſto contraponens : *Nemo injuſtus eſt homo, ſed potius beſtia humana forma prædita : in ſolum autem juſtitie ſectatorem nomen hoc competit.* Qui ſcilicet cum externa forma retinet Internam, cum figura hominis ſimilitudinem Dei, & pulchritudinem ſibi conſeſſam minimè ſœdat. Fœdat autem qui peccat.

IV. Oſtendamus hanc veritatem in ſacris literis ad particularia deſcendendo. In Paradifo peccant Adamus & Eva, & aperti ſunt illis oculi ut adverterent ſe nudos : idcirco abſcondebant ſe & conabantur folijs arborum ſe cooperire. Addit ſacer textus, *Fecit quoque Dominius Deus Ade & Uxori ejus tunicas pelliceas, & induit eos, & ait : Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt.* Duo hic conſideratione digna ſunt. Unum cur pelliceas tunicas & quales illis Deus aptaverit. Alterum, quid ſibi velit illud quod dicat Deus : *Adam quaſi unus ex nobis factus eſt.* S. Chryſoſtomus utrumque eleganter verſat, & tunicas pelliceas ex ovium velleribus factas fuiſſe exiſtimat, *in perpetuam memoriam, quod inobedientes fuerimus Domino.* Quod autem dixerit Deus : *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt,* putat ironicè dictum, quod juxta promiſſum ſerpentis *Eritis ſicut Diſciſcentes bonum & malum : crediderit ſe*

S. Chry-
ſoſt. in Ca-
te Græc.

Philo. lib.
de Abrah.

Gen. 2.

S. Chry-
ſoſt. hom.
18. in
Gen.

fiturum sicut Deum si præceptum transgrediens fructum prohibitum manducasset : cum potius contrarium evenerit, & non solum non sit factus sicut Deus, sed insuper acceptam in creatione similitudinm Dei perdidit. Aliquantum congruentius in rem nostram D. Gregorius Nyssenus causam assignat, cur pellicæis tunicis Deus nudos Protoparentes vestierit, ubi ait : *Ut foris pelle belluina uterentur, qui intus belluina cupiditate animum deformarent.* Ac proinde illasubsequens exprobratio Dei eò spectasse videtur, ut quasi haberet sensum : Ecce qui volebat fieri sicut Deus, unus ex nobis, ille factus est unus ex belluis, vestitus tunica belluina. Aliter ad hunc locum disserit Philippus Abbas, qui putat illud *unus ex nobis*, idem esse quod *unus extra nos*, eo quod conditus ad imaginem Dei, si justus mansisset unus quodammodo cum eo censeretur potuisset, per peccatum verò factus est *extra eum*, extra personas divinas, ficuti Consul deposito consularu vocatur Exconsul &c. *Quamdiu* inquit ille *Obediens Patri & Filio, & Spiritui Sancto mansit in eis, Deus procul dubio fuit & ipse cum eis, quamvis non substantivè sed nuncupativè, non natura sed gratia &c. postquam autem vetitum comedens voci uxoris obediit, à consortio illorum miserandus exiit : & qui per justitiam unus erat in eis, id est inter eos, per injustitiam factus est unus ex eis, id est, extra eos :* Hæc ille. Ex quibus eadem cum priore sequela deducitur, quod scilicet à similitudine Dei recedens per peccatum degeneraverit in bestiam, & ideò belluinis pellicæis vestitus sit.

V. Impius Cain innocentem fratrem Abelem eductum ad agrum nefariè trucidaverat. Poena
quam

D. Greg.
Nyffe. lib.
de vit.
Moyf.

Phil. Abb.
lib. de sal.
primi
bon. c. 23.

quam illi Deus Infixit, illa fuit, ut extorris, & profugus à domo paterna procul exul erraret, circumferens secum tremorem ceu signum patrati facinoris, quod ex ipsiusmet verbis colligitur: Dei autem sententia hæc fuit: *Maledictus eris super terram &c. vagus & profugus eris.* Observat S. Chrysoftomus quod Deus homicidium Caini ex invidia patratum graviore pœna multaverit, quàm parentis Adæ inobedientiam, & idem sententiæ fulmen in eum torserit, quo serpentem in Paradiso deceptorem fulminaverat. Adamus è paradiso ejectus non maledictus est; sed in serpentem vibrata est maledictio: *Maledictus es inter omnia animantia: & bestias terræ:* deinde in terram: *Maledicta terra in opere tuo.* At verò Cain non solum ejectus est ex habitatione paterna & relegatus, sed insuper maledictioni ipse subjectus: *Maledictus eris super terram.* Quid sibi vult hæc inter Adamum & Cainum disparitas, hæc inter Cainum & serpentem pœnæ paritas? Audite Chrysoftomum: *Quia sermè eadem egit quæ serpens, & quasi organum servivit Diaboli sententiæ &c. Et propterea sicut illi dixit maledictus tu inter omnes bestias terræ, sic & huic, quia eadem, quæ ille, operatus fuit. Nam sicut Diabolus, qui odio & invidia movetur, ferre non potuit tot ineffabilia beneficia, quæ in hominem collocata sunt, ex invidia ad deceptionem stimulatus est, quæ mortem induceret: ita & hic Deum erga fratrem suum videns benevolentia magna affici, ex invidia ad homicidium profiliit.* Quasi diceret: degeneravit ab homine in bestiam, imitatus serpentem, serpentis ergo sententia damnetur. Consonat his quod de ejusdem Caini exilio scripsit S. Ambrosius: *Repulit eum Deus à facie sua, & à parentibus abdicatum separatæ habitatio-*

Gen. 4.

Gen. 3.

S. Chry-
sost. in
Gen. hom.
19.S. Amb.
lib. 1. de
Abel &
Cain. c. 10.

tionis quodam relegavit exilio, eo quod ab humana mansuetudine transisset ad sævitiam bestiarum. Peccatum ergo invidiæ Cainum effecit similem serpenti, & mutavit in brutum.

Gen. 56.

VI. In eodem libro Genesios facer historicus volens texere Genealogiam justī Noë sic orditur: *Hæ sunt generationes Noë, Noë vir justus atque perfectus*: S. Chrysoſtomus legit: *Noë homo justus & perfectus in generatione sua*. Et miratur quod Spiritus Sanctus inter laudes Noë reponat hoc omnibus commune nomen *homo*: idque aureo suo calamo ita digerit: *Vidisti admirabilem Genealogiam: Noë inquit homo commune nomen pro laude justī usurpat: Nam cæteri ob carnales voluptates, quibus immerſi erant, amiserunt esse hominis. Iste, inquit, in tanto populo hominis imaginem servavit: Tunc enim homo est quando virtutem colit*. Et nonnullis interjectis subjungit: *Noë homo, hic enim solus homo, cæteri autem non homines, sed humanam gerentes formam, & ex hominibus in bestias mutati malitia voluntatis generositatem nature amiserunt*. Ecce iterum ut peccatum carnis hominem tollat homini, eumque commutet in bestiam.

S. Chry-
ſost. hom.
23 in
Gen.

Dan 4.

VII. Aperiamus nunc Prophetiam Danielis: ubi somnium quod viderat superbus Nabuchodonosor, interpretatus est Daniel: *Eijcient te ab hominibus, & cum bestiis, ferisque erit habitatio tua, & fœnum ut bos comedes*. Quod ita factum esse alio loco declarat: *Quando autem elevatum est cor ejus, & Spiritus illius obfirmatus est ad superbiam, depositus est de folio regni sui, & gloria ejus ablata est: & a filiis hominum ejectus est, sed & cor ejus cum bestiis positum est, & cum onagris erat habitatio ejus: fœnum quoque ut bos comedebat*. Non extendo me hic ad quæstionem
illam

Ib. c. 5.

illam scripturæ interpretum, an re verâ, vel apparenter solum mutatus fuerit Nabuchodonosor in feram, vel nec apparenter quidem hominis figuram perdidit, quamvis capilli & ungues enormiter crescentes, plurimum figuram humanam deturparint: id solum adstruo, sufficienter mutatum fuisse in feram quod usu rationis privatus inter feras totum septennium exegerit. *Dicebat Daniel* (verba sunt S. Antonij Paduani) *cor ejus ab humano commutetur & cor feræ detur ei. Feræ à feriendo dicta est, quod crudeliter feriat. Sic peccator non potest ferire crudelius, quàm ferire seipsum & perire in anima.*

S. Anton.
Pad. serm.
fer. 6.
Dom. 1.
Quad.

VIII. Vultis plura vobis depromam è sacris literis hominum mutatorum in feras per peccatum argumenta? Fratres Josephi Patriarchæ agitati stimulis invidiæ, quid aliud quàm feræ & bestię fuerunt innoxium fratrem vendendo, patri dolorem accersendo. *Invidia & auri fames sic siccarvit mentes, sic corda depressit, sic quod in eis fuerat humani sensus ferinam in rabiem commutavit, ut non offensam Dei, non sancti patris dolorem, non proprii sanguinis sensum meminisse permiserit, ut loquitur D. Petrus Chrysologus. Qui etiam alibi considerans filium prodigum vescentem porcorum filiquis ita fatur: A se migrat, & ab homine totus transit in bestiam, paternæ pietatis immemor, gratiæ genitoris oblitus.* Et nunquid etiam ipse Salvator Scribas & Phariseos bestiarum nominibus appellavit? *serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ, per hoc insinuans ferinam illorum rabiem, quâ sæviebant in Prophetas & sævituri erant in Apostolos & Discipulos. Salvatorem imitatus præcursor Joannes dicebat ad turbas: Genimina viperarum quis ostendit vobis fuge-*

Gen. 13.

S. Pet.
Chrysol.
serm. 29.

Idem S.
Chrysol.
serm. 2.

Matth. 23

Luc. 3.

S. Chry-
sost. hom.
23. in Gen.

re à ventura ira? in quæ verba Chrysoſtomus: *Vi-
diſti quomodo hic dolum mentis illorum BESTIÆ no-
mine ſignificavit? Et congerent pluſcula in hanc
theſim de peccatoribus ita loquitur: cum in malum
declinant, & ſervi fiunt irrationalium affectionum, im-
ponit illis BESTIARUM nomina. Audi ut quodam
loco dicit. Equi mulierum amatores facti ſunt. Vide quo-
modo ob immodicam ſalacitatem hanc cognominationem
acceperunt. Alibi autem venenum aſpidum ſub labiis
eorum: ubi ejus beſtiæ dolum & fictionem imitari eos do-
cet. Canes quoque mutos alios vocat. Et iterum eos, qui
aures ad doctrinam obturant, vocat quaſi aſpides ſurdas
& obturantes aures ſuas. Et multa alia quaſi nomina in-
veniet impoſita, à divina ſcriptura hiſ, qui in BRU-
TORUM affectus per ignaviam tranſeunt. Adeo
nullum peccatum eſt per quod homo peccator ab
humana natura non degeneret, & in BESTIAM
quodammodo tranſmutetur.*

IX. Verùm non ſiſtit hic humana malitia, ut
in unam feram aut BESTIAM degeneret, plures
ſibi aſſumit formas, & tot beſtialibus larvis indu-
itur quot peccatis ſœdatur. D. Hieronymi pronun-
tium eſt: *Tot habemus perſonarum ſimilitudines,
quot peccata.* Et S. Ambroſius perpendens quomo-
do Deus hominem, quem ad ſui imaginem & ſimi-
litudinem condidit, nihilominus propter pecca-
tum damnet: *ſuam Deus (inquit ille) non damnat
imaginem, nec illam in incendium mittit æternum. Con-
demnaris in eo quod ipſe mutatus eſ, ut fieres ex homine
ſerpens, mulus, equus, vulpecula.* Heu quale mon-
ſtrum, non jam Chymæra ex tribus naturis vel dua-
bus compoſita, ſed ex multis! quod animadver-
tens D. Gregorius Nyſſenus, ajebat: *ſic in alicujus
feræ*

S. Hier.
Ep. 18. ad
Marcel-
lum.

S. Ambroſ.
ſer. 10. in
Pſal. 118.

feræ naturam quisque convertitur, ut aliquo animi vitio, perturbationeque vincitur. Ex quo fit ut innumerabiles in nobis sint feræ. Quarum species complures ibi enumerat. Cui consonat expressius illas attingens Chrysofostomus: *Nec enim es homo si manifestè possum videre. Cum namque tanquam Asinus recalcitres, lascivias autem ut taurus; tanquam equus verò post mulieres binias, ventri tanquam ursus indulgeas, & ut mulus carnem impingues, & malum memoria teneas velut camelus: porro rapias quidem ut lupus, ac ut serpens irascaris, ferias ut scorpius, sis subdolanus ut vulpes: nequitia verò tanquam aspis & vipera venenum serves: ac sicut ille malignus Dæmon fratres impugnes, quomodo te cum hominibus connumerare valeam, talis in te naturæ signa cum non intuear? Sc. Quid enim te nuncupem? feram? sed uno horum vitio feræ tenentur: tu verò pariter omnia circumferens ad majorem quam illæ feritatem progredieris. Et denique post pauca ingemiscens addit: Animæ verò nostræ non tantum deformitatem non aspicimus, verum neque bestialem indutam speciem, & scyllam aut chymeram quandam, juxta Poëtarum fabulas effectam vel paululum animadvertimus! Pluscula sunt hæc, sed ad propositum roborandi assumpti thematis; ob quam causam non possum mihi temperare, quin adducam etiam similia penè verba Isidori Pelusiotæ: *Quæque fera uni tantum vitio servit: at qui hominis speciem habet, omnibus vitiis in unum congestis & cumulatis, ultra eorum temeritatem & amentiam progreditur. Ac ne me hyperbolicè loqui putes, res ipsas incorruptâ mente perpendamus. Cum enim quissiam ut taurus subsultat, ut Asinus calcitrat, ut salacissimus equus in fœminas binnit, ut ursus voracitati studet, ut mulus corpus saginat, ut camelus injuriarum**

S. Greg.
Nyssen. O-
rat. 1. de
hom. pro-
creat.

S. Chry-
sost. hom.
23. ad pop.

Isid. Pelu-
sio. lib. 2.
Ep. 135.

memoriam retinet, ut leo irascitur, ut lupus rapit, ut scorpium ferit, ut serpens subdolos est, improbitatis venenum ut vipera conservat, opes denique, vel ut rectius loquar, peccata cumulat, ut scarebeus scarabeos, quoniam pacto quispiam hunc belluino animo præditum inter homines recensere poterit, cum mitis ac placidæ naturæ lineamento in eo minimè perspiciat, verùm Scyllæ cuiusdam & Chymæ atque Hydræ (juxta externas fabulas) sætorem cernat. Hæc Isidorus desumpta fortè sed variata à Chrysofostomo: adeò facilè eadem veritas in plures veraces calamos eodem fluxu manat.

Epiet. ap.
Acrianum
lib. 1. c. 3.

Idem lib.
4. cap. 5.

Boët. lib.
4. de con-
sol. Phil.
prosa. 3.

X. Ab his non abludunt profani scriptores. Epictetus ita sentit: *Lupis similes efficimur dum sumus perfidi, & insidiosi, & adnocendum parati: leonibus qui feri, & immanes ac truculenti: maxima verò pars vulpeculæ sumus, aut si quid aliud in animalibus pro monstroso habetur &c.* Et alibi adhuc disertius: *Figure externæ circumscriptio satis non facit, ut rem esse aliquam pronuntiemus. Quamobrem ut homo dicatur quispiam satis non est, nasum & oculos habere: sed tum hominem esse censeo, si ita ut hominem decet senserit. Aliquis est, qui rationem non percipiat, nec castigatus obtemperat: talis nimirum pro Asino est habendus, pudorisque sensum deposuit omnem, inutilis est, & quidvis potius quam homo. Is nimirum quærit aliquem, quem calcibus aut dentibus impetat. Quocirca nec Asinus est nec ovis, sed fera quædam & immanis BESTIA.* Hæc Epictetus. Addo & Severini Boëtij sensum: *Cum ultra homines promoveri sola probitas possit, necesse est, ut, quos ab humana conditione dejecit, infra hominis meritum detrudat improbitas. Evenit igitur, ut quem transformatum vitiiis videas hominem existimare non possis.* *Avaritiæ ser-*
vit

*viv alienarum opum violentus ereptor ? similem lupo dixeris. Ferox atque inquietus linguam litigiis exercet? cani comparabis. Insidiator occultus surripuisse fraudibus gaudet ? vulpeculis exæquetur. Iræ intemperans fremit ? Leonis animum gestæe credatur. Parvidus ac fugax non metuenda formidat ? Cervis similis habeatur. Segnis ac stupidus torpet ? Asinum vivit. &c. Ita sit, ut, qui probitate deserta homo esse deserit, cum in divinam transire conditionem non possit, vertatur in **BEL-LUINAM**. Excresceret in immensum sermo, si alios quoque tam sacros quàm prophanos adducere vellem, qui peccatorem demereri nomen hominis, & **BESTIAM** potiùs quàm hominem nuncupandum certatim assèverant.*

XI. Illud unum nobis restat, ut quisque nostrum reflexa in animum cogitatione seipsum intueatur & agnoscat qualis **BESTIA** sit : num iracundus Leo, num dolosa vulpes, num invidus canis, num rapax lupo, num salax hircus, num defidiosus in servitio Dei Asinus, ut posita hodie feritate ad pristinum esse hominis enitatur, quo deinde sese ultra hominem promovere, & in divinam transire conditionem valeat. Qua in re meum consilium est, ut si nos adeò delectat esse **BESTIAS**, vel (dicam mitiore vocabulo) **JUMENTA**, simus & esse conemur **JUMENTA RATIONALIA** : cuiusmodi desiderat in processione hodierna S. Bernardus alludens ad illa Psaltis Regij : *Homines & jumenta salvos facies Domine, & rursùm : ut jumentum factus sum apud te, & ego semper tecum.* Tres quippe Ordines comparuisse in hodierna processione & triumphali ingressu in civitatem Hierusalem considerat, & totidem in futura processione ad cœlestem Hie-

S. Bern.
serm. r. de
Ramis.
Palm.

Psal. 35.

Psal. 72.

rusalem comparituros agnoscit. In primo ordine processionis hodiernæ fuit JUMENTUM Christo, qui ei infidebat vicinissimum, deinde ij qui vestimenta sternebant; demum ij, qui cædebant ramos de arboribus. JUMENTUM repræsentat fideles obsequio divino addictos per corporis sui macerationem, per jejunia & vigiliæ, per suimetipsum submissionem. Cæteri non tam propè accesserunt, utpotè qui superflua sua elargiendo sine gravamine Domino obsequiebantur: seculares quidem vestimenta per eleemosynas: Prælati ramos arborum per evangelizationem virtutum: unde alloquens Fratres ait mellifluus Doctor: *Silendum mihi est ut elationem carveatis, an magis loquar ut habeatis consolationem? Jumentum cui insidet Christus nonne vos estis juxta præceptum Apostoli? glorificantes & portantes Deum in corpore vestro. O non felices si talium JUMENTORUM onere & honore digni censeamur, si ejus mortificationem jugiter in corpore nostro portemus! futurum enim est, ut in altera illa, quam exspectamus processione, in qua demittent alas suas animalia sancta, deponent coronas suas ante thronum Agni viginti quatuor seniores, inter primos fortè reperiamur & proximos triumphanti Deo homini.*

S. Bern.
cit.

Ezech. 14

XII: Profectò in illa futura processione, ut insistam discursui melliflui Doctoris, comparebunt tres justi, quos prævidit Ezechiel: *Tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel, & Job; ipsi justitia sua liberabunt animas suas.* Noë qui cædebat ramos pro arce; Daniel qui jejuniis & corporis castigatione velut jumentum servivit Deo, & Job qui vestimenta sua & substantiam de velleribus ovium in pauperes expen-

expendit. Cui tamen in processione illa JESUS propinquior, cui de tribus ordinibus salus vicinior, facile credo potestis advertere, inquit Bernardus. Nos fatigamus in quocunque ordine interesse, dummodo non elongemur aut excludamur. Qui Daniel esse non potest, sit saltem Job aut Noë. Nemo tamen sit qui non acclamet ingressuro in gloriosam Jerusalem. *Benedictus qui venit in nomine Domini. Hosanna in excelsis.*



In Parasceve.

ALLOCUTIO ACADEMICA.

Tri-Tribunal.

*Sacerdotale, Prætorium, Regium, Reum læsæ
Majestatis.*

T H E M A.

Adstiterunt Reges terræ, & Principes
convenerunt in unum, adversus Do-
minum, & adversus Christum ejus.

Psal. 2.



Anguinarium barbaræ crudelitatis
Judicium, & *Reum læsæ Majestatis*
Tri-Tribunal, in quo SAPIENTIA op-
pugnatur ab ignorantia, VERITAS
à falsitate opprimitur, JUSTITIA
ab iniquitate damnatur, compendio

exhibiturus hodie, quos mihi potius deligam Auditores, quam Academicos? si enim hi satagunt scientiis profigare Ignorantiam; Veritatem à falso discernere, propugnare Justitiam: si noverunt absolvere Innocentiam, damnare crimina, rimari abscondita, speculari mysteria, explorare oracula; quidni etiam valeant aut velint immanem corruptissimorum Tribunalium Processum sapientis libellâ judicij ponderare! Ecce enim *Adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Adeste igitur Academici, & seponite tantisper ingeniosa vestra figmenta Poëtæ, hic nuda veritas falsis testimoniis involvitur; dimittite verborum flosculos Oratores; hic *Verbum* spinis & paliuris ornatur: cessate excogitare varias figuras & modos concludendi Philosophi; Una hodie conclusio est in *Barbara*, an potius in *Barabba*. Dimitte hunc *Crucifige eum*: Abstinate Medici à præscribentis syrupis & phlebotomiis; hodie unius syrupi ex aceto felle mixto & sectione cephalicæ, totius corporis curantur symptomata. Claudite vestros Codices Jurisperiti, in Judicio quo Legis author contra leges damnatur, leges veteres abrogantur. Arcana placita non excogitate Politici, jam *abscondita à constitutione mundi* revelantur meliora arcana. Abstinate à probationibus vestris Theologi. In hoc Judicio nec scriptura, nec ratio, nec autoritas locum habet. Adeste; una omnibus hæc hodie cura sit, ut Deo ad Tribunalia tracto jungamur Peripatetici, pro tribunalibus stemus Pythagoræi attoniti, & spectemus Consistorium ignorantie contra SAPIENTIAM: mendaciorum contra VERITATEM, iniquitatis

contra JUSTITIAM, hoc ipso damnatum quia damnans iniquè.

Principes convenerunt in unum adversus Dominum & adversus Christum ejus. Convenerunt ut testimoniis non convenientibus circumvenirent. Quinam illi? Scribæ, Sacerdotes, Pontifices, Legisperiti, Prætores, Reges, magna nomina, solo nomine populo metuenda. Nulla tunc censebatur toto orbe vel famâ celebrior, vel celebritate augustior, vel auctoritate gravior, vel gravitate prudentior, vel prudentia integrior, vel integritate religiosior, vel religione sanctior, quam Judaici populi synagoga; sed fuit synagoga sathanæ, seminarium fallitatis, sentina mendaciorum, conciliabulum invidiæ, Consistorium injustitiæ, laniena innocentiae, vorago veritatis, Tribunal iniquitatis Ter iniquum, Ter impium. Convenerunt, si externa respiceres, graves aspectu, superciliis torui, ætate venerandi: crederes tot sacrorum Antistites, quot Sacerdotes, sed erant crudeles Popæ: tot æquitatis Præfides, quot Legisperitos; sed erant immanes Victimarij: tot oraculorum Interpretes quot Scribas! sed erant simulati Curi, dealbati Pharisei: tot Justitiæ Propugnatores, quot Judices; sed erant immites Innocentiæ carnifices: quorum mens excecata invidiâ, depravata affectu, corrupta fastu, præoccupata odio, temeraria judicio, fallax linguâ, mendax testimoniis, inimica VERITATI.

Prima sessio in domo Annæ, præludium sacerdotalis judicij. *Pontifex ergo interrogavit JESUM de Discipulis suis, ac de doctrina ejus.* Joan. 18. Examinatur æterna sapientia ab extrema ignorantia, synceritas ab astutia, scientia à stultitia, Dei Filius à filijs ho-

minum, an potius belluis humana effigie personatis. Quid tibi vesana mundi calliditas cum supremi Magistri discipulis? An fortè versipelle ingenium barbara nocendi cupiditate, ne soli capiti noceat, inquit in membra, quasi anticipet Caligulæ vota, ut cum Magistro discipulos uno ictu interimat. Desipis profane Sacerdos. Si perdis Pastorem disperguntur oves, si tollis fundamentum, ruit structura; si claudis fontem, siccatur rivus; si aufers solem, stellas extinguis; si caput perimis, membra deficiunt. Una inquit ruina involvat omnes, & per quos possunt colligi oves, reparari structuræ; restagnare rivi, reaccendi stellæ, reviviscere membra, pari obruantur interitu. Fallor, an hoc est è placitis, Pseudopoliticorum axioma: Offendit Pater; ut satis luat, plectatur cum filio, & quæ fatiari non potest in uno, transeat in plures vindicta; avi culpa sit pœna nepotis. *O miram equitatem!* (exclamat Oratorum Princeps) *ferrétne ullæ civitas latorem istiusmodi legis, ut condemnaretur filius aut nepos, si pater aut avus deliquisset? quinam Tantalidarum interneconi modus paretur? aut quenam unquam ob mortem Myrtili pœnis luendis dabitur sacietas?* O ignorans scientia, quæ alteri fodit foveam, in quam ipsa ruat; parat laqueos, quibus ipsa irretitur; machinam fabricat, qua ipsa necetur. Nemi ni magis nocet injuria quàm facienti: nec unus tantum Marius suo ense occubuit, nec una vulpcula suis fraudibus est irretita. Redit semper in authorem scelus.

Interrogavit de discipulis. An fortè, ut auditis discipulorum nominibus rudium, imperitorum, literaturæ expertium, inde labem magistro aspergeret

Cic. lib. 3.
de nat.
Deor.

geret, unde illi plurimum oramenti accessit. Is solum Polycleti meretur nomen, qui ex quovis trunco format Mercurium, & Magistrorum omnium Magister censeretur, qui ex ignorantibus efficit Doctores gentium. Profecto Annas Princeps licet sit Sacerdotum, ignorantissimus est Inquisitor, qui nec scripturam intelligit, nec divinam penetrat Oeconomiam *Infirma mundi eligit Deus ut confundat fortia*. Tu hæc ignoras Magister in Israël? Adeone tibi excidit: Moyses è Pastore Legislator Israëlis? Jeremias ex alphabetario Legatus? Amos ex armentario Propheta? Daniel ex puero Consiliarius Regum? sed responsum à sapientia non meruit tam insipiens quæstio. Perge inquire.

1. Cor. 13

Et de doctrina ejus. Operæ ferres pretium si velles discipulus ejus fieri, & non callidâ astutiâ, sed discendæ aviditate hoc quæreret, scientiæ divinæ amans, puriora inde documenta haurires, quàm è porticu Zenonis Stóici, quàm è Lyceò Aristotelis Peripatetici, quàm è Platonis luco Academici: felix futurus, si vel senex elementarius in schola sapientiæ increatæ locum haberet. Sed ò doctum Sacerdotum Principem! nec unum VERBUM præfens intelligit. Excedit captum inflati flammis doctrina humilis Christi, & palam loquentis Dei-hominis sermo non penetrat cor occulta marcens invidiâ. Si vel ad Cleanthis lucernam confidisset Annas pòterat verum à falso discernere; nunc ad furiarum infernalium tædat, & fumantes Judæorum faces, nec Leges novit legere. Malè cohærent bacchantium militum funalia cum *Mundi luce*: ad illas tædas dictantur tantum blasphemix, ad
lucem

lucem Mundi benedictiones, quam dominante in sacerdotali domo *potestate tenebrarum*, necesse fuit obfufcari, sed non extinguï. Arctatur à tenebris calumniarum, quæ horridam pœnantium tempeftatem prænantiaf. Vix ingreffâ domum sacerdotalem Sapientia, ubi debebat reperire facrarium, invenit exilium, ad majores tenebras relegata. Cœcutiant ad has tenebras impij, nobis Academici. *Qui facit de tenebris lumen splendescere*, facem præfert, ad opprobria Pythagoræus, ad pravos affectus Stoicus, ad crucem Peripateticus. Doctrina ejus est, minimos esse maximos, ex ignominiiis decerpi honores, ex contemptu nafci gloriam, & quæ mundo est sapientia, hanc Deo esse summam stultitiam.

2. Cor. 4.

Raptatur Innocentia pro nobis Rea, inhumaniter juxta & immaniter à tumultuario tribunali ad plenius perfidiâ Confiftorium, ligatis manibus. Meditentur Poëtæ Themidem terris exulem, cœli inquilinam; nunc cœlo exul, peregrinatur in terris; sed conrempta intet parricidas. Pingant Justitiam ligatis oculis, nunc & ligatis manibus per compita ducitur, & ligatis oculis exhibilatur à scurris. Sed quibus vinculis ligari potuit invincibilis? quibus funibus stringi, qui folvit ligata? Ligari non potest verus Sampfon, nisi ipse velit, nec ullis vinciretur catenis, nisi amore vinciretur, ligatus amoris nexibus, ligatur & funibus: ligatur, ut me obliget fibi.

Secunda Sacerdotalis Confiftorij fessio in domo Caiphæ nihilo priore melior; in hoc peior, quod præjudicio abominando condemnata fit VERITAS. Nondum innocens Reus in potestatem venerat tenebrarum, nondum quæfiti accusatores;

jam

jam lata erat sententia : *Expedit unum hominem mori pro populo.* O justissimam sententiam ante secula in arcano Deitatis consilio decretam ! O felix humano generi. *Expedit !* O injustissimam sententiam prolatam ab homine contra Deum ! O infelix malefanis Judicibus. *Expedit !* Fulminata enim est à Judice Sacerdote per invidiam obcæcato, per cupiditatem proprii commodi ad malum intento, per metum vanissimum furiali quodam cæstro correpto, adversus *Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech,* boni authorem, solum metuendum. Videte obsecro perversam judicij formam. Decretum erat *cru- dele Moriatur* ante Judicium ; decretum prius coram populo quàm judicibus ; decretum priusquàm veritas indagaretur, & quæ postrema solet esse in judicij sententia, ordine præpostero omne antecessit judicium. Jactantur convitia, finguntur calumniæ, excogitantur testimonia multorum convenientium, sed non convenientia. Si patuissent multorum conscientia legisses in arcanis cogitationibus : *Benè omnia fecit.* Unus est quem petunt, & multi non tam Judices, quàm testes conveniunt : *Principes convenerunt in unum.* Tam ardua res est innocentiam opprimere ! *Convenerunt in unum.* Nunquam magna scelera incedunt solitaria ; multis opus est auxiliariis ut exerceatur violentia, multis falsitatibus, ut condemnetur Justitia, multis velamentis, ut abscondatur VERITAS. Coram perverso Judice omnia perverti necesse est : Rei personam sustinet Judex, personam Judicis assumit Reus. Judici inclamant tribunalia. *Patienter audi, Benignè responde, Justè judica.* Quem ergo hic Reum vides, justè judicaturum ne dubita, cum adeò pa-

Joan. 18.

Marc. 7.

Sap. 10.

Isai. 53.

tienter audiat, benignè respondeat. Fabulæ videri possunt quæ jactat gloriosa antiquitas de Catonis, Periclis, Euclidis, Socratis, Phocionis, Epaminondæ, aliorum æquanimitate, si conferantur cum VERITATE. Inter inconditas calumniantium voces una putati Rei patrociniū suscipit Patientia, & dum expectantur retorta misilia, sufficiens est figmentis omnibus Apologia silentium. Acuerunt impij linguas suas tanquàm serpentes, sed prudens incantator sibilis taciturnitatem opponit; & qui in aliena linguas infantium facit esse disertas, in sua causa ne VERBUM quidem in loquelam solvit. Pro Magdalena in domo Simonis, pro adultera in templo, pro discipulis inter murmuratores facundus est; pro se velut *mutus non aperiens os suum*. Audito tamen Dei nomine, quod commune habebat cum Patre, ne degener esset filius, respondit pauca: suffectura omninò, si quibus loquebatur, fuissent sapientes. Veritatem profari jubent, qui falsa conquirunt testimonia, & dum VERITATEM audiunt, execrantur. Disrumpit vestimenta Pontifex, testatus facto cauteriatam conscientiam, quam verbis palliabat; & dum zelosus videri vult, palàm ostendit, quod *rumpatur invidia*. Sed & reum se fatetur, dum agit Judicem. Stare in Judicio reorum est. *Tunc surgens*. Et ut sceleri addat scelus, cum qui VERITATEM locutus est, & ipsa fuit VERITAS, blasphemum pronuntiat, inaudito blasphemix genere seipsum contaminans. *Reus est mortis*, acclamat insana turba. Reus omninò: Reus est Princeps sacerdotum, non *Sacerdos in æternum*. Rei personati Judices, non *Judex vivorum & mortuorum*; Rei Scribæ & Legisperiti, Reum Tribunal

bunal fynagogæ, *Reum læsæ Majestatis*, dum rea pronuntiatur VERITAS falsitate oppressa. Supremus Monarcha à nemine judicatur. Qui sibi in eum potestatem arrogat Judicis, semet Reum constituit læsæ Majestatis.

Stupetis Academici tam perversam Judicij formam? exardescitis piâ indignatione in blasphemum Pontificem, in impios assessores, in falsos testes, in persecutores VERITATIS, *qui consilium inierunt, ut JESUM dolo tenerent & occiderent?* sed consulite arcanum conscientiæ vestræ Tribunal, quoties in eo damnatur innocentia, exhibilatur sapientia; opprimitur VERITAS, rea mortis pronuntiatur vita. Minus egerunt Judæi, qui, *si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* At nos dum Christi volumus audire discipuli, illum damnamus, exhibilamus, opprimimus, reum mortis pronuntiamus in fratribus. Quoties quem Christi loco par esset suspicere, dum nos amat, habetur odio: dum benefacit, malè tractatur; dum sanat, vulneratur; dum veritatem loquitur, falsitatis arguitur; dum vitam optat, morti devovetur: neque tamen agnoscimus nos reos læsæ Majestatis divinæ. Quid quod eo sæpenumerò noster procedat furor, ut blasphemam linguam in ipsum Deum, longè horribilius quàm ullus Caiphas acuamus; & quantum in nobis est Majestatem adorandam, contemnimus; Justitiam deprecandam injurijs lacessimus; misericordiam implorandam vilipendimus; sapientiam laudandam irridemus, innocentiam amandam odio habemus, bonitatem amplectendam compensamus malitia. O nos quoque reos læsæ Majestatis!

Sed agite comitemur Innocentem Reum, divinam JUSTITIAM ad Tribunal humanæ JUSTITIE. Postquam in unius noctis compendium contracta est ignominiarum æternitas, quibus æterna gloria est dehonesta, ipsis sacerdotum suffragijs causa sacra transfertur ad profanum judicium, ut quæ hæcenus integra fuerat Libertas Ecclesiastica, ipsa quoque violaretur. Quorum intererat, ut ejus immunitatem defenderent, primi offendunt, & qui propulsare debebant à suo Jure injuriam, ijs vel volentibus fit injuria. Captiva igitur Libertas ducitur, ut quæ ab Ignorantia oppugnabatur SAPIENTIA, à falsis testimoniis opprimebatur VERITAS, nunc JUSTITIA damnaretur ab injustitia. Omnibus tribunalibus sisti voluit, coram quo omnia judicabuntur tribunalia, & omnium calculis damnari ut Reus, qui venerat, ut à reatu absolveret omnes. Jam verè *Principes convenerunt in unum*, Judæi & Gentiles, judicaturi eum, cujus pietate in unum cogendi erant ovile. Hic sanè *nulla est distinctio Judæi & Græci*, domestici & Advenæ, propinqui & extranei. Omnibus vitam afferens, ab omnibus damnatur ad mortem. Adorant sessionem tertiam *adversus Dominum & adversus Christum ejus*, Pilatus homo gentilis, paulò mitior Judæis & Sacerdotibus, nisi quod cognitâ veritate quæsierit *quid sit VERITAS*, quasi nesciret, & non expectato responso ad Judæos se verterit, quasi negligeret. Melior hic prima fronte judicij forma, sed mox injustior sententia. Auditæ partes, ponderatæ allegationes, examinatæ quærelæ, expensa testimonia, discussa accuratè causa, quæ *nulla erat* professo Judice: *Nullam invenio in eo causam*. Et tamen in tanto apparatu Justitiæ, omnis actio est contra

JU.

JUSTITIAM. Hæc dum ad Regiam Herodis remittitur ceu peregrina, experimento didicit, se tam parùm esse in Aulis domesticam, quam Tribunalibus. Illic enim iteratæ invidorum calumniæ facilè extorserunt revisionem rei Judicatæ. Et quia vulpinatum est apud vulpem, objecta non meruerunt responsum. Securè lingua tacuit, ubi loquebatur vitæ Innocentia. Majus aliquid humano arguebat ipsa Rei modestia, sed cum esset ab aulæ moribus aliena, cum illusione dimittitur. Potuit Pilatus vel ex veste arguere *Innocentiam* reducem, nisi plus auribus crederet quàm oculis. Anteposuit conscientiæ amicitiam mundi, quæ inimica est Deo, & *factus ex illa hora Herodis amicus*, ne defineret etiam esse *amicus Cæsaris*, pervertit ordinem Justitiæ. Causa iterum recognita, & novis clamoribus impletæ aures Præsidis, vocale innocentis Rei silentium excluderunt. Sciebat timidior Præsides quàm æquior, *quod per invidiam tradidissent eum*, neque tamen ex legibus, sed ex suis commodis judicavit. Mansuetum correctorem simulans, crudelem induit carnificem, cum nullius reum culpæ pietatis prætextu traditoribus tradidit flagellandum: Sciebat Barrabbam esse latronem *insignem*, homicidam publicum, furem patriæ, sceleratorum antesignanum, hunc tamen composuit, imò anteposuit, nomine & manumissione auctori salutis, datori vitæ, conservatori humani generis. Sciebat *Justum* esse, & tamen manus lavit in sanguine, tametsi aquam adhibens, videri vellet *innocens à sanguine justis*. O Præsidem in Judicio destitutum judicio! Innocentem se nominat, cum maxime nocet damnando Innocentem & capitale cri-

Matth. 27.

men honestissimæ virtutis nomine obvelat. Nempe ut lucus lucet, ut Parca parcat. Qui sic lavat, Æthiopem lavat. Totus hoc scelus non eluat Oceanus. Si serio innocens esse vellet, toti corpori vel una gutta è fonte salutis sufficeret. Sed qui gratiam Cæsaris præponit divinæ gratiæ, quid mirum si desipiat, & simulando Justitiam, conculcet JUSTITIAM. Audito Cæsaris nomine. JUS, FAS, ÆQUUM pervertit, & fit inimicus Dei ne fiat hominis. Ergo intonat, somnians an vigilans (certè uxor benè somniat, ut ipse evigilet) calcata æquitate: *Accipite eum vos & crucifigite.* O barbaram vocem! ô portentum Judicialis sententiæ! ô injustam Justitiam, qua damnatur JUSTITIA! Reum iterum Tribunal Prætorium, Reum Tribunal Regium læsæ Majestatis. Fertur in eum sententia, à quo omnibus est expectanda sententia. *Videbitis Filium hominis venientem in nubibus cæli.* Tunc audient injusta tribunalia justam sententiam. Et quæ nunc sententias ponderant libella amicitiae, privati affectus, cognationis, favoris, donationis, utilitatis, videbunt appendi suam sententiam in libra Æquitatis, quæ nec falli potest nec fallere.

Quid nos adhæc Academici? Iniquissimum Tri-Tribunal Reum læsæ Majestatis mœsti ponderemus, & cum nostris componamus conscientijs, quæ & ipsæ multoties oppugnant *sapientiam*, opprimunt *veritatem*, condemnant *Justitiam*. Rei sumus, atque utinam minus Rei, quam illud Tri-Tribunal, quod Dei Filium addixit morti. Ipse nos cum non essemus, creavit, cum essemus, conservavit, cum conservati periissemus, quæsivit, quæsitos redemit, redemptos, cum iterum centies defecissemus, rece-
pit

pit in gratiam : neque tamen adhuc cessamus oppugnare *sapientiam*, opprimere *veritatem*, damnare *Justitiam*. Illius sapientia est, scire nesciri, & pro nihilo reputari, contemptum amplecti, ambitionem detestari, placere Deo, displicere mundo. Nos verò hanc sapientiam explodimus; tunc primum rati nos sapere, cum per alienas ruinas eluctamur ad honorum subsellia, cum per hominum ora volitamus, monstramur digitis, adoramur, cum augmentamus perituras divitias, inescamur caducis voluptatibus, æstimamus terrena, calcamus divina. Illius *veritas* est, neminem traducere, falsum horrere, mendacium detestari, non esse bilinguem, simulationem ponere, dissimulationem vitare: nos verò hanc *veritatem* ridemus, & negamus satis Aulicum, qui nesciat amara verba incrustare dulcedine, simulare, dissimulare, vulpinari, pejerare, blasphemare, Sacramentorum myriades multiplicare. Illius *Justitia* est reddere cuique suum, commune bonum privato anteponere, nocere nemini, prodesse omnibus, odisse nullum, amare cunctos. At nos hanc *Justitiam* damnamus cum aliena diripimus, injurias septuplum ulciscimur, & imbelles, aut pusillanimes illos pronuntiamus, qui nesciunt dentes pro dente excutere alapam alapis, imò gladijs rependere, verbum verberibus, vulnus vulneribus, offensam homicidijs vindicare. Gravius est Deo hoc tribunal nostrum, quam illud, quo semel Dei Filius ut SAPIENTIA oppugnatus, ut VERITAS oppressus, ut JUSTITIA ad mortem damnatus est. Et nos videbimus *Filium hominis venientem in nubibus cæli. Qui Justitias nostras judicabit*. Judicemus nosipsos, ne tunc judicemur *Rei læsæ Majestatis*. Dixi. DIS-



DISCURSUS XXII.

Dominica Resurrectionis.

Compendium Seculorum.

THEMA.

Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus, & lætemur in ea. *Psal. 117.*

SYNOPSIS.

- | | |
|--|---|
| <p><i>I. Dies Resurrectionis Dominice, in qua letari, & exultare convenit, est dierum Rex, annus jubileus &c. Imò seculorum omnium compendium.</i></p> | <p><i>V. Magna dies, qua Sampson portas urbis portavit ad montem, sed celebrior ista, qua portas areas inferni confregit Dominus.</i></p> |
| <p><i>II. Fecit quidem Deus omnes reliquos, sed hanc diem specialiter fecisse dicitur, quia est quedam recapitulatio omnium dierum memorabilium, & Dies facta novo modo. Dies nova creationis.</i></p> | <p><i>VI. Dies occisi Goliath umbra fuit diei hodierna. Dies Jona post triduum à ceto ejecti, Danielis è lacu leonum incolumis extracti, & omnes alij memorabiles dies à mundo condito, in hodierna die recapitulantur.</i></p> |
| <p><i>III. Magna fuit dies, qua populus Israël eductus est per mare rubrum, submerso Pharaone; sed hæc memorabilior, qua submersus est Pharaon infernalis.</i></p> | <p><i>VII. Imò & ipsa dies, qua Dei filius ex utero virginis natus est in hodierna includitur, qua ex sepulchro veluti natus est immortalis, & hæc gloriosior censenda, quam illa.</i></p> |
| <p><i>IV. Magna dies, qua Josephus putatus mortuus, nunciatus est vivere: at hodie melior Josephus resurrexit.</i></p> | <p><i>VIII. Merito igitur nos animat Ecclesia ut exultemus & lætemur, cum etiam letetur S.</i></p> |

Trinitas, Virgo Mater, Angeli, cæli, Beati, iusti, & peccatores.

IX. Auget exultationis materiam, quod hæc dies non tantum precedentium sed & subsequentium seculorum compendium exhibeat. Nam exhibet complementum gloriæ.

X. Et si æternitas est interminabilis vitæ simul tota & perfecta possessio, utique hodie in-

choata simul & completa est gloria, adeoque Compendium æternitatis futuræ.

XI. Exultemus igitur letitia spirituali, non sicut qui exultant in rebus pessimis. Surreximus cum Christo, sapiamus quæ sursum sunt, ubi est Dies una in atriis Domini super millia Dies Compendium seculorum.

Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Psal. 117.

L.



Siquam aliàs, hodie profecto verissimum est illud vulgò jactari solitum: *Post nubila Phœbus.* Neque enim à condito mundo tristiora terris incubuerunt nubila, quàm sole Justitiæ per acerbissima tormenta obscuro, nec lætior unquam effulsit dies, quam hodierna, qua idem sol Justitiæ velut è profundo pœnarum pelago emergens dissipatis universi tenebris **DIEM** sibi gloriosam, nobis salutarem reduxit. *Hæc dies quam fecit Dominus*, in qua omnia posito mœrore excitantur ad gaudium, & quæ fuerunt mortalitatis indicia, transeunt in argumenta immortalitatis. Hodie mutatur probrosa Crux in gloriosum trophæum, mobilis Canna in stabile scëptrum, flexiles virgæ in solidos regni fasces, corona spinea in Diadema roseum, vulnera in margaritas,

temporaria obscuritas in perpetuum splendorem, acerbi dolores in cœlestes delicias, funestum bellum in jucundam pacem, tristes gemitus in lætos jubilos, lamenta in applausum, ignominia in gloriam, contumelia in panegyres, passio in Resurrectionem, mors in vitam. *Verè DIES quam fecit Dominus*, & specialibus privilegiis decoravit. *Hæc DIES omnium dierum mater*, ut loquitur Augustinus. *Hæc DIES, Bonorum dierum mater, vite immortalis exordium, totius gloriæ nostræ principium*, ut ait S. Tho. de Villano: *Hæc DIES. Dierum Rex*, ut inquit S. Gregorius Nazianzenus. *Hæc DIES est Dies salutis & gratiæ* effato B. Alberti Magni. *Hæc DIES est annus Jubileus* ex mente Incogniti. *Hæc DIES est futuri seculi exemplar*, sic eam appellat Theophylactus. *Hæc DIES est inchoatio æternitatis* suffragio Doctoris Angelici. Quæ cum aliquanto accuratius expendo, audeo confidenter hanc DIEM appellare *Compendium Seculorum*. Id ne vanè à me dictum putetis, probationem aggredior. Vos interim AA. *Letamini in Domino & exultate*. Corda tripudient, affectus congaudeant, vultus hilarescant, auscultent aures, linguæ fileant: & incipio.

II. *Hæc dies quam fecit Dominus*. Absorptus in contemplatione hodiernæ felicissimæ diei Psaltes Reginus, quasi oblitus, quod omnes DIES à prima mundi creatione Dominum conditorem agnoscant, de hac sola festiva voce pronuntiat: *Hæc DIES quam fecit Dominus*. Ubi ergo illa Davidis cogitatio alloquentis Deum: *Ordinatione tua perseverat dies*. Ubi illa: *Tuus est dies & tua est nox: tu fabricatus es auroram & solem*. Nunquid Propheta noverat à Deo mundum conditum, & divisam lucem à tenebris, quan-

S. Aug.
serm. de
Resurrect.
S. Tho.
Villano.
serm. 1.
de Resur-
rect.
S. Greg.
Naz. ap.
Novar. in
sched.
B. Alb.
M. in
Psal. 117.
Incogn. in
Psal.
Theophyl.
in Cate.
D. Thomas
in Cate.

Psal. 118.

Psal. 73.

quan-

quando *Appellavit lucem DIEM, & tenebras noctem?* quomodo igitur sola *Hæc DIES quam fecit Dominus*, quâ debellator inferni Dei Filius gloriosa anastasi *Resurrexit ab inferis?* Nempe hæc DIES dierum omnium quædam recapitulatio fuit, & quidquid unquam vel gratiosè misericors, vel justè vindex, vel gloriosè omnipotens Seculorum antecedentium *Diebus* egerat, totum hoc in hodiernam *Diem* admiranda quadam synopsi & compendio contraxit. Magna haud dubiè & memorabilis DIES illa, quâ ex nihilo creatus visibilis mundus è chaos & tenebris abyssi eluctatus in lucem: *Dixitque Deus: Fiat, lux & facta est lux, factumque est vespere & mane dies unus.* Sed major & illustrior DIES hodierna, quæ non tam insensibilis solis illustrata splendoribus, quam eius *qui lucem habitat inaccessibilem*, accelerato lumine inclaruit, quando sol *verus lucem suæ resurrectionis gloriosæ radiis corporalibus immiscet.* Ut bellè ratiocinatur S. Fulgentius. & magis ab increato sole justitiæ, quam creato lumine DIES irradiatur. Unde apolitè ad hanc cogitationem Cardinalis Bellarminus: *Dicitur autem DIES Resurrectionis, DIES quam fecit Dominus, quia Christus resurgens ut sol justitiæ novo modo fecit eum DIEM.* Novo inquit modo, quia cum primum diem conderet solo verbo dixit *& facta est lux.* Jam verò *fecit*, passus est, mortuus est, Resurrexit, & facta est DIES novæ cujusdam creationis, quæ novum Adamum, novum hominem, novum Authorem humani generis produxit in lucem: sic fidejubet D. Thomas de Villanova: *Novus hodie Adam formatus apparuit, non in animam viventem, sed in spiritum vivificantem, futuri seculi destinatus Pater, & origo; à quo nova que-*

S. Fulgent
ap Alb.
Mag sup.
cit.

Bellarmin.
in Pjal.
117.

Thom Villan.
ser. 1.
de Resurre.

dam oriunda progenies. Hæc igitur DIES Resurrectionis Dominicæ est etiam DIES creationis humanæ, longè excellentioris primævâ. Quo sensu etiam agebat S. Greg. Nyffe. *Hoc est univèrsale festum creationis, quod in præstituto annui circuli ambitu singulis annis in univèrso mundo propter ejus qui ceciderat resurrectionem peragitur. Casus autem est peccatum, resurrectio verò ex peccati casu erectio.* Cecidit primus Adam vix creatus, quem secundus Adam resurrectione sua iterum erexit, & quodammodo primæ Creationis Diem, in hac recreatione renovavit. Eò respexit & Sedulicus canens:

S. Greg.
Nyff. Epist.
Can. ad
Latoi. E-
pisc.

Sedul. lib.
4. Carm.

*Cœperat interea post tristia sabbatha felix
Irradiare DIES, culmen qui Numinis alti
A Domino Dominante trahit, primusque videre
Promeruit nasci mundum, atque resurgere Christum.*

III Magna & memorabilis fuit illa DIES, qua populo Israël sicco vestigio per mare rubrum deducto, persequens eum Pharao Ægyptius cum curribus & equis totoque exercitu suo submersus est, cantante Moyse & populo: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est; equum & ascensorem dejecit in mare.* quæ meritò hodiernæ DIEI adaptant DD. Basilius Seleuciensis, Cæsarius Nazianzenus, Petrus Damiani, Rupertus Abbas, & alij, qua scilicet melior Moyse electi populi ductor, devicto infernali Pharaone, *exspolians Principatus & potestates* per sacratissimi sui sanguinis rubrum mare traduxit è servitute vinctos, deducendos ad terram promissionis. Unde & Ecclesia his diebus utitur illo Cantico: *Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est; Cui & illud correspondet: Hæc DIES*

Exod. 15.

D. Basil.
Seleuc. O-
rat. 9. Cæ-
sar.
Naz. Di-
al. 4.
Pet. Dam.
Collat. in
vet. Test. c.
II.
Rup. Abb.
in Exod.

DIES

DIES quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Qua Princeps hujus mundi longa Tyrannide opprimens humanum genus ejectus est foras, qua potestas omnis infernalis demersa est: mors, Dæmon, peccatum absorpti sunt, & nos liberati sumus à servitute ac Tyrannide sathanæ; qua ut loquitur S. Bonaventura. *Surrexit potenter ac triumphaliter, scilicet ex sua virtute, morte occisâ, devicto mortis Principe, liberatâ captivâ plebe, referatâ januâ vitæ.*

S. Bonav.
in c. 29.
Joan.

IV. Magna & memorabilis fuit illa dies qua innocens Joseph modo in puteum, modo in carcerem conjectus, cum putaretur mortuus, supra ipsum carcerem & alios vinctos potestatem accepit; sed illustrior hodierna dies, qua ut loquitur Eusebius Emisſenus: *Joseph noster non solum illo inferni carcere, quo conclusus fuerat non tenetur; sed etiam alijs per eum mortis claustrum laxatur.* Insultare jam licet morti cum Doctore gentium: *Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est. &c. Deo autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Jesum Christum.* O læta & fortunata dies qua cum Joseph noster mortuus crederetur, nunciatum est senescenti mundo: *Joseph filius tuus vivit, & ipse dominatur in omni terra.* Hæc DIES quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea.

Euseb. E-
miss. hom.
7. de Pasch.

1. Cor. 15.

Gen. 45.

V. Magna & memorabilis fuit illa dies, qua Sampson Philistæorum terror, cum in urbe occlusus servaretur, media nocte *consurgens apprehendit ambas portæ fores cum postibus suis & sera, impositasque humeris portavit ad verticem montis.* Sed illustrior hodierna DIES, qua verus Sampson, non tantum sustulit, sed *Contrivit portas aereas, & vestes*

Judic. 16.

Psal. 106.

ferreos confregit; ut nulli amplius usui fervire possint, & nulla illos claudere valeant repagula, qui in Domino moriuntur. Eleganter ad hunc locum Chrysofostomus: *Hodie portas aereas confregit Dominus, hodie vestes ferreos contrivit. Non dixit aperuit portas aereas, sed confregit, ut inutilis deinde carcer fiat. Non abstulit vestes; sed contrivit, ut custodia deinceps fragilis & infirma reddatur; ubi neque janua neque vestis: & licet quis intret, non tenetur.* Postquam enim primogenitus mortuorum & *primitiæ dormientium* surrexit non moriturus! exclusit à sepulchro mortem, ut quisquis in illo fuerit collocatus, securus sit inde se vitam assecuturum, ubi antea mors dominabatur. *Resurrexit Christus, ut resurrecturum se non dubitet Christianus; quod enim præcessit in capite, sequetur in corpore,* inquit S. Augustinus. Hunc eundem typum fortissimi Sampsonis versans Hilarius Arelatensis, componit eum Christo resurgenti, non ut effringentem portas, sed ut comminuentem columnas, quibus fixatis domus helluantium Philistæorum corruit: ubi ait: *Hic est ille, qui pro mundi salute congressus, sicut de fortissimo illo Sampson legimus, plures inimicorum mortuus interficit, quam vivus occiderat. Hæc DIES quam fecit Dominus.*

S. Chry-
sost. ap.
Bařz. To. 1.

1. Cor. 15.

S. Aug.
serm. 162.
de temp.

Hilari. A-
relat. hom.
6.

1. Reg. 18.

VI. Magna & memorabilis fuit illa DIES qua juvenis David prostrato incircumciso Goliath Israël terrore, victor processit cantantibus Choris: *Percussit Saul mille, & David decem millia,* sed hæc umbra tantum fuit hodiernæ DIEI, qua verior David triumphavit infernalem Gigantem, cui ob eam victoriam acclamat Ecclesia: *Hæc DIES quam fecit Dominus, exultemus & letemur in ea.* Magna fuit & illa DIES, qua devoratum Jonam post triduum

inco-

incolumem reddidit cetus: & hæc quoque hodiernam DIEM præsignabat ipsa veritate de se testimonium perhibente: sicut fuit Jonas in ventre Ceti, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Memorabilis quoque DIES, qua Daniel intactus prodijt è lacu leonum: Ecce Danielem erutum de lacu leonum, & adoratum à Chaldeis, inquit Salmeron Christum designans resurgentem, qui & addit: En virgam Aaronis, quæ sicca restoruit: en columbam redeuntem sub vesperam ad arcam cum ramo olive in ore: en templum solutum post triduum reedificatum: en granum frumenti, quod in terram cadens, mortuum fuerat, vivum resurgens, & multum fructum ferens, Atque ita penè omnes memorabiles & illustres DIES à mundo condito hodierna DIE quasi recapitulantur.

VII. Quid dicam verò de felicissima illa DIE, qua idem unigenitus Dei Filius assumptâ nostræ mortalitatis naturâ ex intemeratæ virginis utero tanquam sponsus procedens de thalamo suo in lucem prodijt. An istam fortassè ab hodierna DIE exclusam credemus? Reclamabit Apostolus, qui hodie quoque Dei Filium genitum asseverat: Resuscitans JESUM, sicut in Psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu: ego hodie genui te: ad quem locum videtur respexisse D. Thomas de Villanova, ubi ait: De Virginis namque utero mortalis exortus est Dominus; de terræ gremio hodie nascitur immortalis. Imò S. Augustinus hodiernum DIEM præfert DIEI Nativitatis, quasi plus esset immortalem à sepulchro exurgere, quam mortalem ex utero Virginis in mundum nasci. Gloriosio est ista, quam illa Nativitas. Illa enim corpus mortale genuit, hæc edidit immor-

Matth. 10

Salmer.
To. 11.
Traa. 1.

AA. 13.

S. Tho.
Villan.
ser. 1. de
Resurr.S. Aug.
serm. 133.
de temp.

mor-

mortale. Post illam Nativitatem ad Inferos descenditur, post hanc remeatur ad cœlos. O verè admirandam DIEM conflam ex multis ! DIEM dierum antesignanam ! DIEM dierum synopsis ! O Dominicam Resurrectionem (ut loquitur S. Ignatius M.) Regalem, eminentissimam omnium dierum ! in qua completum est quidquid antiquis Patribus promissum, quidquid in Prophetiis prædictum, quidquid in figuris adumbratum fuit, ut una hæc DIES omnia Dei magnalia complecteretur. Hæc est (suffragio S. Laurentij Justiniani) DIES præclara & celebris, excelsior cunctis sanctior universis, in qua mundi conditor ab inferis resurgens in corpore victor gloriosissimus remeavit ad superos.

S. Ignat.
Ep. ad
Magn.

S. Laur.
Justi serm.
de Resurr.

VIII. Obséquamur igitur monenti Ecclesiæ: *Exultemus & lætemur in ea.* Nunquam tanta exultationis & lætitiæ motiva habuimus. *Hæc DIES quam fecit Dominus : cui supra alios dies Dominus benedixit,* ut ait S. Greg. Nyssenus: *quam peculiariter Deus sibi consecravit,* ut ait Card. Bellarminus. *Exultemus & lætemur in ea,* in qua lætatur ipse æternus Pater, quia videt per Passionem Filij suæ rigorosæ Justitiæ satisfactum: Lætatur ipse Filius quod factus obediens usque ad mortem exaltatur in gloriam: Lætatur Spiritus Sanctus, quod descensurus supra fideles renovabit faciem terræ: Lætatur Virgo Mater, quia quem inconsolabili mœrore planxerat dolorosum, recepit Filium gloriosum: Lætantur Angeli, quia ruinæ illorum restaurabuntur: Lætantur cœli, quia recipient animas Beatorum: Lætantur Patres antiqui, quia liberati à tenebris & umbra mortis: Lætantur justis & peccatores, quia redempti Passione Salvatoris, spem

S. Greg.
Nyss. O.
yat. 1. in
Pasch.

concipiunt gloriosæ cum Christo Resurrectionis, quæ sit *complementum* omnis optatæ felicitatis.

IX. Et cum hodierna DIES tantum pollicetur de futuro, quantum de præterito comprehendit, quis ibit inficias, Hanc *DIEM* quam fecit Dominus, esse non tam *Compendium Seculorum* antecedentium, quam futurorum. Fallor ni hæc sit mens Apostoli asserentis : *Habemus Redemptionem per sanguinem eius &c. secundum beneplacitum eius in dispensatione PLENITUDINIS TEMPORUM instaurare omnia in Christo, quæ in cælis & quæ in terra sunt.* In Cælis Angeli vix creati ceciderunt ; in terra homo vix conditus peccato se contaminavit. Hodie instaurantur ruinæ in cælis in dispensatione PLENITUDINIS TEMPORUM, quæ complevit passione sua Dei Filius : instaurantur ruinæ in terris, cum redit in gratiam homo prævaricator. S. Chrysostomus in allegato Pauli textu pro voce *instaurare* legit *recapitulare*, quod sonat summarie comprehendere omnia quæ in cælis & quæ in terra sunt. In cælis verò sunt præterita, præsentia, & futura. Quod recapitulaverit & Compendio contraxerit præterita in cælis & terra, satis ostensum est : restat ostendere quomodo recapitulaverit etiam futura Dei Filius *Hac DIE* quam fecit Dominus. Laconicè & neruose mihi dictum videtur à S. Bonaventura de Filio Dei : *In nascendo contulit consortium naturæ, in patiendò beneficium gratiæ, sed in Resurrectione Complementum Gloriæ* Miror quomodo *Complementum Gloriæ* cuius vel initium anxij anhelamus. Suppetias ferat D. Thomas. *Hac DIE* inchoatur *DIES æternitatis, quæ est UNA, non habens interpolationem noctis quia sol qui eam facit, non occidit.*

Ephes. 1.

*S. Chry-
sost. ap.
Paula v.*

*S. Bonav.
ser. 1. de
Resurr.*

*D. Tho.
in Cale.*

Revocate vobis in memoriam AA. illam sententiam Regij Psaltis: *Quoniam mille anni ante oculos tuos sicut dies hesternæ quæ præterit.* Ergo in unam DIEM coarctat Deus mille annos, una DIE complet gloriam sed duraturam per æternitatem. *Et hæc DIES quam fecit Dominus,* illa est, quæ merito appellatur *Complementum gloriæ,* quam post Resurrectionem inchoamus perennaturam.

Boët. lib.
5. de Con-
sol.

X. Favete mihi Domini Theologi, ut ex vobis audeam quærere quid sit æternitas? Puto quod respondebitis cum Boëtio: *Est interminabilis vitæ simul tota & perfecta possessio.* Si simul tota nec prius habet nec posterius, non habet interpolationem: quæ cum sit gloriæ proprietatis, nihil mirum quod hodie contulerit nobis servator *Complementum gloriæ,* & consecutaneè quod *Hæc DIES quam fecit Dominus,* sit non solum antecedentium seculorum sed totius secularæ æternitatis COMPENDIUM. O DIEM omni cumulatam felicitate! DIEM dierum omnium optatissimam! DIEM, ex omnibus diebus UNAM, quam prædixerunt vatum oracula, suspirarunt Patrum desideria, consequuntur in *plenitudine temporum* animæ Christianæ! DIEM in qua deletum mortis chirographum, expunctum maledictum, sublatum peccatum, homo Deo conciliatus, Paradisus apertus, scripti sumus hæredes cœli.

S. Chry-
sost. in
Ps. 117.
S. Bern.
serm. 1. de
Pasch.

XI. Itaque *exultemus & lætemur in ea.* Lætitia videlicet spiritali, lætitia mentis, ut interpretatur Chrysostomus, non sicut illi, qui *exultant in rebus pessimis,* qui post exactum jejunium redeunt ad pristinas voluptates, de quibus S. Bernardus: *Amatores seculi, inimici Crucis Christi, cuius in vanum accepto nomine dicuntur Christiani, toto hoc tempore Qua-*
dra-

dyagesimali ad instantes inbiant dies Resurrectionis, heu ut liberius indulgeant voluptati ! Non est hoc exultare & lætari in Die quam fecit Dominus. Exultare est in altum subfilire, est cum Christo resurgere, unde monet Apostolus : Si consurrexistis cum Christo, que sursum sunt querite &c. que sursum sunt sapite, non que super terram. Illuc oculos & mentem sublevemus, ubi nobis paratum est beneficiorum divinorum Complementum gloriæ, ubi nobis ostenditur DIES UNA in atriis Domini super millia, dies dierum omnium, Compendium Seculorum, qua sol irradiat, qui nescit occasum.

DISCURSUS XXIII.

Dominica in Albis.

Pax Bellatrix.

THEMA.

Venit Jesus, & stetit in medio, & dixit eis : Pax vobis. *Joan. 20.*

SYNOPSIS.

- I. Hierosolymæ status similis statui Athenarum sub triginta Tyrannis, quo optimus quisque periclitabatur; tunc tamen Socrates in medio erat sicut Christus in medio discipulorum consolans mæstos, &*
- PACEM* annuntians ituris ad bella, secus quam mundus. Nam Christus dat pacem in bello, mundus bellum in Pace.
- II. Quid per salutationem Pax vobis innere voluerit Christus, varius est Patrum sensus.*

- III. Optimus videtur ille, quod optaverit illis pacem internam affectuum, quæ est Pax bellatrix.
- IV. Ea nascente Christo nuntiata est à militia cœlesti, ut probaretur bellatrix.
- V. Idèd etiam hodie ut primum Pax nuntiata est, ostensa sunt vulnera, per quæ mundus Deo reconciliatus, quia vera Pax inter adversa præstat anime tranquillitatem.
- VI. Ad hanc Pacem animavit S. Jacobus conversum militem, à quo ductus fuerat ad Tribunal.
- VII. Et S. Andreas Christianos volentes se liberare è carcere, monens, ut & ipsi se prepararent ad minas intrepido animo vincendas.
- VIII. Sed cur bis eadem saluatio repetita est? Dissentiunt Patres scrutantes mysteria. Nimirum, ut qui pacem in animis suis consecuti fuerant, eandem aliis nuntiarent, & fideles animarent ad pacem bellatricem, non ad pacem mundi.
- IX. Pax mundi queritur in concupiscentiis, quam nullus quantuscunq; Fortune amassus consequitur. Salomon omnibus abundans voluptatibus & divitiis, de seipso fateatur non esse pacem in rebus quas mundus amat.
- X. Veram pacem & tranquillitatem vel gentilis Philosophus agnovit in contemptu rerum terrenarum, in coordinatione affectuum, quæ facit hominem sibi semper similem, imperturbatum.
- XI. Quin & experientia nos docet, quod pacatior sit animus adherens Deo, quam deditus mundi cupiditatibus. Itaque hæc cogitemus, ut sit Deus Pacis nobiscum.

Venit Jesus & stetit in medio, & dixit eis:
Pas vobis, Joan, 20.

I.



Alamitosum statum Athenarum sub triginta Tyrannorum jugo describens Seneca, in memoriam mihi revocat statum urbis Hierosolymitanæ, cum Christus Dei Filius invidia & furore Scribarum, Pontificum, & Sacer-

Sacerdotum oppressus per acerbissima tormenta mortem subiit, & innocentia, quæ venerat ut nocentes absolveret, fatalem excepit sententiam. Quis tunc animus, quis sensus, quis pavor & trepidatio fuerit Discipulorum, ne & ipsos hæc procella involveret, quis satis evolvat? *Nunquid potes, inquit Seneca, invenire urbem miserioꝝ, quam Atheniensium fuit, cum illam triginta Tyranni dirivellerint &c. Nec finem ideò faciebat, sed irritabat se ipsa servitia. In qua civitate erat Ariopagus religiosissimum judicium, in qua Senatus populusque Senatui similis coibat. Poteratne illa civitas conquiescere in qua tot Tyranni, tot Satellites erant? &c. Socrates tamen IN MEDIO erat, & lugentes Patres consolabatur, & desperatos de Repub. exhortabatur. Melior urbis pars ab uno Socratis pendebat ore: unus hic lugentibus solatia & consilia suggerebat. Metus occupaverat Senatum & populum, cum videret optimum quemque occidi. Solus à metu liber incedebat Socrates, & imitari volentibus magnum circumferebat exemplar. O miseras Athenas! sed longè miseriores Hierosolymas, in quibus collecti uno in cœnaculo Apostoli & cœtera fidelium turba propter metum Judæorum, occiso Magistro, anxii & solliciti de sua salute trepidabant. Facile divinare poterant, non inquieturam Pontificum & Sacerdotum rabiem, nisi & illi vel tollerentur è medio, vel proscriberentur, qui fuerant mysteriorum participes, nisi sollicitus de suis optimus Magister opportunum attulisset solatium. Igitur cum fores essent clausæ, Stetit IN MEDIO, & dixit eis PAX VOBIS. Lugentes consolans, propè desperantes exhortans. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus, quia imitari volentibus*

Sen. de
tranq.
animi c. 3.

magnum circumferbat exemplar. Sed amabo vos, num exultimatis salutationem illam PAX VOBIS fuisse pro ratione temporis idoneam ; cum ad arma, ad bellum, ad pugnas & prælia cum toto terrarum orbe designarentur Apostoli ? Quis Imperatorum, aut Belli-Ducum ita suos animat milites ? quis progressuris ad castra precatur Pacem ? fuses, lanceas, gladios, secures, ardentis laminas, cruces erant propediem tractaturi Apostoli, & pro tessera Pacem accipiunt : PAX VOBIS. Memineritis obsecro aliorum verborum servatoris : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis : non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Alia est pax Christi, alia est Pax mundi. *Mundus dat bellum in pace, Christus dat Pacem in bello,* ac proinde Christi PAX BELLATRIX est, quod erit thema præsentis discursus.

Joan. 14.

II. Usitatam antiquis illam salutandi formulam, qua PAX optaretur, plura in sacris literis suppetunt testimonia. Sic Josephus fratres suos agnitos amplectens alloquebatur : *Pax vobiscum nolite timere.* Sic David nuntios mittens in Carmelum ad Nabal, aiebat : *Salutabitur eum ex nomine meo pacificè, & dicetis : sit fratribus meis & tibi PAX, & domui tue PAX, & omnibus quæcunque habes, sit PAX.* Et ipse Salvator erudiit suos Apostolos, quomodo eos ad quos venturi erant, salutare deberent : *In quamcunque domum intraveritis. Primum dicite : PAX huic domui.* Nunquid etiam intra privatas domos timendum bellum ? Quod PACEM urbibus, Provinciis regnis apprecemur ; nihil mirum, quia illa bellis obnoxia, & insidiis hostium opportuna : sed in privata domo, imò privatae uni personæ PACEM precari, videtur quidpiam insolens, aut certè non neces-

Gen. 43.

1. Reg. 25.

Luc. 10.

necessarium. Patres & scripturæ interpretes textum illum hodierni Evangelij & Salutationem Christi ad Discipulos PAX VOBIS, variè explanant. S. Chrysostomus putat ideò Christum benedictum hac formula usum, ut mœstos propter persecutionem Judæorum solaretur; *Nam cum bellum implacabile cum Judæis haberent, PACEM subinde eis dicit, ut parem bello consolationem afferat.* Verum quale hoc erat solatium precari verbis PACEM, & nihilominus ad bellum mittere: *Tradent enim vos in Conciliis, & in synagogis suis flagellabunt vos, & ad Præsides & Reges ducemini.* Dudum illis prædixerat, jamque instabat tempus ut hæc fierent; nihilominus PAX VOBIS. S. Bonaventura faciens reflexionem supra iteratam Pacis appreciationem: *Ostendens per ipsum factam esse PACEM cœlestium & terrestrium.* Quæ cogitatio desumpta est à verbis Apostoli: *Pacificans per sanguinem Crucis eius, sive quæ in cœlis, sive quæ in terris sunt.* An verò de hac PACE locus sit Christus in hodiernò Evangelio dubitat Beda, qui alio tendit, inquires: *Ideò repetit, PAX VOBIS, quia gemina est virtus charitatis,* quasi diceret: precamur Apostolis PACEM cum Deo, PACEM cum proximo, quia diligendus est Deus & proximus.

III. Ego verò existimo D. Petrum Chryso-
logum optimè observasse, qualem PACEM Salvator
hodie precatus sit Apostolis; illam nempe, quæ
fluctuantes inter diversos affectuum motus illorum
animos tranquillaret, quæ illos vel in cruentissimo
bello Pacificos redderet, id est Filios Dei. Nam ali-
bi dixeret: *Beati Pacifici, quoniam Filij Dei voca-
buntur.* Audite Chryso-
logum: *Discipulorum corda
fidei*

S. Chry-
sol. hom.
85. in
Joan.

Matth. 10

S. Bonav.
in Joan.

Col. 1.

Beda in
Cate.

S. Pct.
Chrysol.
serm. 84.

fidei & dubitationis, desperationis, & spei, defectus & magnanimitatis, continui confictus prælia sustinebant; talium ergo cogitationum bella inspector prævidens, secretorum PACEM primitus se videntibus reddis Quo sensu etiam accipio illa verba S. Augustini: PAX consistit in hoc, quod motus omnes appetitivi in homine conquiescunt. Hæc ergo illa PAX est, quam hodie Salvator affert & apprecatur Apostolis; nempe interior mentis malacia, contrariorum affectuum quies, adversitatum contemptus, cum Dei voluntate conformatio, appetituum corruptæ naturæ prudens refrænatio, & omnimoda animæ in omni eventu tranquillitas, quam qui consequitur contemnit mundum, Deum diligit, pericula non timet, adversa desiderat, in bella cum vitiis & Dei hostibus exardescit, in catastas, secures, gladios, ignes, vulnera, cædes, mortes proruere nihil dubitat. Et hæc PAX BELLATRIX est, quam etiam B. Albertus Magnus hoc loco agnovit: PAX dicitur hic dulcedo pacis, quæ gustata pacat hominem, ut de cætero à nullo inquietetur, quæ etiam inter tormenta Martyres servavit in dulcedine sui Spiritus.

IV. Nato in mundum salvatore narrat Evangelista ab Angelis nuntiatam PACEM. *Et in terra PAX hominibus bonæ voluntatis.* Sed observate circumstantiam, prius unicus Angelus apparuit Pastoribus nuntians: *Quia natus est vobis hodie Salvator.* Mox peracto hoc cœlesti nuntio addit Lucas: *Et subito facta est cum Angelo multitudo militiæ cœlestis laudantium Deum & dicentium: Gloria in altissimis Deo, & in terra PAX hominibus bonæ voluntatis.* Quid militiæ commune cum Pace; quod non possit PAX nuntiari hominibus nisi per militiam cœlestem?

S. Augustinus de civit. Dei.

Alb. Mag. in Joan.

Luc. 2.

lestem ? sufficeret dicere multitudo Angelorum laudantium Deum &c; quia Angeli vocantur *Angeli PACIS*, cur addit Evangelista *multitudo militiae caelestis* ? Nempe PAX Christi PAX BELLATRIX est, & qui de se ipso professus est *Non veni PACEM mittere sed gladium*, cum dicit sive Apostolis, sive credentibus in se PAX VOBIS, annuntiat ac precatur PACEM BELLATRICEM, inter adversa & sensui contraria, inter arma & persecutiones, inter angustias & metus, inter tædia & mœrores, inter contumelias & irrisiones, inter pericula & insidias, inter tormenta & carnificinas. Quod considerans Chrysostomus aiebat: *Si bella venis mittere, cur te nascente cantatur PAX ? Certè quia tunc vera PAX, cum proijcitur quod erat tabidum*. Cum scilicet bello profligatur quod causabat mœrores, angustias, metus, dolores, afflictiones, inquietudines. Tale bellum pacificum est: in tali bello PAX Christi est, quæ exsuperat omnem sensum.

V. Atque ut constet quomodo ultima primis correspondeant, observate in hodierno Evangelico textu connexionem PACIS cum bello. Dixerat Salvator ad Apostolos PAX VOBIS. Et illico subiungit Evangelista: *Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & latus*. An fortè vulnerum cicatrices credimus esse PACIS emblemata ? certè vulnera fiunt in bello non in PACE. Sed Christi PAX BELLATRIX est, vulnera amat & cicatrices, in his gloria-tur, his triumphat, utpotè quæ PACEM inter cœlum & Mundum, inter Deum & hominem fanciebant. *Clamat clarus, clamat vulnus* (ait S. Bernardus) *quod verè Deus sit in Christo, Mundum reconcilians sibi*. Sicut ergo nascens per Angelos milites

Matth. 20

S. Chry-
sost. hom.
39. in
Matth.

S. Bern.
serm. 61.
in Cant.

PACEM nuntiari voluit *Bellatricem*, sic resurgens eandem *PACEM* discipulis precatus est non otiosam, non torpentem, non desidiosam, sed *BELLATRICEM*, inter adversa efflorescentem, inter tormenta emicantem. Et talis *PAX*, vera *PAX* est, quæ omni metu & perturbatione, omni mœrore & luctu superior præstat animæ inter acerbissimos casus tranquillitatem. Id advertens Synesius, sic de Pacifico Imperatore loquitur: *Bellicosus quidem omnium maximè Pacificus fuerit; soli enim illi PACEM colere licet, qui laceffentes ulcisci, ac malè afficere potest.*

D. Synes.
lib. de
regno.

VI. De Divo Jacobo Apostolo memoratur in Breviario Romano, quod cum ab Herode damnatus esset capitis supplicio, is qui eum ad tribunal duxerat, fortitudinem & animum imperterritum ad mortis sententiam demiratus, ipse quoque Christianum se esse professus sit. Jussus ergo una rari ad supplicium, petiit à Jacobo veniam, quem Jacobus osculatus: *PAX, inquit TIBI SIT. Itaque uterque est securi percussus.* Cur non alia monita dabat Apostolus novo Christiano, & mox futuro Martyri? cur non agebat: *Confortare & esto robustus. Viriliter age, & confortetur cor tuum. Confortare in Domino, & in potentia ejus.* Nihil hujusmodi, sed *PAX TIBI SIT*, quia Christiana *PAX BELLATRIX* robusta & fortis est, non expavescit vulnera, non reformidat tormenta, non exhorrescit mortem. *PAX Christi exsuperat omnem sensum. Secura* est etiam inter *Secures*. Et hæc illa est, quam insigni elogio ornat Augustinus: *PAX est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium charitatis.* O quam miros effectus

ope-

Brev.
Rom.

Deut. 31.
Psal. 30.
Ephes. 6.

S. Aug.
serm. de
verb.
Dom.

operatur in sanctis hæc PAX BELLATRIX! incumbunt mille nubia adversitatum, mens perstat serena: minantur Tyranni vulnera & cædes, animus fruitur tranquillitate: bellum movent mundus, caro, Dæmon, sed PACEM habet conscientia.

VII. Adhanc PACEM hortabatur Christianos suos S. Andreas Apostolus cum detineretur in carcere, & illi ex tota Provincia congregati, ut Magistrum suum à morte liberarent, Ægeam Proconsulem occidere, & effracto carcere Apostolum eripere decrevissent. *Nolite*, inquit S. Andreas, *Nolite QUIETEM D. N. JESU Christi in seditionem Diabolicam excitare. Nam traditus Dominus, omnem patientiam præbuit; non contendit, neque clamavit, nec in plateis aliquis eum clamantem audivit. Habete ergo silentium. QUIETEM, & PACEM: & non solum meum Martyrium nolite impedire, verum etiam vosipfos quasi Athletas Domini præparate, ut vincatis minas intrepido animo.* Itaque Christi PAX in eo sita est, ut in silentio & quiete, absque mentis perturbatione, intrepido animo vincamur minæ, tollerentur adversa, perferantur etiam si sit opus tormenta. Et hanc PACEM hodie suis Apostolis dedit Christus, eos animans adversus minas & insultus Judæorum, aliorumque inimicorum nominis Christiani.

Sur. in
vita 30.
Nov.

VIII. Verum in eo latet novum mysterium, quod postquam Christus benedictus Apostolis precatus fuit PACEM, & ostendit eis manus & latus, mox repetierit priorem salutationem *Dixit ergo eis iterum: PAX VOBIS.* Neque hic substitit, sed adjunxit: *Sicut misit me Pater & ego mitto vos.* Hæc repetitio annuntiatae pacis dedit occasionem

S. Aug.
Beda ap.
Mald. in
c. 20.
Joann.
Luc. Burg.
ap. Mansi
Dion.
Carthus.
ib.

Gloss. in
Joan.

S. Chry-
sol. serm.
84.

Tolet in
Joann.

ingeniis scrutandi mysteria. Augustinus & Beda apud Maldonatum putant hanc repetitionem habere vim confirmandi priorem salutationem Apostolis remissas culpas præteritas, per posteriorem datam esse potestatem remittendi aliis pœnitentiam acturis. Dionysius Carthusianus verò inquit. *Ideo bis ait: PAX VOBIS, quia optavit eis PACEM gratiæ in præsentibus, & PACEM gloriæ in futuro.* Glossa Ordinaria: *Iterat, ut monstrat per suum sanguinem esse pacificata quæ in cœlis sunt, & quæ in terra.* D. Chrysologus acutè: *Quid repetitæ PACIS largitas ista manifestat, nisi quia QUIETEM, quam sensibus indixerat singulorum, vult etiam inter eos repetitæ PACIS donatione servari, quos utique non modica habituros esse noverat in posterum de sua cunctatione certamina; dum unus se in fide perstitisse jactaret, dubitasse alter mcereret.* &c. Ut hæc omnia suum pondus habeant, ego nihilominus hoc loco amplector dictum Cardinalis Toleti: *Ac si diceret iterum PACEM do vobis, ut eam toti mundo annuntietis.* Priore salutatione PACEM eis dedit, qua internos animæ affectus ita componerent, ut nullis adversis moverentur, habituri ea ratione PACEM cum Deo, PACEM cum proximo, PACEM cum sua conscientia. Nunc verò iterum eandem salutationem repetens ait *PAX VOBIS sicut misit me Pater & ego mitto vos*, ut videlicet PACEM sicut in mea Nativitate Angeli hominibus bonæ voluntatis, ita vos universo mundo post meam anastasin eandem annuntietis: & ideo *Mitto vos.* Sed notate *sicut misit me Pater*, ad ærumnas, misérias, afflictiones, persecuciones, contumelias, verbera, tormenta, mortem: in quibus omnibus fruitus sum

PACE

PACE BELLATRICE, quia cum gaudio sustinui Crucem confusione contempta. Ite ergo annuntiate *PACEM* Mundo, qui inquit pacem, ubi mera sunt bella. *Non est PAX impiis.*

Isai. 57.

IX. S. Joannes in prima sua Epistola paucis perstringit mundi pacem, cum ait: *Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Ad hæc reducitur omnis *PAX* mundana, quæ tamen non est *PAX* sed bellum. Qui hanc pacem sibi aliisque persuadent similes sunt illis Pseudoprophetis de quibus Deus queritur apud Jeremiam & Ezechielem: *A minore usque ad majorem omnes avaritiæ student: & à Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem filie populi mei cum ignominia dicentes: PAX VOBIS, & non erat PAX.* Obsecro vos statuite vobis ob oculos quemcunque libet Fortunæ amasium, cui omnia, ex voto fluant, qui natet in voluptatibus, abundet divitiis, emineat in bonorum fastigiis; nam in his tribus præcipuam sibi *PACEM* & felicitatem mundus imaginatur: & si acuto mentis oculo penetraveritis interiora ejus, exclamabitis cum Propheta: *Non est PAX impiis,* non est *PAX* mundi sectatoribus. Fuitne unquam omnibus retroactis sæculis vel sapientior, vel felicitior Rex Salomone, quem nondum natum Dei oraculum pronuntiavit *PACIFICUM*? cui sublimate ad Regium thronum locutus est Deus: *Feci tibi secundum sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens in tantum, ut nullus ante te similis tui fuerit, nec post te surrecturus sit: Sed & hæc quæ non postulasti dedi tibi, divitias scilicet & gloriam, ut nemo fuerit similis tui in Regibus cunctis retro diebus.* Hic tamen tam

1. Joan 2.

Jerem. 6.

v. 14.

Ezech. 13.

3. Reg 3.

Eccle. 10

felix, tam sapiens, tam dives, tam honoratus, postquam concupiscentiis suis, frenos laxavit querens PACEM & non inveniens, de se ipso fatetur: *Omnia quæ desideraverunt oculi mei, non negavi eis, nec prohibui cor meum quin omni voluptate frueretur* &c. *vidi in omnibus vanitatem & afflictionem animi.* Et post plurima speciatim enumerata. *Quid proderit homini de universo labore suo* &c. *nonne melius est comedere, & bibere, & ostendere animæ suæ bona de laboribus suis* &c. *sed & hoc vanitas est, & cassa sollicitudo mentis.* Verè mundus amatoribus suis non dat aliud quàm bellum in PACE, cum econtra Deus det PACEM in bello. Ubi mundani maximas se putant indipisci delicias, maxima frui quiete, ibi maximis angoribus &urbationibus agitantur. *Cuncti dies hominis doloribus & ærumnis pleni sunt, nec per noctem mente requiescit; & hoc nonne vanitas est,* ait idem Ecclesiastes Salomon.

Sen. Ep.
80.

X. Verissimè de his etiam seneca pronuntiavit: *Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta est, aut gravis & superata tristitia, & quidem gravior, quia interdum non licet palam esse miseros: sed inter ærumnas cor ipsum excedentes, necesse est agere felicem.* Et alibi: *Res est inquieta felicitas: ipsa se exagitat, movet cerebrum non uno genere. Alios in aliud irritat: hos in potentiam, illos in luxuriam e hos inflat, illos mollit, & totos resolvit.* & cum multa in hunc sensum differisset, concludit: *In mores Fortuna jus non habet: hos disponat, ut quam tranquillissimus ille animus ad perfectum veniat, qui nec ablatum sibi quidquam sentit, nec adjectum: sed in eodem habitu est, quocumque res cadunt.* Prorsus Christianè, & veluti mutuatus veritatem è calamo Pauli, qui formans suos Corinthios ad omnes casus & eventus, eundem ubique requirit

Idem Ep.
36.

ani-

animum invictum, imperturbatum, quietum, pacatum, uti decet Dei filios pacificos, quamvis ipse eos appellet Dei ministros demissè de seipso sentiens: *In omnibus exhibeamus nosmetipsos, sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs, in plagis, in carceribus &c. per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam &c.* O verè donatum PACE à Deo, qui omnia in suum trahit colorem, nec prosperis erigitur, nec adversis deprimitur, semper idem; similis Olympo monti, quem ultra nubes eminentem, nulla feriunt fulmina, nullæ violant tempestates, quas si circa illum pinxeris, adjecto lemmate: *Infra feruntur.* Expressisti animum Christi PACE fruentem, qualem descripsit modo allegatus Seneca: *Pars superior mundi, & propinqua sideribus, nec in nubem cogitur, nec in tempestates impellitur, nec versatur in turbine: omni tumultu caret; inferiora fulminantur. Eodem modo sublimis animus QUIETIS semper, & statione tranquilla collocatus, intra se premens quibus ira contrahitur, modestus & venerabilis est.* A quò Philosopho licet Ethnico si modum consequendæ hujusmodi PACIS & QUIETIS discere cupis, docebit, ut nil concupiscas, nil timeas. Audi iterum Christianè Philosophantem: *Animus nunquam major est, quam ubi aliena seposuit, & fecit sibi PACEM, nihil timendo; fecit sibi divitias, nihil concupiscendo.*

2. Cor. 6.

Sen. lib. 3.
de Ira.
cap. 6.Sen. Ep.
87.

XI. Verbo absolvo & finio; neque enim multis opus est verbis, ubi experientia quotidiana nos docet, quod quietior & pacatior sit animus conjunctus Deo, quam deditus mundo & concupiscentiis ejus, quod Christus det PACEM in bello, mundus bellum in PACE, si tamen dicenda PAX est
quæ

Phil. 4.

quæ est assiduus motus & agitatio affectuum. Itaque hæreat nobis illa Pauli sententia, altè in cor demissa: *De cætero Fratres, quæcunque sunt vera, quæcunque pudica, quæcunque iusta, quæcunque sancta, quæcunque amabilia, quæcunque bonæ fame: si qua virtus, si qua laus discipline, hæc cogitate, & DEUS PACIS erit vobiscum, PAX VOBIS.*

DISCURSUS XXIV.

Dominica II. post Pascha.

Crudele Interesse

T H E M A.

Mercenarius autem, & qui non est Pastor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit; & lupus rapit, & dispergit oves. *Joan. 10.*

S Y N O P S I S.

- I.* Sicut bonus Pastor utilitatem propriam postponit communi, ita viceversa Mercenarius suis tantum inhiat lucris & commodis propter Interesse, quod in corpora & animas exercet crudelitatem.
- II.* Et quidem Interessati alij sunt qui præsumunt, alij qui subsunt, utrique easdem ferè maximas observant, & utile se comparant ab honesto, quod est repugnare naturæ.
- III.* Nam secundum naturam est, quod ipse tibi nolis fieri alteri non facere; hi verò non inquirunt quid profit vel placeat aliis, sed quid sibi; licet noceat aliis.
- IV.* In-

- IV. Innumeri verò sunt ex hominum omni genere, statu, conditione, qui privato Interesse student, cum alieno damno, & sæpe ruina.
- V. Triplex verò potissimum regnat in mundo Interesse, ambitionis, avaritiæ, & voluptatis, cujus causa homines invicem nocent, peiores feris, quæ similibus sibi parcunt. Primi generis lugubre exemplum præbet Soldani Armuziani filius, qui parentum ac fratrum ruina seipsum etiam oppressit.
- VI. Nihil mitius agit Interesse avaritiæ, cujus exemplum parentes Poloni militis, qui eum propter spem pecuniæ occiderunt ignari, quod filium occiderent, & postmodum desperarunt.
- VII. Plura ejusmodi suppete-
rent ex sacris literis, sed recentia etiam hærent, utinam vel hoc documentum haberet, quod Interesse privatum noceat tam animæ quam corpori.
- VIII. Interesse voluptatis crudelissimum etiam est, castigavit Pharaonem, perdidit Gabaonitas & Sichimitas. Crudelè etiam ostenditur ex casu Romildæ Foro Juliensis.
- IX. Consideremus ergo quid prosit nobis aliena appetere, & per proximorum injurias frenos laxare nostris cupediis, cum nobis per eas noceamus, si placet aliquod Interesse, placeat quod honestum est, Deo servire propter ttributionem.

Mercenarius autem, & qui non est Pastor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oves. *Joan. 10.*

I.



Hodiernum Evangelium ponit nobis ob oculos bonum Pastorem, & malum Pastorem, seu potius non Pastorem Mercenarium. Bonus Pastor in sensu literali Evangelij, est ipse Christus benedictus, qui animam suam posuit pro ovibus suis, qui ante paucos dies

S. Pet.
Chrysol.
serm. 23.

salutatus ut Rex, sacrificavit ut Sacerdos, ad occisionem deductus ut ovis: hodie ut Pastor proponitur. Sed memineris Christiane, quod Tibi Rex, Tibi Sacerdos, Tibi Pastor, Tibi sacrificium, Tibi agnus, Tibi ovis, Tibi totum factus est, qui fecerat totum. Atque ut cæteros titulos nunc seponam, uno Pastoris titulo Christianis omnibus exemplar se præbet, ad quod respiciat in Principatu Monarcha, in aula Consiliarius, in templo Sacerdos, in Urbe Magistratus, in domo Paterfamilias, in conscientia quilibet fidelis. Omnes etenim isti Pastores sunt animarum, quæ illis concreditæ eatenus sunt, ut pro illis rationem sint reddituri. Qui ergo hanc curam negligit, profectò mercenarium se constituit, qui bonum privatum publico, utilitatem suam communi anteponebat. *Mercenarius quippe est* (ut loquitur D. Gregorius) *qui locum quidem Pastoris tenet, sed lucra animarum non querit, terrenis commodis inhiat, honore prælationis gaudet, temporalibus lucris pascitur, impensa sibi ab hominibus reverentia letatur.* Quæ tametsi Pastores Ecclesiasticos & Prælatos potissimum concernant; de quolibet tamen Christiano, qui suæ imprimis animæ curam debet gerere, intelligi possunt. Mercenarium ego dico & non Pastorem animæ suæ, sed immanem Polyphemum, qui propter temporale commodum, propter Diabolicum Interesse, negligit animam suam, eamque lupis infernalibus discerpendam relinquit. Interesse inquam cui propemodum totus mundus servit, tametsi mille doceatur experientiis, quod crudeliter non tantum corpora sed animas interimat. Hoc proinde Interesse Crudele vobis hodie paulò superiore sermone exponam, ut concepto tantæ Crude-

S. Greg.
serm. 14.
in Evang.

litatis odio studeatis ex Mercenariis fieri veri Pastores, tam qui aliis præestis five ut Magistratus five ut Patresfamilias, quam qui privatam agitis vitam; omnibus enim sollicitudo incumbit ne anteponant temporalia commoda utilitati animarum.

II. Duo sunt genera *Interessatorum*, utrumque execrandum, & noxium ipsis *Interessatis*. Primum eorum quibus ex officio incumbit aliorum curam gerere, quales sunt omnes Prælati Ecclesiastici, Pastores animarum, Reges, Principes, Judices, Magistratus, Consiliarij, Advocati, Patresfamilias qui tenentur plus procurare bonum commune quam privatam, plus invigilare ne Respublica damnata patiatur quam res domestica, & dicere cum M. Salvio Imperatore morituro: *Faciam ut omnes intelligant, quem Imperatorem elegeritis, qui non vos pro se, sed se pro vobis dedit.* Atque hi si postposita cura boni publici de suis plus æquo solliciti sint gravissimè delinquant, & faciunt sibiipsis suum *Interesse Crudele*. Alterum genus est eorum qui majorem corporis sui & rerum temporalium curam habent, quam animæ, & propter modicum rei transitorie *Interesse*, perdunt *Interesse* animæ eamque præcipitant in æternam damnationem; his vel maximè *Interesse* proprium, fit *Interesse Crudele*. Illorum axiomata sunt, quæ & isti per consequentiam sibi faciunt familiaria: *Principi, nullum injustum, quod fructuosum: Quod libet licet. Jus est in armis. In summa fortuna id æquius quod validius. Sit pro ratione voluntas. Quidquid utile sit, id fieri honestum etiamsi antea non videretur. Sua retinere privata domus, de alienis certare regiam laudem esse.* At quantum mali hæc principia in mundum invehant, facilius est cogitare

Xiphil. in
Oibone.

Corn. Tacit.
Jul.
Cæs.

Lips. in
Polit.

*Senec.
Trag.*

quam eloqui. Et nemini hætenus plus nocuerunt quam authoribus. *Redit in authorem scelus.* De primo genere mihi hoc loco sermo non est: de posterioribus loquor, qui fundamentum omnium actionum suarum ponunt utilitatem sejunctam ab honestate, quo nihil perniciosius esse potest in commerciis humanæ vitæ. Hoc quippe pessundat Respublicas, evertit urbes & Provincias, diffolvit vincula Societatis Rumanæ, conculcat leges, naturam violat, rationis dictamen infringit, implet damnatis gehennam. Observat sapienter Princeps oratorum:

*Cic. lib.
3. de Of-
fic.*

Socratem eos merito execrari solere, qui primum utile & honestum naturâ coherentia, opinione distraxerunt, qua nulla major perniciæ humano generi potuit afferri. Horret natura turpitudinem, horret vitia, & quidquid vitiosum est, id naturæ contrarium: proinde ubi propria utilitas conjuncta est vitio, separata ab honestate, necesse est ut sit contra naturam. Neque ex eo quod utilitas secundum naturam esse videatur, omne quod utile censetur verè utile est, quia nisi simul honestum sit, nisi rationi conforme, nisi legibus naturæ aptatum, non utile est, sed noxium & execrandum. Unde idem Cicero solo rationis ductu agnovit: *Si nihil est tam contra naturam quam turpitudò, nihil secundum naturam quam utilitas, certè in eadem re utili turpitudò esse non potest: quod qui parum perspiciunt, hi sæpè versutos homines, & callidos admirantes, eorum malitiam sapientiam judicant.* Callidis & versutis una præ oculis semper est utilitas, nulla honesti cura, sine quo tamen nulla est secundum naturam & rationem utilitas.

*Cic. de
offic. lib.
3. c. 2.*

III. Quid enim illud naturæ & rationi conformatum dices, quod cum aliena injuria conjunctum

Etum fuerit? Ubi ergo illa servatoris gnōme ipsis Ethnicis celebrata: *Quod tibi non vis fieri alteri ne feceris?* quam usque adeò æstimavit Alexander Severus Imperator, ut non modo suis eam sæpius inculcaverit, verum etiam passim in operibus describi voluerit. Id Lampridius hisce verbis expressit: *Cum milites de via ad alicujus possessionem desisterent, puniebat (Alexander) & si quis honoratior esset, alloquebatur: Visne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? Clamabatque sæpius quod à quibusdam sive Judæis sive Christianis audierat, & tenebat: idque per præconem, cum aliquem emendaret, dici jubebat: QUOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NĒ FECERIS: quam sententiam usque adeò dilexit, ut & in Palatio, & in publicis operibus præscribi juberet.* Hæc scriptor Ethnicus de Ethnico Imperatore. Atverò quibus una semper in animo versatur cogitatio de Interesse privato, non curant, quid sibi fieri non velint, sed quid velint; non quid aliis noxium, sed quid sibi proficium; non quid justum & honestum sit, sed quid utile ad consequenda ambitiosæ vanitatis fastigia, ad voluptatum cupedias, ad augendas facultates, per fas & nefas, per alienas ruinas, per legum violationem; immemores illius documenti: *Sua cuique utilitati, quod sine alterius injuria fieri possit, servandum esse.*

Æl. Lamprid in Severo. c. 51.

Cic. lib. 2. de Offic.

IV. Malum hoc usque adeò mundum pervasit, ut quod olim solos inter Magnates, & Principes, velut arcanum & absconditum mysterium erat, nunc in privatis domibus legis vicem obtineat. Taceo illos qui ut ad aliquam dignitatis umbram prorepant, mille committunt indignitates, & quos nisi suo Interesse putarent posse prodesse ne oculo

quidem dignarentur, profundis inclinationibus, pileorum depositionibus, adulatoriis phrasibus, manuum & vestium bafis plus sæpè adorant quàm Deum in Templo. Taceo illos, qui totam suam felicitatem reponunt in eo, ut æstimentur & honorentur à populo, ideóque captandæ auræ populari totos dies, menses, annos, imò totam ferè vitam impendunt pro modico *Interesse* vulgaris applausus. Taceo illos qui jura habent venalia, & Justitiæ Portas aperiunt solis portantibus: *si nihil attuleris, ibis amice foras*. Quod etiam illorum idiomate *Interesse* dicitur. Taceo illos, qui pauperum patrocina vel suscipere renuunt, vel suscepta languidè tractant, & indicem horologij ultra primam non finunt progredi, quia non affertur oleum *Interesse*, quo rotæ ungantur. Taceo alios Reipublicæ minus noxios. Illis meritò, quisquis sapit, succenseat, quos acuto calamo graphicè depingit bonus Author, eorum interiora & arcana sensà evolvens: apud quos scilicet, *Circumvenire socium solertia vocatur; mentiri, urbanum; omnes fallere, prudentiæ; nulli fidere providentiæ; omnes suspectos habere, securitatis; nulli animum recludere sapientis est: omnibus detrabere generosi animi; maledicere omnibus, fortis est; evolare ad ferrum etiam nullâ datâ occasione, viri est; alieno thoro insidiari, matronarumque ac Virginum pudiciæ incumbere, elegantiae quoddam genus est; omnia spondere, nil largiri, aulicæ comitatus est; commodis, opibus, honoribus suis, quacunque viâ equâ aut iniquâ studere, etiam cum amicorum eversione, sodalium depressione, bonorum dejectione, innocentiam damnatione, viri est ad Rempublicam nati, privata sua publicis anteponeere, adeóque hæc perdere ut tua crebas, industriæ est: Et plura his similia*

*Scribat,
in Chri.
Patien.*

lia quæ pro scopo habent *Interesse* privatum, sed ultimo tandem futurum *Crudele*. His adjuuge & alios, qui specie boni publici procurant privatum: quales insinuat Justus Lipsius: *Duces in bello rem suam faciunt, publicæ parum accedit*. Unde annotavit etiam Aristoteles: *Apud quosdam lex est, ut qui agros habent vicinos, hi non admittantur ad consilium belli adversus illos suscipiendi, quasi ob privatam sui causam, rectè consilium dare non valentes*. Hæc quidem lex etiam est in judiciis, ne confideant qui reo vel Actori sanguinis nexu colligantur, quod tamen subinde dissimulari videas; aut si hi recedant substituuntur amicitiae & patrociniij nexu magis conjuncti. Pestilentissimum verò genus est illorum, qui ut privato *Interesse* indulgeant, multorum ruinam procurant. Quales sæpè belli Duces æmulatione honoris mutua stimulatî hosti potius quam æmulo relinquunt victoriam, & suæ invidiæ, æmuli infamiâ, exercitus lanienâ, Provinciarum excidio parentant. Adeò Diabolicum *Interesse* per omnes status, gradus, ordines, Magistratus, tribunalia, domos se insinuat, ut si non in corporibus, certè in animabus postliminio crudelitatem suam exerceat, quia *Pessimum veri affectus & judicij venenum sua cuique utilitas*, ait Tacitus.

V. Quam veritatem ut clariùs dispiciatis, & quasi manibus palpetis, date mihi veniam, ut uno alterove exemplo dicta corroborem. Et ne latius me diffundam, triplex potissimum adverro regnare in mundo *Interesse*, cui myriades populorum ita deseruiunt, ut seipsas ei ceu victimas immolent. *Interesse* videlicet ambitionis, avaritiæ, voluptatis: omnia feris omnibus crudeliora. Nam feræ sibiipsis

Lips. Ep.
72. Cent.
3.
Arist. lib.
7. Polit.
c. 10.

Tacit. lib.
1. Annal.

Sen. de I-
ra lib. 2.
c. 8.

& sui similibus parcunt, Interesse pari furore Interestatum perimit, & alios ejusdem genij, generis, sanguinis. Quos videtur expressisse Cordubensis Philosophus, cum ait : *Nulli nisi ex alterius damno questus est : felicem oderunt, infelicem contemunt : majore gravantur, minori graves sunt : diversis stimulantur cupiditatibus : omnia perditâ ob levem voluptatem prædamque cupiunt. Non alia quam in ludo gladiatorio vita est, cum iisdem virtutum pugnantiumque. Ferarum iste conventus est ; nisi quod ille inter se placide sunt, morsuque similibus abstinent ; hi mutuâ laceratione satiantur. Hoc uno ab animantibus brutis differunt, quod illa mansuescunt alentibus, horum rabies ipsos à quibus est nutrita depascitur.* Ecce tibi exemplar ad hanc conformatum Ideam, quod si extendas ad integras familias quæ subinde inter se ambitiosè de primatu, de æstimatione aliisque vanitatibus concertant, utque una emineat, præmuntur plures, pro quantum ferarum invenies, quibus includendis nullum Augiæ stabulum sufficiat. Armuzia urbs & Principatus in Perside Anno 1508. Soldanum habuit multis nominibus felicem, quæ augebat in spem posteritatis copiosa proles. Undecim omninò filij masculi ornabant domum, minimus natus simplicior & semifatus habitus ; hinc à parentibus æquè ac fratribus contemptus. Natus major inescatus dulci veneno proprii Interesse, & ambitionis peste correptus in id incubuit, ut cum parentem & fratrum ruina solus dominaretur : populo interim (ut solent qui privata publicis anteponunt) exosus, & passim nominatus *catenatus Diabolus*. Verè catenatus, quia catenam traxit à *crudeli Interesse* omnium vitiorum *Nam radix omnium malorum cupiditas* : quæ

Ludov.
Roman.
Hodæpor.
de Persia
c. 2. & 3.
Steng. E-
xempl.
lib. 2. c. 4.

hominem ad in auditum seculis crimen impulit, ut de patrē, matre, fratribus necandis consilium caperet. Ergo captatā nocturnæ quietis occasione stricto pugione in cubile parentum, mox fratrum irrupit: patri, matri & novem fratribus parricidali crudelitate oculos effodit: decimum natu minimum stoliditatis opinio ab immani scelere exemit. Ita viginti duos oculos in una patina cruentos, & oculos suorum, siccis ipse & lætis oculis aspexit. Neque hic stetit crudelitas: exoculatos enim omnes in unum conclave suam orbitatem lamentabili questu deplorantes conclusit, & subjecto igne vivos cremavit. Fabulosā videantur nomina Scinis & Procrustis ad hanc immanitatem collata. Minimus frater stupore excusso ē regia profiliens & per compita discursans, dum ad fani asylum confugit, altissima clamabat voce: *Ivi alla, o Deus, quam impius est frater meus, qui cruentā manu sceptrum invasit, regnumque violentā successione injustus heres, nefarius successor occupavit.* Attonito adhæc populo seditio cœpit gliscere, quam tamen callidus parricida armato milite sopivit. Atque ut sibi Principatum muniret, censuit fulciendum eorum interitu per quos fortuna Patris constiterat. Erant ij ex regno Presbyteri Joannis duo, vel bello olim capti vel empti Christiani, quorum alter mutato pridem nomine Machomet, alter Cain apud Armuzianos appellabatur, uterque Soldano dum viveret æquē charus ac fidus. Ergo vocatum seorsim Machometum interrogat an pro Soldano agnosceret quocum loqueretur? affirmantis manum blandissimè apprehendit, honoribus dein auxit, promittens maiora si collegam alterum Christianum Cain ē medio

tollat. Verum Machomet neglecta spe promissionis, contempto metu, ostendit cuncta se potius paratum agere vel pati, quam obstringere tam nefario perfidiæ crimine, ut amicum perimeret quocum triginta annos inter læta & prospera vixisset. Tyrannus ubi vidit se surdo loqui, nullâ aliâ petitione oneratum dimisit. Et mox advocato Caino eadem arte tentavit Machometum perimere. Cainus magis cereus assensum præbuit, & arma indutus futuræ scenæ idonea Machometum adiit. Suspiciatus ille, quod res erat tempestivè occurrit æquè armatus, & exprobatâ perfidia tandem flexit, ut procumbens Cain in genua consilium Tyranni detegeret, & in ejus potius perniciem conjuraret. Simulans deinde se confecisse imperata, Tyrannum accedit, refert Machometum vixisse. Quod ubi ille inaudiit gratis actis in complexum Caini properavit, & (ô vindicem Deum etiam solum meditati *Interesse!*) dum amplectitur novus Joab nimis credulum Abner, clam vibrato pugione transverberat. Illicò pervenit cædis rumor ad Machometum, qui omni morâ sepositâ ad Aulam properans, non petitâ audientiâ tanquam primæ admisionis aulicus, intrepidè Soldanum aggressus est, qui ab eo quem mortuum crediderat se peti videns dirigit. At ille tot funeribus etiam Tyranni funere cumulatis, se ab hoste, regnum à Tyranno liberavit. Tum collecto milite convocato populo rei feriem enarrans, omnium plausu exceptus, & Soldani successor acclamatus est. Verum Machomet pacatis intra viginti dies turbis, Principis filium superstitem natu minimum produxit eique diadema imposuit, contentus Gubernatoris titulo, donec regius

puer adolefceret. *O crudele Interesse ambitionis!* quod non in alios tantum, sed ipsummet authorem defeviit, tredecim funeribus cruentatum! *Nempè sibi parat malum, qui alteri parat*, ut vetus fert adagium à sapiente aliis verbis expressum: *Qui in altum mittit lapidem super caput eius cadet.* Et rursus: *Qui fodit forream incidet in eam.*

Democrit. ap. Arist. lib. 3. Rhet. Eccli. 27. Prov. 26.

VI. Nihil mitius agit cum avaris *Interesse Crudele* avaritiæ, cujus penè quotidianas spectare licet Tragœdias: Unde S. Chrysofomus detonans in divitias convenientillimè illas describit: *Fugitivæ divitiæ sunt, ab hoc in illum transeuntes; atque utinam transirent solum, non etiam occiderent.* Nam præterquam quod deserunt, etiam gladio tradunt, & in barathrum pertrahunt. *Èc. ingratae sunt, fugitivæ, homicidæ, crudeles, implacabiles, bestia incurabiles.* Quod sanè expertus est Polonus ille de quo Balinghemius. Fuit inquit è Martia Polonorum gente nonnemo patria Pultoviensis, cui vita militaris placuit. Castra secutus multis annis à patria absuit. Insigniter sive stipendiis sive prædis ditatus, ut opes suas cum parentibus communes faceret revertit in patriam: Sed quia diuturna absentia vultus & habitus magnam fecerat mutationem, neque noscebat suos, neque noscebatur. Jam erat in conspectu urbis patriæ cum obviam habuit mulierem ignotam ex negotio in rus egredientem, quam interrogabat ex nomine de parentibus, quæ respondit superstites esse, & se quoque illorum filiam. Ad quod verbum exhilaratus miles. Quod benè vertat inquit: Et ego illorum sum filius, frater tuus. Illa hæsitante, miles ex equo desiliit, & nudato aliquantum brachio: En ait, ut me fratrem tuum esse credas, si-

S. Chrysof. To. 5. hom. Cum Sav-tonin.

Ant. Balinghem. in Zoo-pæd. tit. Hospitalitat. Stengel. Judic. div. To. 3. 6. 7.

gnum mihi à natura & matre impressum, notum omnibus domesticis. Agnito signo soror in collum & amplexum fratris irruens felicem reditum gratulatur, & jubet ad parentes properare, dum ipsa die sequenti redux, longiore & jucundiore ejus alloquio frueretur. Ita illa in pagum vicinum, ipse ad urbem pergens, paternam ingressus domum à nemine agnitus est: atque ut pleniorer faceret lætitiã domesticis dissimulare statuit in diem crastinum quis esset: cœnam nihilominus largam parari jubens cum parentibus lætus assedit; eã finitã sarcinam oppido gravidam illis servandam tradidit, necdum agnitus. Vetus proverbium est: *occafio facit furem*. In somnum prolapsò milite parentes contrectare sarcinam, suspicari quod erat aurum, scrutari, concupiscere: verbo concludunt: trucidetur miles, pecunia nostris usibus deserviet. O iterum *Crudele Interesse!* mulier viro audacior cultrum arripit, filij post multas noctes insuaves suaviter dormientis jugulum petit, & crudeliter necat. Corpus è lecto detractum adhuc calens clam in effossa humo sepelitur. Orto sole properans soror domum revertitur, quærit ubi frater, quocum heri locuta, cujus nativum signum vidisset, contrectasset? Expalluerunt parentes velut fulmine icti ad talia verba, & cum inspecto iterum cadavere signum filij agnovissent inconsolabilibus lamentis, domum, urbem, cœlum impleverunt. Pater urbe egressus absque arbitro è publico civitatis patibulo seipsum suspendit: mater eodem cultro quo pridie filij fauces, suum quoque guttur dissecurit: filiã inter tria cadavera *Crudele Interesse* avaritiæ detestante. Contigit hæc Tragœdia Anno 1618. die 15. May.

VII. Desidero nunc Auditores mei, ut sæpius expendatis quàm *Crudele Interesse* sit avaritiæ, illud præsertim quod quæritur cum detrimento proximi. Poteram vobis allegare Interesse Judæ traditoris cui laqueum peperit *Interesse*: poteram adducere *Interesse* Ananiæ & Saphiræ: *Interesse* villici iniquitatis, *Interesse* servi suffocantis conservum, *Interesse* divitis destruentis horrea & disponentis de vita quam nocte erat finiturus, sed hæc licet digito Dei scripta, vobis dudum nota. Recentia quæ avidius excipiuntur, non carent etiam suis stimulis. Hoc saltem infigite memoriæ omne *Interesse Crudele*, quod si non perdit corpus, perdit animam. *Quod avaro ærumniosius fuerit? quando is præterquam quod animam suam perdit, etiam corpus innumerabilibus curis extenuat.* Ait S. Chrysostomus. Parcite corporibus, parcite animabus vestris.

VIII. Jam verò, ut me promissi fide liberem tertium æquè *Crudele Interesse*, quod est voluptatis & insanæ libidinis meum considerate. Et subeat primum memoriam Pharao, qui ablatâ Abrahamo Sarâ uxore affectus est plagis maximis cum universa domo, & unius *Interesse*, multorum flagellis castigatum est. Gabaonitæ abusi uxore peregrini levitæ; eaque mortua concitarunt adversum se universum Israël, & deleta ferè est tribus Benjamin, propter paucorum effrænatam libidinem. Sichem filius Hemor Principis Sichimitarum ob raptam Dinam filiam Liæ & Jacobi circumcisus cum omnibus sichimitis, se & patrem & omnes sichimitas eodem involuit interitu, vindicantibus sororis stuprum, filiis Jacob. Sed hæc fortè præter intentionem eorum, qui suis serviebat cupediis, even-

S. Cbry.
sost in
Psal. 48.
hom. 2.

Gen. 12.

Judic. 20.

Gen. 34.

runt. Illos quis non crudeles pronuntiet, qui ut fruantur desideratis voluptatibus, proculcant jura divina & humana, cædes & parricidia ceu ludum habent, obliviscuntur omnem honestatem, vincula sanguinis non verentur abrumpere; & quæ proximis eventura mala prævident, non præcavent dummodo lugendis amoribus potiantur. Tragicum planè est quod de Gisulphi Ducis Forojulij conjugè narrat Paulus Diaconus. Inuaserat Hunnorum Rex Caganus Forojuliensem Provinciam, cui tunc Gisulphus Longobardus Ducis titulo præerat, qui cum barbaro hoste congressus & fortiter dimicans cum multis suorum occubuit. Uxor Ducis Romilda cum non nullis primoribus, filijs & filiabus se in castro Forojulienti (quod idem cum Utinensi putat Palladius) uti ilia ferebant tempora munierat. Accessit Caganus cum exercitu, quem eminus circa muros obequitantem Regem juvenem, florentem ætate, decora corporis Symmetria conspiciens Romilda, in eius exarsit amorem, & fœminea, id est impotenti cupiditate oblita omni honesti, prolium, civium, patriæ, privatum suum *Interesse* publico anteponeus, ei ultro per nuntium urbem & cives tradere se paratam significavit, si nuptias juvenis Regis sperare posset. Commissa tunc inter se fuerunt duo *Interesse*, unum libidinis Romildæ cum excidio patriæ, alterum ambitionis Cagani cum Tyrannide in proditos. Uterque suo voto potitus est: Romilda unius noctis uxor, Caganus piurimum dierum Tyrannus, & insanis hisce *Interesse* litatum est sanguine plurimorum. Proditâ & occupatâ urbe, Romilda ceu Regina habita, Filij & primores urbis in fidem recepti. Mox altera nocte re-

Paul.
Warnesfr.
de reb.
Longob.
lib. 4.
c. 38.

Henr.
Pallad.
de reb.
Forojul.

pudiata Romilda duodecim barbaris Hunnis tradita est, qui ea abusi die postero in patenti campo immanis libidinis scœminam in palum egerunt addita exprobaratione: *Talem te dignum est habere maritum.* Urbs direpta & incendio absumpta: Filij in servitutem abducti vix fuga evaserunt. Magnates cum civibus in campo qui Forojulium à Pannonia dividebat trucidati sunt. Sic scævit etiam in propinquos, & proprium sanguinem, sed vel maximè in authorem *Crudelesse Interesse.* Sic scævè multis malè est, ut uni sit benè, cum contingat etiam nec uni bene esse; & plerunque illi pessimè, qui cum aliena pernicie suam venatur utilitatem.

IX. Queritur Apostolus de Cooperatoribus suis ad Philippenses scribens: *omnes quæ sua sunt querunt, non quæ sunt Jesu Christi.* Querela hæc universalis est, omnibus potest convenire Christianis, qui animas minoris faciunt quàm corpora, qui lucrum temporale præponunt aeterno: sed *Quid prodest homini si univèrsam mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur,* Quid prodest si per alienam ruinam elucteris ad fastigium fugacis & periculosi honoris? quid prodest si cum proximi nocumento per ufuras, fraudes, rapinas violentias Crœsi opes congreges, quæ in tuam conspirent perniciem? quid prodest si omni voluptate hujus mundi fruaris, quæ tandem in amaritudinem definèt, & interim animæ detrimentum patiaris? O Christiane, si tantopere te delectat quærere quæ tua sunt, non quæ JESU Christi, nec potes tibi persuadere ut seposito omni *Interesse* Deo servias ac animam tuam eripias lupis infernalibus: ades docebo te quomodo nundineris *Interesse*, utile & simul ho-

Pbil. 2o

Psal. 118.

nestum, idque exemplo Prophetæ, qui de se ipso
 profitetur: *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Retributio divinæ gratiæ, & gloriæ est *Interesse*, quod licet appetere, ejusque lucrum honestissimum est. Et qui non potest amare Deum propter ipsum, quia ex se amabilis est, amet saltem *propter retributionem*, quia remunerator est, & omnia nostra opera compensat superabunter, hic in præsentis per gratiam; in futuro per gloriam. Sed felicior ille est, qui *non querit quæ sua sunt, sed quæ Jesu Christi*, & veraciter dicere potest cum S. Ignatio Martyre: *Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans, ut Jesum Christum inveniam.* Talis profectò nullum quærit in mundo *Interesse*, & obtinet nihilominus illud quod solum est bonum, perfectum, solidum, securum, æternum
Interesse in cœlis.

S. Ign. E-
 pist. ad
 Rom.



DISCURSUS XXV.

Dominica III. post Pascha.

Nepenthes Probatum

THEMA.

Mundus gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Joan. 16.*

SYNOPSIS.

- | | |
|---|--|
| <p><i>I. Abolende tristitia varia Medici pharmaca excogitant, inter que Nepenthes predicatum ab Homero, sed efficacius est, quod fit recogitando effectum tristitie temporalis si tolerentur pro Deo.</i></p> <p><i>II. Nam hec modicum est in presenti vita, sed eternum glorie pondus operatur.</i></p> <p><i>III. Cui spei fundamento innixi Machabæi & alij sancti, letitia fructi sunt in tormentis.</i></p> <p><i>IV. Quia Deus omnem amaritudinem suis dulcorare solet.</i></p> <p><i>V. Inò Sanctorum tristitia est tantum apparens, quia continet veram letitiam, & sunt</i></p> | <p><i>sancti quasi tristes, semper autem gaudentes.</i></p> <p><i>VI. Amplius aliquid dicit Chrysostomus, quod nec vera letitia esse possit nisi in tristitia sanctorum.</i></p> <p><i>VII. Nam econtrario letitia mundi est velut somnium, uti pincernæ cui Joseph explicuit interpretationem.</i></p> <p><i>VIII. Est velut figura que præterit, & tantum temporaria est.</i></p> <p><i>IX. Unde licet mundus gaudeat, illius letitia est vera tristitia inter divitias, quarum satietas nova fames est.</i></p> <p><i>X. Inter honores, quibus undique cura, gladij & secures</i></p> |
|---|--|

T t

immi-

imminent, suntque tantum tria suspiria. XII. Tristemur ergo potius cum sanctis spe gaudentes, quia licet amara sint vulnera, sunt tamen divina consolationes suavia medicamenta, & Nepenthes Probatum.

XI. Inter voluptates que majores afferunt dolores. Unde melius est ire ad domum luctus quam ad domum conviviij.

Mundus gaudebit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Joan. 16.*

I.



Pto mihi hodie non succensere Medicos, si eorum pharmaca & medicamenta pellendæ tristitiæ inventa, ceu minus efficacia rejecero, & aliud longè salubrius & probatius in medium attulero. Inter animi affectus, qui sæpenumero extremam homiui perniciem & mortem afferunt est mœror & tristitia, quæ ex omnibus animi passionibus gravissima est secundum D. Thomam, & maximè corpori nocet: adeo ut plurimis ante tempus, delusis omnibus remediis, vitam adimat. Huic ægritudini curandæ librum à Chrysippo Philosopho conscriptum, eumque Medicis placuisse narrat Galenus. De Antiphonte Rhetore tradit Plutarchus quod *artem dolorum abolendorum condidit, qualem Medici ægrotantibus curationem promittunt, ac Corinthi ponè forum extructa taberna præscripsit, se eos qui in mœrore essent, verbis sublevare, auditisque ægritudinem causis, consolatus est ægros.* Æsculapium adversus animi affectiones suavibus

can-

D. Tho.
1. 2. q. 37
a. 4.

Galen.
lib. 3. de
loc. af-
fect. c. 1.
Plut. in
vit. 10.
Rhetor.
Moral.
P. 2.

cantilenis certasse, & per eas curatum Socratem in-
 finuat ex Lycophrone Galenus citatus. Helenium
 herbam ab Helena nomen habens vino mixtum
 mœroris pharmacum existimatam fatetur Plinius,
 cum ait: *Hilaritatis affectum eidem pota in vino, eum-
 que quem babuerit NEPENTHES illud prædicatum
 ab Homero QUO TRISTITIA OMNIS ABO-
 LEATUR*, Diodorus Siculus putat *Nepenthes* Æ-
 gyptium Helenæ non fuisse aliquod simplex medi-
 camentum, sed compositionem quandam ex pluri-
 bus mixtis. Ego si operationes rerum naturalium
 confectarer mallem simplicia quàm mixta, & præ
 omnibus allegatis subscriberem sapienti: *Date si-
 ceram mœrentibus, & vinum bis qui amaro sunt animo:
 bibant & obliviscantur egestatis suæ, & doloris sui non
 recordentur amplius.* Quod nec improbaret Varro,
 Nonnius, Horatius, Aristoteles, & huius commenta-
 tor Septalius. Verum cedat natura gratiæ. Aliud
 ego simplicissimum pharmacum mœrori pellendo
 & NEPENTHES PROBATUM observo in hodierno
 Evangelio, quo sanè nihil uspiam efficacius pos-
 sit inveniri. Exiguus bolus est MODICUM, quod
 sola cogitatione tristitiam omnem potest depellere,
 si respiciatur effectus: quia *Ad punctum in MO-
 DICO delerequi te, & in miserationibus magnis congre-
 gabo te.* Hæc cogitatio dulcorat omnem amaritiam
 adversitatum huius mundi; Hæc est efficacissi-
 mum pharmacum omnis temporalis tristitiæ &
 NEPENTHES PROBATUM à sanctis, quod erit
 scopus in quem collimabit hodiernus discursus.

II. Ambigentibus in hodierno Evangelio A-
 postolis quid esset illud toties repetitum *Modicum*,
 explicuit ipse Salvator illis verbis: *Mundus gau-*

Plin. lib.
22. cap. 11.

Diodor.
Sic. lib. 2.
Zavotti
lib. 1. de
Med.
Traâ.
Mart. c.
5.
Prov. 31.

Varro ap.
Nonn.
Marcell.
ver. cod-
gulum.
Horat.
Carm. lib.
2. Ode 11.
Aristotel.
sect. 30.
probl. 1.

bit, vos verò contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Quasi diceret, mundi gaudium est modicum, & vestra tristitia est etiam *Modicum*, nolite ergo tristari, quia si feceritis reflexionem supra utrumque *Modicum*, præligetis *Modicum* tristitiæ, quia hæc tristitia vestra vertetur in gaudium, non tantum in futuro sed in præsentia. Videtur hanc cogitationem habuisse Hugo Cardinalis inquiring: *Dicit modicum quod patimur re, & tempore, respectu gloriæ æternæ, quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.* Cui manum porrigit Seneca vitæ brevitatem describens: *Præsens tempus brevissimum est, adeo quidem ut quibusdam nullum videatur: in cursu enim semper est: fluit & præcipitatur: ante desinit esse quam venit.* Tam brevitempe longa non potest esse tristitia, & quantacunque illa est, temperatur dulcedine speratæ gloriæ. Unde Apostolus huic veritati subscribens, omnem tribulationem huius temporis momentaneam afferit: *Momentaneum & leve tribulationis nostræ.* Quasi ad dictum Isaïæ alludens: *Ad punctum in modico dereliqui te.* Quæ mox aliis verbis explanat: *In momento indignationis meæ abscondi faciem meam, &c.* Omnis vita hominis quantacunque illa fuerit momentum est, punctum est, *Modicum* est comparata æternitati. Et, quis nolit, ut loquitur D. Augustinus, *ad horam uri Laurentij igne, ut æternum gehennæ non patiatur incendium, & ut reportet æternum gloriæ pondus.*

III. Mirabilem visionem aliquando vidit Ezechiel Propheta de quatuor animalibus, quas comitabantur rotæ *Aspectus rotarum, & opus earum quasi sit rota in medio rotæ.* Quid hoc aliud sibi velit, quam quod eadem rota tribulationis habeat fundamen-

tum

Hugo
Card. in
Joann.

Sen. de
brev. vi-
tæ. c. 10.

Isai. 54.
v. 7.

S. Aug.
serm. 30.
de SS.

Ezech. 1.
v. 16.

tum spei, & aliam rotam contineat, quæ revolvit retrorsum infortunia & adversitates volubiles instar rotæ. Unde Justinus Martyr hæc ponderans inquit: *Ostendit eis Propheta rotam in rota, eis annuntians Judeorum in captivitate aduersionem, & reductionem in sua.* Et clarius in rem nostram Apollinarius: *Rota ad rotam significat tum judicia, tum misericordiam, quæ a Deo successivè & quasi per orbem procedunt.* Non speret aliud Christianus in adversis nisi rotam in rota: rotam æternitatis cuius centrum ubique, circumferentia nusquam (quod de Deo dixit non nemo) in rota temporalis adversitatis; quod quidem etiam in hac vita solet accidere, uti Seneca inquit: *Sæpè maiori fortune locum fecit injuria.* Fortuna in rota pingitur, quia volubilis. Planè fortunæ rotæ quas vidit Ezechiel, unde addidit: *Et rotas illas vocavit volubiles &c. Et spiritus vitæ erat in eis.* Vitæ nimirum semper duraturæ.

IV. Huic spei fundamento innixi Sancti in ipsis tribulationibus, imò tormentis delibuti sunt gaudiis & delitiis. Intuere Machabæos in sartagine, credes post prandia decumbere in pulvillo: Vide Danielis socios in fornace; credes à flammis tanquam flabris ventilari ad solis æstum temperandum, Ipsum circumspice Danielem in leonum medio; non dices discumbere inter catellos & columbas? Laurentium considera in craticula; non putes molli lectulo decumbere? Tiburtium si videris nudis calcantem prunas pedibus; arbitrare per viam rosis stratam inambulare. Christinam inter serpentes, judicabis inter amica fercula delitari. Agnetem inter ignes dices medio cinctam rore. Luciam pice ferventique oleo delibutam flammis-

Justin. M.
1. 44.

Sid. Apol.
linar.

Sen. Ep.
92.

Ezech. 10.
v. 13. &
17.

Scrib.
Civi. Pa-
tient.

que circumfusam; credes molliter spirantis Zephyri aura recreari. Innumeros alios si contemplatus fueris, audies ab illis illud Regij Prophetæ *Transivimus per ignem & aquam, & eduxisti nos refrigerium*. Momentaneus est hic transitus, permanens refrigerium. Olim ignis & aqua præferebantur sponlis, in nuptiarum auspicia, quin & novæ nuptæ huiusmodi donaria apponebantur teste Pierio. Anima Christiana habet *Sponsum sanguinum*, cum quo in lectulo Crucis requiescit. *Lectulus noster floridus*, cuius titulus est *JESUS Nazarenus*, quia scilicet in eo ipse Christus, ut loquitur D. Basilus; *tormentis quasi variis flosculis jucundabatur*.

V. Inter benedictiones quas dedit Moyses moriturus filijs Israël etiam illa est data tribui Zabulon & Isachar. *Immolabunt victimas justitiæ. Qui inundationem maris quasi lac sugent*. Quod hoc genus antilogiæ? mare amarum, & lac dulce. Nimirum electi, qui immolant corpora sua ceu victimas Deo omne quod amarum est pro dulcedine habent. *Inundationem maris*, non guttas, non stillas, non menfuras, sed inundationes afflictionum & tormentorum suaviter sugent, quasi lac sugerent. Hoc agnovit S. Augustinus cum Deum alloquitur: *Tu es Domine dulcedo inestimabilis, per quam omnia amara dulcorantur*. Et S. Virgo Thecla teste S. Basilio inter crudelia supplicia clamabat: *Mihi omne etiam mortis, & discriminis genus subeundum, ipsiusmet Paradisi delitiis epulisque præponitur*. De S. Paulo testatur S. Chrysostomus quod inter adversa & persecutiones ingenti semper gaudio exultaverit: *Cum videret, inquit, quasi nivis cumulos tentationes quotidie ingruentes, non aliter quam si in medio Paradiso vixisset,*

ita

Psal. 65.

Pier. Valer. Hier. rogl. l. 46. Cant. 1. S. Basil.

Dent. 33.

S. Aug. soliloq. cap. 22.

S. Basil. Seleuc.

S. Chrysof. hom. 1. in Ep. 2. ad Corinthib.

ita gaudebat gestiebatque. Ac proinde, qui hoc gaudium gaudet, non potest ab animi perturbatione vinci. Idem dixeris de aliis sanctis cum supra allegato Augustino: *Tua dulcedo Stephano lapides torrentis dulcoravit; Tua dulcedo craticulam B. Laurentio dulcem fecit. Præ tua dulcedine ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilij. Ibat Andreas securus ad crucem & gaudens, quoniam ad tuam dulcedinem properabat.* &c. Ecce quale NEPENTHES è suo calice propinavit Salvator suis Apostolis, & per eos omnibus Christianis, ut in afflictionibus & ætumnis, in persecutionibus & carnificinis, læti, hilares, gaudentes sint. *Tristitia vestra vertetur in gaudium.* PROBATUM est.

VI. Observat S. Chrysostomus quod tristitia & tribulatio sanctorum non sit vera tristitia vel tribulatio, sed solum apparens, re ipsa verò sit summum gaudium, & voluptas, idque elicit ex verbis Psalmistæ: *Dixi forsitan tenebræ conculabunt me: & nox illuminatio mea in delitiis meis.* Ad quæ verba aureus orator ita disserit: *Nox manens nox, mala scilicet & calamitates (ea enim noctis nomine significat) non potuerunt me conculcare, sed fuit lux in nocte, Contraria enim in contrariis & sunt & apparent, quando vult Deus &c.* Quam veritatem deinde roborat exemplo fornacis Babylonicæ, in qua nec ignis exstinguebatur, nec ros exsiccabatur. Alterum cum altero contrarium amicitiam iniit, & ignis ardebat apparenter urens non tamen urens. Fallor annon hoc ipsum Paulus insinuaverit illis verbis: *quasi tristes, semper autem gaudentes.* In tristitia electorum tale gaudium est, ut tristitia non sit vera tristitia, sed solum quasi tristitia, usque adeò voluptas illa & gaudium internum quod Deus immittit Sanctis suis omnem ama-

Psal. 139.

S. Chry-
sost.

2. Cor. 6.

S. Aug. in
Psal. 48.

amarorem dulcorat, & absorbet fel cujuscunque tristitiæ vel adversitatis. Propterea dicit Apostolus *quasi tristes*, & non subjungit *quasi gaudentes*, sed potius *semper gaudentes*. Quo respexit S. Augustinus: *Non dicit Apostolus quasi gaudentes, sed semper gaudentes, quia gaudium nostrum non habet quasi.*

VII. Revertor ad S. Chrysostomum, qui in hac materia adhuc aliquid amplius meditatur. Nimirum, sincerum gaudium & voluptatem non posse esse nisi in adversis & afflictionibus, ut proinde sensus verborum Christi ille sit: *Tristitia vestra vertetur in gaudium*. Vos soli, quos exercebunt afflictiones, persecuciones, mœrores & amaritudines, sentietis verum, sincerum, solidum gaudium. Atverò *mundus gaudebit* quidem, sed non erit opus ut ejus gaudium in præsentia vertatur in tristitiam, quia ipsum illud gaudium, quo mundus in tempore fruitur, est fictum, apparens, falsum gaudium, & si benè inspiciatur non est aliud quam tristitia. Verba oris aurei appono: *Gaudebant Apostoli cum flagellarentur, Paulus hoc admonet dicens. Gaudete in Domino. Et quomodo gaudere licet ubi sunt vincula, ubi tormenta, ubi judicia? Hic maxime gaudere licet. Quomodo verò licet ubi non hæc? Qui namque nullius sibi magnæ rei conscius est, quomodo delectabitur? Itaque quanto maiorem dixeris tribulationem, tanto maiorem dicitis voluptatem.* Negat Chrysostomus extra vincula, extra tormenta, judicia, persecuciones, tribulationes verum gaudium aut voluptatem reperiri, sed ibi asserit maiorem voluptatem, ubi est maior tribulatio, ergo ibi nulla voluptas ubi nulla censetur esse tribulatio: quasi diceret *Mundus gaudebit*, sed malè gaudebit, quia gaudium mundi apparens est,

S Chry-
sost. hom.
62. ad
pop.

est, mœror est, tristitia est. Ut hoc ulterius probemus.

VIII. Subeat memoriam Pincerna ille Pharaonis cujus somnium in carcere interpretatus est Joseph. *Hæc est interpretatio somnij. Tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharaon ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisque ei calicem juxta officium tuum &c.* Quid obsecro sibi vult quod Deus per somnium volebat indicare Pincernæ restitutionem ad pristinum munus? Multis sæpè accidit hæc vicissitudo ut eximerentur à periculo, ut recuperarent pristinam fortunam, neque tamen per somnia id illis indicatum est. Cur iste ante eventum somniat quod futurum est. Vultis scire? Munus Pincernæ erat quidam honor & dignitas mundana, quæ si benè inspiciatur, non est aliud quam somnium. Est observatio S. Ambrosij: *Per somnium videt reddi principatum suum, sed hoc somnium est, & omnis potentia sæculi somnium non veritas est.* Prorsus somnium, imò nihil ut canit Psaltes de mundi amatoribus: *Velut somnium surgentium Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges.*

IX. Quod Psaltes vocavit somnium, hoc Apostolus nominat figuram. *Præterit figura hujus mundi.* Figura & imago idem sonant: somnia ex imaginationibus oriuntur. Sufficisset dicere. *Præterit mundus,* sed addit Apostolus figuram, ut ostendat quid sint & qualia mundi gaudia. Nam ut ait Tertullianus *Omnia imaginaria in seculo & nihil veri.* Eodem sensu Theophylactus versans allegata Pauli verba: *Mundi verò ideò dixit figuram, quia eius bona solo terminentur aspectu, & apparentia sint, & nullo fundamento subsistant.* Clarius adhuc Chrysostomus:

Gen. 40.

S. Amb.
lib. de
Joseph.

Psal. 72.

I. Cor. 7.

Tertull. de
coron.
mil. c. 31.Theophyl.
ap. Pel-
legr.

S. Chry-
sost. in
Ep. ad
Corinth.

*si rectè incedere voles, ne te adaptes ad præsentis vite figuræ. Nam si divitias obieceris, si gloriam, si delicias, si ve aliud quodcunque ex iis, quæ magna esse videntur, figura tantummodo sunt, non ipsius quæ in rebus est, veritatis demonstratio. Vides ergo, quàm vana sint mundi gaudia, quàm nulla, quæ sola figurâ terminantur. Substantiam quæramus non accidentia. Sed ut ingemiscit Seneca: *Ista imaginaria sunt, & ad tempus aliquam faciem ferunt: nihil horum stabile, nec solidum est: & nos tamen cupimus tanquam aut semper futura, aut semper habituri. Sc. Contemnamus omnia quæ adeo pretiosa non sunt, ut an sint omninò, dubium sit.**

Sen. Ep.
58.

Sen. Ep.
59.

X. Nihilominus tametsi hæc verissima sint, ut desipere videatur, qui contradicat: *Mundus gaudebit.* Sed quomodo? tristitiâ, mœrore, dolore, afflictione. Omnia quippe in quibus gaudia sua reponunt mundani, plena curis, sollicitudinibus, doloribus, animi afflictionibus. Audi iterum testem Senecam, nec dubita quin expertum. *Ad gaudium inquit ille, cupis pervenire, sed erras, qui inter divitias illuc venturum esse te speras. Inter honores gaudium, id est inter sollicitudines quæris? ista quæ sic petis tanquam datura letitiam ac voluptatem, causæ dolorum sunt. O quàm Christianè, quàm sapienter, quàm verè! Mundi gaudia solo nomine sunt gaudia, sunt pomum Fenellæ quod spicula contegit. Qui affluunt divitiis, non carent vitiis, semper attoniti, inter spem metumque varij, inter sollicitas cupiditates anxij, inter amittendi timorem pallidi. Levior est dolor non habere quam perdere; tolerabilior non acquirere, quàm dimittere. Maiorem sollicitudinem quærit, qui magna sollicitudine opes congregat. Hæc non sunt gaudij sed dolorum causæ. Quid ti-*

tibi divitiis opus est, quæ te esurire cogunt? Primus omnium satietate parasti famem, ut quo plura haberes, acrius quæ non habet cuperes. Aiebant Legati Scytharum ad Alexandrum.

Q. Curt.
lib. 7. de
reb. Alex.
num. 8.

XI. At verò, qui delictantur honoribus, premuntur Oneribus, semper animo suspensi, & in præcipitia proni. Membrana est dignitas, quæ legit timere, expauescere, securitati suæ diffidere, invidere, suspicari. Tam magnam carnificinam tam tenue velamentum operit. Saturninus Gallus in Ægypto sub Aureliano Dux Limitis orientalis acclamatus Augustus, ingemuit; &c. *Nescitis* (inquiebat) *amici, quid mali sit imperare. Gladij & tela nostris cervicibus impendent: imminent hastæ undique, undique spicula: ipsi custodes timentur, ipsi comites formidantur: non cibus pro voluptate, non iter pro auctoritate, non bella pro judicio, non arma pro studio.* Facilis ex alto lapsus, abrupta sublimibus adiacent. Non diurna modo sed & nocturna inquietas purpuram vexat, & somnum stimulis exagitat, quemque natura ceu portum lassò dedit, hunc in altum naufragiis infame pelagus excutit sollicitudo. Non erravit, qui dixit regnum esse tria O! seu tria suspiria, primum cum ambitur, secundum cum obtinetur, tertium cum amittitur. Expertus id suo malo Marius ille ex machærofabro triduanus Imperator. De quo Trebellius Pollio. *Ut Consul ille qui sex pomeridianis horis Consulatum susceptus tenuit, à M. Tullio tali aspersus est ioco: Consulem habuimus tam severum tamque censorium, ut in eius Magistratu nemo pranderit, nemo cenaverit, nemo dormierit: de hoc etiam dici posse videtur, qui una die factus est Imperator, alia die visus est imperare, tertia interemptus est.* Sors eadem manet omnem

Flav. Vesp.
pisc. in
Saturnino
c. 10.

Treb. Pol-
lio in 30.
Tyrant.
num. 8.

in mundo ambitionem. Casus unius cœterorum est periculum.

XII. Denique, qui in voluptatibus olidis non solidis volutantur, quid habent aliud quàm fastidia, turbationes animi, suspiciones, inquietudines? *sicut deprehensi mari Syrtico* (libet rursùm Philosophari cum Seneca) *modo in sicco relinquuntur, modo torrente unda fluctuantur: ita qui se voluptati tradidère, non ipsi voluptatem, sed ipsos voluptas habet: cuius aut inopia torquentur, aut copia strangulantur. Miseri si deserantur ab illa, miseres, si obruantur.* Et hæc quispiam mundi gaudia reputet gaudia? rectius dixeris dolores, & afflictiones spiritus, quæ animum exulcerant, conscientiam torquent, curas & sollicitudines pariunt, metus & terrores accersunt, ac denique in miserandos sæpè casus, & lamentabilem mortem corporis & animæ præcipitant. Et tamen *mundus gaudebit.* Gaudeat sanè si nobiscum tristari recusat. Nobis *melius est ire in domum luctus, quam in domum convivij,* & imitari Ecclesiasten, qui de se profitetur: *Dixi ego in corde meo: vadam & affluam deliciis, & fruam bonis. Et vidi, quod hoc quoque esset vanitas. Risum reputavi errorem, & gaudio dixi, quid frustra deciperis?*

XIII. Dimittamus ergo mundum gaudere, & frui gaudiis exulcerantibus animam, nos cum Christo, cum sanctis tristemur *spe gaudentes, in tribulatione patientes:* & pellendæ si qua est tristitia nostra adhibeamus hoc salubre NEPENTHES, quod expertus David canebat: *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tue letificaverunt animam meam.* Ad quem locum apponit S. Augustinus: *Multi quidem dolores, sed multe consolationes: a-*

ma-

Sen. de
vita beata
c. 15.

Eccles. 2.

Psal. 93.

S. Aug.
in Psal.

mara vulnera sed sua via medicamenta. Tribulatio & tristitia bonorum MODICUM est, exiguus bolus, qui simul est NEPENTHES excludens amarorem, & asserens verum gaudium, quod vel Philosophus sæpè memoratus agnovit, cum dixit: *Gaudium non nascitur, nisi ex virtutum conscientia. Non potest gaudere nisi fortis, nisi justus, nisi temperans.* In hoc sistamus, & erit nobis in omni amaritudine dulcedo & gaudium NEPENTHES PROBATUM Christo, PROBATUM Apostolis, PROBATUM sanctis omnibus.

Sen Ep. 59



DISCURSUS XXVI.

Dominica IV. post Pascha.

Momus Phantasta.

T H E M A.

Arguet mundum de peccato, & de iustitia,
& de Judicio. *Joan. 16.*

S Y N O P S I S.

- I. *Momus nocens & somni filius phantastica progenies ob temerarium iudicium odio habitus ab omnibus, multos hodie habet successores, quos judicabit Deus sibi magis quam aliis noxios.*
- II. *Qui ex phantasia operantur,*
- III. *Unde tot insana iudicia, ut quidquid agatur in diversum sensum trahant eiusmodi censores.*
- IV. *Si-*

- IV.* Sicut Phariseus Simon qui Magdalenam peccatricem iudicabat, quæ tamen Christo plus placuit, quam ipse, propterea ipse minus honoratus quam illa. Non debemus iudicare juxta intuitum, sed explorare prius uti vulpes transitura glaciem.
- V.* Solus quippe Deus rimatur interiora cordis, & solus Rex agnovit in nuptiarum parabola, quis discumbentium non haberet vestem nuptialem.
- VI.* Nos tamen uti Momus ex phantasia solemus operari; non uti Deus cuius oculi sunt columba lacte lota, videntes sine Imaginatione.
- VII.* Consideranda esset debilitas nostræ visionis, quæ sit per speculum in ænigmate, cuius est aliter rem representare quam sit; qui ita speculantur proximum, malè speculantur Deum, cuius jurisdictionem invadunt: qui cum sit totus
- oculus, lentè tamen iudicat, & accuratè inspicit.
- VIII.* Inexcusabiles sunt, qui cum ipsimet rei sint, alios iudicant, & abutuntur Dei officio. Exensanda sunt omnimodo quæ videmus in aliis, & suspicamur non esse recta.
- IX.* Et oportet nos in iudiciis esse velut mortuos, qui nihil iudicant eorum quæ circa ipsos aguntur. Si tales essemus non iudicaremur à Domino, sicut ille, qui negligenter vivens, in morte consecutus est veniam, eo quod in vita neminem iudicasset.
- X.* Respiscant maturè, qui temerariè iudicant, ne plus sibi noceant, exemplo Comitissæ qui propter temerarium iudicium uxorem ad crudelem penam damnaverat, tandem miraculo per S. Udalricum patrato correctus.
- XI.* Cum ergo plura in nobis habeamus iudicanda, à iudicando proximo abstineamus.

Arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. *Joan. 16.*

I.



NOctis & somni partus non potest esse nisi phantasticus: nunquam enim magis in homine dominium exercet PHANTASTA quàm nocte & in somno. Sola tunc quiescentibus cœteris

ris facultatibus phantasia operatur. Unde non miror à veteribus postremum Deorum *Momum*, creditum fuisse Noctis & somni filium, qui corrupto & phantastico suo iudicio omnia pervertere, & non tam hominum quàm Deorum facta censurare præsumeret. Aiunt, cum iudex inter Neptunum, Vulcanum, Mineruam de artificio contententes delectus fuisset, ita exercuisse censuram, ut in singulis aliquid reprehenderit. Neptunus Taurum effinxerat. Vulcanus hominem, Minerva domum. Non placuit Momo Taurus, cuius armos potius quam frontem cornibus instructam volebat, ut maiore nisi totius corporis Taurus à se adversam vim propulsaret, ut testatur Aristoteles. In homine vulcani aiebat prætermissum, quod maxime necessarium fuisset, nempe fenestellam in pectore ut inspicere posset num fraudes & dolos, verum an falsum quisque in animo strueret. Domum Minervæ non probavit, quod non esset trusatilis, quæque facile posset circumagi, si malum haberet vicinum. Stultissimus planè iudex, & ad nihil aliud aptus, quàm cavillari aliena & carpere tam humana, quàm divina, ipsamque adeò Jurisdictionem Dei invadere. Nec desunt hodieque in mundo eiusmodi iudices MOMI PHANTASTÆ, censes bonorum & malorum, arbitri cogitationum & operum humanorum æquè ac divinorum, qui suis censuris aliud non consequuntur, quàm ille veterum MOMUS ob in consultam reprehendendi orexim Diis & hominibus odio habitus, contra quos Salvator noster in hodierno Evangelio promittit venturum Spiritum Sanctum, qui eorum censuras & iudicia meliori submittat iudicio: *Arguet mundum de peccato,*

Hesiod. in Theog.

Arist. lib. 3. de part. animal. Lucian. Dial. de hæres. Polycharm. lib. 2. Lyciar.

Nat. Com. Mythol. lib. 9. c. 20.

S. Bern.
ap. Man-
si in A-
rar.

cato, & de justitia, & de judicio. Hæc S. Bernardo i-
ta placuit explanare: *Arguet mundum de peccato quod
dissimulat, de justitia quam non ordinat, dum sibi non Deo
eam dat: de judicio quod usurpat, dum tam de se quam de
aliis temerè judicat,* Nemini magis quam sibi nocet
iniquus & temerarius censor, & hæc erit hodierni
Discursus materia, in quo non recusò censores e-
tiam illos, quorum censuras censuræ subijcio.

II. Imaginativæ facultatis seu phantasiæ tam
miræ sunt operationes, ut sapientissimis quando-
que imponant. Munus eius est species & formas ab
externis sensibus oblatas apprehendere & intelle-
ctui proponere. Unde illud vulgatum *Nihil est in
intellectu, quod non prius fuerit in sensu.* Cum ergò sæ-
pè sensus externi decipiantur, quid mirum & phan-
tasiam perturbari, falli & decipi, ut sæpè numero
in delirium si non vergat, vergere videatur, certè
intellectui verum proponere nequaquam possit.
Fuit qui ex imaginationis vehementia tam vastum
nasum habere se credidit, ut nullæ portæ illi pervi-
æ essent. Alius è lecto prodire volebat, quod cre-
deret se in Insula morari, & mundum reliquum ex
vitro compositum sub quo serpentes laterent, ac si
terræ insisteret, metuebat, ne fracto vitro in serpen-
tes incideret. Persuasit alteri phantasia quod mortu-
us esset, ideòque sepeliri petebat, quem ut curaret
Medicus feretro imponi jussit & funebri apparatu
effèri, dein convitiis proscindi, quibus ille auditis
è feretro profiliit & convitiantem pugnis excipiens
revixisse se credidit. Innumera sunt eiusmodi cor-
rupta Phantastarum de seipsis judicia. Illud verò
an Phantasiæ vel oculorum vitium fuerit, quod ex
Aristotele refert Cardanus, relinquo in medio. E-

Levin.
Lemn. lib.
2. de com-
plex. c. 6.
Montan.
Consil. 25.
Jovian.
Pontan.
Holler. de
morb. in-
tern.
Jacob.
Ponta. in
Attic. Bel-
lar.
Jonso. in
Admiran.
Classe 10.
cap. 7. a r.
Stengel.
Judic. div.

rat inquit, qui suam imaginem ante se velut in speculo videret. Id si ille non finxit ostentationis causa, & levitate Græca, certè ob solam visus imbecillitatem accidere non potuit, sed accedente ad hanc etiam summa anterioris partis cerebri caliditate, spiritusque tenuitate, efflati quoque vaporis crassitie, ut sic tanquam ex speculo reflecteretur.

III. Longè deterioris conditionis & flendi potius quam ridendi sunt illi Phantastæ, qui per solas falsæ suspicionis apprehensiones corrupto iudicio, aliena dicta, facta, cogitata iudicant, & quales fortè ipsimet sunt, tales alios esse credunt, videntes quasi reflexè seipsos inspeculo. *Sunt aliqui (inquit S. Gregorius) qui de omnibus malè iudicant. Dicunt enim si quis studet & vacat humilitati hypocrisis est; si recreationi gulosus est, si patientiæ timidus est: si justitiæ impatiens est: si simplicitati fatuus est: si prudentiæ maliciosus est: si maturitati pblegmaticus est: si iucunditati, dissolutus est: si religioni singularis est: si societati, secularis est: si silentio & paci, dissimulator est: si aliorum correptioni, præsumptuosus est: si instans vigiliis & orationibus, indiscretus est: si prædicationi & aliorum salutem, appetitor laudis est: si desistat, negligens est: si habet gratiam hominum, adulator est, si adulari renuit, dicitur quod superbus est.* O quantus error in mundo ludit, dum ea rimari molimur, quæ soli Deo perspecta sunt! Lynceos oculos nos habere credimus; talpæ sumus. Quoties sub modesto & composito vultu libidinibus cor natat, & viceversa sub hilariorum facie castissimus animus! quoties demissi oculi obvelant occultam superbiam, erecti humilitatem! quoties blanda & mellea verba incrustant crudellem animum: asperiora benevolentiam! Latent

To. 2. c.
56.
Jac. Bi.
denc. in
Utop.
Cardan.
de rer.
var. lib.
8. c. 43.
Arist. lib.
3. Me-
teor. c. 4.

S. Greg.
lib. 26.
Moral.

sub amica compellatione hostiles insidiæ, sub reprehensione sinceritas. In verbis magna crepantibus imbellis animus, in modestis generosus. Rubet sæpè jejunantis vultus, pallet helluonis gastrimargi. Multa spondent qui avari sunt, parcunt verbis liberales. Externa membrorum compositio mentem abscondit in compositam, compositam hilaris libertas. In publicis laudibus latet privata detractio; publica correptio est instar privatæ laudis. Frequentius in proditore vultus ridens, in amico severus est: in serena fronte mens turbida, in turbida pacata. Et licet os, frons, oculi, vultus, incessus, plerunque animorum sint indices, sæpillimè tamen fallunt, ut proinde ex his nulla certa censura vibrari possit, nulla ferri sententiâ cui non possit, aut non soleat subesse falsum.

S. Aug.
ap. Lang.
v. Judic.

Luc. 7.

IV. Hæc scimus, & sæpè nos deceptos serò agnoscimus, nihilominus *Temerariis judiciis plena sunt omnia. De quo desperamus subito convertitur, & fit optimus. De quo multum præsumperamus, deficit, & fit pessimus*, verba sunt S. Augustini. Vix dixerat Pharisæus de Magdalena & Christo geminato iudicio temerario: *Hic si esset Propheta, sciret utique quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et illicò audiit: Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Et de Christo discumbentes cum admiratione: *Quis est hic, qui etiam peccata dimittit.* Christus iudicatus erat quasi non esset Propheta, Magdalena quasi non esset peccatrix, sed Christus ostendit se plusquam Prophetam, & Magdalenam non amplius peccatricem, sed iustiorum illo qui temerariè iudicaverat. Imò ipse tunc Simon compositus Magdalenæ iudicatus est à
Chri-

Christo, & quidem suomet judicio condemnatus, quod minus Deum diligeret quam illa reputata peccatrix, quia non exhibuit Domino tantum obsequium quantum illa. Phariseus erat Simon qui judicabat, vulpes erat prout alibi Phariseos videtur nominasse Christus, cum dixit: *Vulpes forvaeas habent*, nec tamen sciebat vulpinari: Vulpes cum glaciem transire vult, aurem applicat num aquae strepitum audiat, & inde colligat num gelu fatis solidum sit, nec fidit si murmur aquae percipiat, scrutatur prius abscondita, exteriori superficiem non credit: Sic qui in alios censuram exercet nisi penetret interiora judicare non debet, quia externa saepe fallunt. Unde nonnemo ad instruendos temerarios judices pinxit vulpem ad gelu applicantem auriculas cum lemmate: *Non juxta intuitum*. Videmus saepe hominem rubicundum, bona corporis habitudine, illicò ferimus sententiam: Vorax est, & potator vini, cum sit fortè abstemius: *Non juxta intuitum*. Videmus virum religiosum prodeuntem ex domo suspecta & vicinis parum probata, mox bacillum frangimus, & pronuntiamus scortatorem, cum fortè longè alia intentione domum ingressus fuerit, uti Vitalis Monachus, cui de prostibulo egredienti quidam temerarius judex, suspicans libidinis causa illuc ingressum, infregit colaphum, sed Deo qui videt in abscondito vindicante, à Dæmone obsessus est, nec ab alio quam ipso Vitali potuit liberari. Ingrediebatur autem Vitalis ut meretrices à turpi corporis quaestu avocaret, & pecunia persoluta saltem unius noctis continentiam persuadebat. *Non juxta intuitum*.

V. Et quis ille est qui possit scrutari interiora,

Picineſſ.
Mundi
Symb. lib.
ſ. n. 486.

Steng. de
Judic. Fol.
2. c. 34.

*x. Reg.
16. 7.*

Matth. 22

quo fine quis, quid faciat, nisi solus Deus? qui Samuelem instruens aiebat: *Nec iuxta intuitus hominis ego judico: homo enim videt ea, quae patent: Dominus autem intuetur cor.* Cuius veritatis claram parabolam in sacris literis habemus expressam apud Evangelistam Matthæum. Rex qui fecerat nuptias filio suo, miserat servos suos vocare invitatos, quibus excusantibus, & ob id missò exercitu deletis, iussi sunt famuli ire ad exitus viarum, & quoscunque invenisset adducere: quod cum fecisset, & collegissent bonos & malos ut habet textus; venit Rex ut videret discumbentes, & unicum observavit inter eos, quem reiecit: *Amice quomodo huc intraisti non habens vestem nuptialem.* Sed quid egerunt famuli quod talem intromiserint? nonne ipsis incumberebat admittere decenter vestitos? excludere indecenter vestitos? cur solus Rex notavit indignum regia mensa? Nempe Regi Evangelico non fuit quæstio de externa veste, cum loqueretur de nuptiis regni cœlorum, sed de ornatu animæ quem famuli non poterant dignoscere, sed solus Rex, id observante Paschasio: *Quia malos in conscientia intus intelligere non omnium est; ideo hunc malum solus Deus terribilis & Rex magnus invenit.* Unde & per vestem nuptialem intelligunt Patres Tertullianus, Origenes, Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus & alij charitatem, bona opera, & vitam fidei Christianæ congruentem, cuius inspectores esse non poterant servi, sed Rex ipse, Deus ipse. *Dominus autem intuetur cor, qui arguet mundum de iudicio.*

*Paschas.
lib. 10. in
Matth.
Tertull.
lib. de
Resurrect.
carn. Am-
brosii serm.
14. de
Nat.
Dom. Ori-
g. Chry-
sost. &c.
ap. Mal-
don.*

VI. Quæ cum sint verissima, non possum satis mirari quomodo nihilominus multi, qui & videri volunt prudentes, & sapere supra alios, ex levif-

simis frequenter iudiciis de proximo iudicare præsumant & ferre sententiam, nisi quia cum non sapiant quantum oportet, & ad sobrietatem, secundum apprehensiones PHANTASIÆ operantur, & censuram exercent ut MOMI. *Pes fatui facilis est ad domum proximi.* Ait Ecclesiastes, & alio loco: *In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Nemo quærit alterum in angulo, in quo prius ipse non fuit, & potior eiusmodi censorum pars in eo ipso delinquit in quo alios reprehendit; imò hoc ipso cum alium iudicat, seipsum condemnat. Propterea dicebat Ambrosius: *Judicet ille de alterius errore, qui non habet in seipso quod condemnet: judicet ille qui non agit eadem, quæ in alio putaverit esse puniendâ, ne cum de alio iudicat, in seipsum sententiam ferat.* Quis autem talis est, qui nihil in seipso habeat quod reprehendere possit, qui citra omnem culpam & defectum vitam exigit? Alienum esse ab omni vitio soli competit Deo. *Oculi eius sicut columbæ, super rivulos aquarum quæ lacte sunt lotæ.* Quam sententiam D. Gregorius Nazianzenus Ecclesiæ sic adaptat: *In lacte observatum est solum inter humida proprietatem hanc habere, quod in eo nullius rei simulacrum, ac similitudo conspiciatur. Quo fit ut hæc oculorum Ecclesiæ sit laus perfectissima; quod nihil quod non subsistat in rerum natura nihil erroneum, nihil varum, præter ipsam verum veritatem intueantur, erroneis huius vitæ spectris, & IMAGINATIONIBUS nequaquam admissis.* Quod de Ecclesia pura & immaculata dixit Gregorius multo fortius evincit de Deo, in quem nulla prorsus cadit IMAGINATIO. Et si Ecclesiæ filiorum est Deum imitari obsequi debent monito Bernardi: *Cave alienæ conversationis esse aut*

Eccles. 28

Eccles. 10

S. Amb. in
illud. Beati
Immaculati.

Cant. 5.

D. Greg.
Naz. O-
rat. 13.
in Cant.S. Bern.
serm. 40.
in Cant.

curiosus explorator, aut temerarius iudex. Etiam si perperam actum quid deprehendas, nec sic iudices proximum, magis autem excusa.

VII. S. Paulus admonens Corinthios de suæ visionis debilitate aiebat: *Videmus nunc per speculum in enigmate*, quod Clemens Alexand. ad res creatas extendit. Porro advertendum est, quod non dicat simpliciter in speculo, sed addat in ænigmate, quia ænigma est obscura repræsentatio rei, aliud prima fronte proponens quàm recondat, & nihil minus significat, quam quod maximè significare videtur.

Quemadmodum visio cernitur in aquis, tales sunt quæ ex imbecillitate cernuntur PHANTASIÆ. Belle! Visio nostra quam vibramus in facta & dicta proximi est visio in aquis, quæ plerunque fallit, & baculus qui alioqui rectus est, apparet curvus vel fractus: & rectius loquendo, quia est visio *ex imbecillitate*, est propriè PHANTASIA. Unde inconsiderati Iudices, & morum voluntarij Censores, sunt MOMI PHANTASTÆ, qui dum malè speculantur in speculo proximum, malè etiam vident DEUM *per speculum & in enigmate*. Nam si rectè Deum contemplantur, non essent tam audaces in præcipienda illi soli debita iudicij & censuræ internorum Jurisdictione. *Judicare, est impudens direptio di-vine dignitatis*, ait Climacus. Itaque *nolite iudicare ut non iudicemini*, quia ipse *arguet mundum de iudicio*, cuius proprium est iudicare: quod etiam testatur S. Jacobus in sua Epistola: *Unus est legislator, & iudex, qui potest perdere, & liberare. Tu autem quis es, qui iudicas proximum?* Benè quærit *qui es?* ut memineris tuæ conditionis quod fortè deterior sis quam proximus, quod fortè in eadem naviges celoce in qua proximus,

mus,

mus, quod sis cœcus & interna videre non possis, quod ex PHANTASIA solum opereris. *Deus totus oculus est*, ait S. Augustinus, & tamen dicit apud Sophoniam: *Scrutabor Jerusalem in lucernis*. Et cum vellet punire Sodomam & Gomorrhæam dixit, *Descendam & videbo*. Tam tardè se ad judicandum accingit Deus, qui omnia videt, & cœcus homo præcipitat iudicium, priusquam formare possit iudicium. *Dandum est semper tempus. Veritatem enim dies aperit*. Inquit Seneca.

Sophon. 1.

Sen. de
Ira. lib. 2.

VIII. Ejusmodi temerariis iudicibus loquitur S. Paulus: *Inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicas. In quo enim iudicas alterum, teipsum condemnas*. Quasi diceret: facis te reum arrogatæ authoritatis divinæ, & idcirco incurris ipse iudicium divinum. Eo sensu accipio illa verba Job: *Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini? Ipse vos arguet, quoniam in abscondito faciem eius accipitis*. Faciem Dei accipere non est aliud quam assumere personam Dei iudicis: hunc arguet de iudicio. Ubi rursum occurrit Jacobus: *Qui iudicat fratrem iudicat legem, si autem iudicas legem, non jam legis factor es, sed iudex*. Ad quæ verba S. Augustinus: *Noluit Deus hominem ab homine iudicari ex arbitrio suspiciouis, vel etiam extraordinario usurpato iudicio, sed potius ex lege Dei, secundum ordinem Ecclesiæ, siue ultrò confessum, siue accusatum, atque convictum*. Quid ergo agendum nobis est, si videamus proximum vel reipsâ, vel saltem apparenter & secundum nostrum intuitum malè agentem? hoc, quod suavit S. Bernerdus: *Excusa intentionem si opus non potes: puta ignorantiam, puta subreptionem, puta casum*. Quod si omnem omnino dissimulationem rei certitudo recusât, suade nihilominus ipse

Rom. 2.

Job. 13.

Jacob. 4.

S. Aug.
hom. ult.
ex 50.S. Bern.
serm. 4. in
Cant.

tibi, & dicito apud te metipsum. Vehemens fuit nimis tentatio: quid de me illa fecisset, si in me accepisset similiter potestatem? Hoc age: si secus egeris MOMUS PHANTASTA fueris, & coram Deo reus.

Rosvveid.
in Vita
PP. l. 4.

IX. Egregium monitum dedit Abbas Moyfes Abbati Pœmenio: *Debet homo quasi mortuus esse socio suo, ut non dijudicet eum in aliqua causa.* Qui mortuus est nihil amplius agit, nihil discurret, nihil committit dignum iudicio, non incurrit indignationem divinam, quia mortuus est. Veniunt hæredes scripti non scripti, non discernit mortuus an huic vel illi quidpiam debeatur; prima hæredum cura est inquirere in facultates, nummos numerare, dividere, postrema de eius animæ suffragiis, de Misfis & orationibus pro eo curandis: interim mortuus tacet & nullum iudicat: Uxor ad horam fundit lacrymas Crocodili, mox de alio marito cogitat in risum soluta: mortuus non iudicat ingrati, infidam esse. Veniunt creditores confectis creditis, exigunt importunè, solvuntur; mortuus non cogitat esse injustos alienæ substantiæ raptores, quia mortuus est: *Debet homo mortuus esse socio suo, ut non dijudicet eum.* Si ita iudicarem, non iudicarem a Domino, sed parceret nobis ipse in iudicio uti pepercit Monacho illi, de quo S. Anastasius Sinaita recenset: Exegit is per summam negligentiam & otium vitam suam, cumque ad extrema deductus nihil mortem perhorresceret, sed magna cum resolutione & voluntate supremum halitum exspectaret, adstantium unus eum allocutus est: *Frater inquires: meminimus te per negligentiam & remissionem magnam inter nos vixisse usque ad hoc tempus: unde ergo tibi tanta in extremis fiducia & securitas?*

Anast. Sinait. ap.
Bayon.
To. 8.
Anno
599.

Cui

Cui moribundus respondit: *Ita est Patres, vitam per summam negligentiam duxi: sed Angeli Dei eadem hac ipsa hora peccatorum meorum chirographum ad me detulerunt, cumque ea qua fecissem peccata legissent, nunquid agnoscerem interrogarunt. Quibus ego: agnosco inquam; sed ex quo renuntiavi seculo, vitamque institui monasticam, nec judicavi quenquam, nec ab ullo mihi factam injuriam meminisse volui. Igitur Domini verba ad me quoque pertinere opto, & oro, qui dixit: **NOLITE JUDICARE, ET NON JUDICABIMINI: DIMITTITE ET DIMITTETUR VOBIS.** Quæ postquam Angelis dixi, chirographum peccatorum meorum considerunt; & ideò nunc summa cum lætitiâ & securitate proficiscor ad Dominum. Hæc ubi moriens enarravit, Domino in pace spiritum reddidit, relicta adstantibus ædificatione, & posteris ad imitandum raro exemplo. Itaque nolite judicare, ut non judicemini. Ne incidatis in illius districtum judicium, qui *Arguet mundum de Judicio.**

Sanè multi hoc experti sunt gravissimum, & utinam maturè resipuissent, quorum unum vobis AA. proponam in exemplar, ut juxta eius emendationem vestra sciatis in tempore emendare judicia. In vita S. Udalrici Augustani Episcopi è vetustissimis codicibus ante seculum & amplius eruta, stupendus legitur casus de judicio temerario, per feriam deinde pœnitentiam revocato. Proficiscens S. Udalricus ad Rheni partes, incidit in Comitum magni nominis, qui eius sanctitatis famâ permotus, favoris loco habendum censuit, si talem hospitem vancisceretur. Evocatum igitur ad se excepit hospitio & splendissimo epulo adhibuit. Sub ipsum convivij initium introducta est miserandi vultus

*Stengel,
de Jud.
div. To.
3. c. 34.*

fœmina, emaciata, pallida, vix animam trahens, & cuius collo humanum caput tabidum catenâ vinctum pependit. Hoc triste mulieris spectrum in extremo triclinij angulo cum canibus prandere, hordeaceo pane & aqua contentum esse cogebatur. Exterruit Sanctum Antistitem adeò miserabile spectaculum, ut à cibo abstinens, ante omnia quæfierit, quæ nam esset hæc mulier, & quæ causâ tantæ immanitatis. Adhæc Comes : *Venerande Præsul, hæc quam coram intueris fœmina è primæ nobilitatis domo oriunda uxor mea fuit, sed per adulterium mea esse desit. Ea propter annum jam solidum sic pœnas luit, ut aliæ eius exemplo discant fidem thori servare sanctiorem. Mæchus fuit Equestris ordinis homo, cuius scelevatum caput à cervice resectum ferroque vinctum è collo amassæ noctes diesque pendulum fecit, ut etiam mortuum haberet in oculis, quem solebat vivum gestare in sinu.* Audiebat hæc D. Udalricus, & divinâ inspiratione, cognitâ mulieris innocentiam, ad Comitem conversus : *Fœdum inquit, est adulterij facinus, & perfidia supplicii digna. Ignis tamen vehemens est conjugij zelus, qui in gravia erumpit incendia : videndum est qua materia accendatur. Cum enim nihil sit facilius, quam errare in iudicando, ibi maxime erratur, ubi cœcus amor præcipitat iudicantem. Sed esto rea esset, num idcirco nos decet misericordie oblivisci? Nostra peccata vellemus clementer iudicari; imò mala quæ facimus, indignamur, si alij non iudicant esse bona, & in alienis culpis sumus tam severi exactores? Decipimur sepiissime in iudiciis. Sanctissimi quique viri, & innocentissimæ fœminæ, temeritate iudiciorum condemnati sunt. Indica mihi obsecro, unde tibi tam diræ suspicionis origo in mentem venit? anne miseram istam in flagranti crimine deprehendisti? aut quo argumento indu-*

tus

Quis es, ut adulterij ream damnares? Comes omnem vim probationis promens, deprehendisse se dixit aliquando unâ colloquentes. Hoc totum crimen erat ex suspitione & temerario natum iudicio. Quare denuo S. Udalricus: Nescis peccatum esse dubitare de proximi virtute, etiam quando quis neutram in partem per assensum propendet, & anceps hæret, si non innitatur sufficienti causæ, cum iniquè illum privet bonâ estimatione: quanto iniquius erit iudicare plenè ac deliberatè tam funestum malum, & non tantum iudicare, sed ad pœnam procedere? Num tibi hæc fuit causa sufficiens, ut adulteros iudicares, qui deprehensi sunt colloquentes? Apostoli viderunt Christum loquentem cum Samaritana, & nihil simile suspicati sunt. Nonne & tu sæpè cum aliis sceminis locutus es, igitur debuit & te uxor tua ut adulterum repudiare? si vita hominis à tam levi conjectura pendet, millies occidi meruisti. Ad damnandum aliquem in iudicio certitudo requiritur, & idonea testimoniorum probatio. Quod quia tu neglexisti, reus innocentem damnasti; neque illa jam est adultera, sed tu homicida. Itaque uxorem à pœna absolue, tu pœnitentiam age. Difficile est persuadere radicatis in concepta opinione, præsertim magnatibus, qui putant se errare non posse. Quare cum S. Udalricus videret Comitem non flecti, prodigio rem transegit. Advocatis ergo Sacellanis, & aliis adstantibus (erant omninò quadraginta) prolapsus in genua, iussis idem facere cæteris, Deumq; precatus est, ne antiqua sua miracula renovare dedignaretur. Non diù distulit Deus exaudire servum suum, sed per amputati capitis putrem jam linguam, hanc vocem edidit: Ego cum hac femina non peccavi. Quasi tonitru percussis steterunt omnes. Sed D. Udalricus divino in-

stinctu etiam cadaver occisi adferri iussit, quod sub patibulo sepultum exhumatum est, & illatum tricinio, tum caput à muliere demptum ad trunci corporis pedes depositum. O miram Dei potentiam! caput sponte sua à pedibus ad cervicem cadaveris accessit, eique coaluit, ut homo duodecim jam menses mortuus resurrexerit, & comitem allocutus sit: *Domine Comes innocentissimam conjugem tuam injustè judicasti, & indigno supplicio crudeliter afflixisti: nihil illa in te unquam peccavit, sed tu in illam.* Quis sensus tunc adstantium fuerit relinquo Auditorum cogitationi. Comes uberrimè illacrymās ad pedes conjugis provolutus, petitā veniā eam recepit in thalamum: habitaque est postea non solum in veneratione ob innocentiam, sed etiam pro sancta ob patientiam. Nobilem resuscitatum S. Udalricus secum Augustam reduxit, ubi in æde B. Virginis Deo ejusque matri gratias agendis inter Oeconomos quos Germani *Stüellbrüder* appellant, adhuc post mortem S. Udalrici totos viginti septem annos exegit. O admirandam Dei bonitatem, & misericordiam! qua & innocentibus consolvit, & errantem oviculam reduxit. Si hodie omnes deberent resurgere, qui per temeraria judicia oppressi & è medio sublati sunt, mundus eos non caperet. *Tanta enim (inquit Ambrosius) huius mali libido mentes hominum invasit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserunt, in istud tamen, quasi in extromum laqueum Diaboli incidant.* Et cui tales plus nocent, sibi an proximo? Augustini effatum verissimum est: *Temerarium iudicium plerumque nihil nocet ei, de quo temerè iudicavit: Ei autem, qui temerè iudicat, ipsa temeritas necesse est, ut noceat.*

S. Amb.
Epist. ad
Celsant.

S. Aug.
ser. de ver-
bis Do.
in monte.

XI. Quare obsecro vos charissimi ne proni aut præcipites simus ad iudicandos proximos, ne obliti fragilitatis nostræ ex inconsiderata levitate obvias arripiamus causas ferendi in alios sententiam, ne demus Deo occasionem iudicandi nos, cum ipsius invadimus jurisdictionem. Obtemperemus monito S. Chrysostomi: *Qui debebamus mala nostra lugere, alios iudicamus. At si mundi essemus à peccatis non deberemus hoc facere. Quis enim te discernit, inquit: Quid enim habes quod non accepisti? si autem accepisti quid gloriaris quasi non acceperis? Tu autem quid iudicas fratrem tuum, malis decem millibus cumulatus? Cum dixeris, ille malignus est, & prodigus, & pessimus, intellige teipsum, & examina cum diligentia quæ tua sunt, & pœniteat te de dictis tuis.* Si hæcenus iudicavimus, pœniteamus. Soli Deo iudicium.

S. Chry-
sost in Ep.
ad Hebræos.
hom. 23.

*Ipsè Arguet mundum de
Judicio.*



DISCURSUS XXVII.

Dominica V. post Pascha.

Cornu Amalthææ

THEMA.

Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. *Joan. 16.*

SYNOPSIS.

- | | |
|--|--|
| <p>I. Cui habere contigit Cornu Amalthææ, omnium rerum copiam habuit: tales sunt PRECES & orationes quia idem præstant.</p> <p>II. Unde quod Salomon dixit de Sapientia, quod cum illa omnia bona proveniant, vel expertus de oratione dicere potuit.</p> <p>III. Idipsum S. Chrysostomus compendioso orationis elogio expressit, quasi describens Cornu Amalthææ.</p> <p>IV. In praxim reduxit Eliseus Prophetæ, qui sola oratione armatus integrum superavit exercitum, & repulit Assyrios ab Israël.</p> <p>V. Bethulienses quoq; debellarent Holofernem oratione:</p> | <p>& Juditha eorum Bellona, precibus potius quam gladio trucidavit.</p> <p>VI. Quin & Britones contra Saxones pugnantes solo Alleluja decantato triumpharunt. Fulminatim legio victoriam attulit M. Aurelio Imperatori sola oratione. Theodosius Imp. oratione superavit, & delevit Eugenium Tyrannum; qua occasione Amouæ (nunc Labacum) Piæ cognomen meruit.</p> <p>VII. Cum ergo imminent hostes patrie, cum publica nos premunt necessitates, unanimes nos esse decet in oratione, quia plurium voces plus efficiunt.</p> <p>VIII. Idem agendum in privatis</p> |
|--|--|

tis necessitatibus, sed perseveranter, & petendo quod sit animabus salubre, præsertim

illud ex quo provenit gaudij plenitudo.

Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. *Joan. 16.*

I.

Libet auspicari sermonem hodiernum ab Introitu Missæ, & intonare: *Vocem Jucunditatis annuntiate Alleluja Alleluja*, hoc est *Laudate Deum*: non solum quia hoc est proprium Paschalis temporis melos, & argementum gaudij de gloriosa Filij Dei Resurrectione; sed vel maximè, quia propediem abiturus ad Patrem Filius ingens & inexplicabile donum Spiritum Sanctum se nobis è cælo missurum pollicetur: imò etiam quandam beatitudinis omnis collectionem, & divinum *Amaltheæ Cornu* liberæ nostræ voluntati offert, ut quidquid animus noster desideraverit, obtineamus. *Petite, inquit, & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Quis non felicem se reputet, si petendo, si orando consequi potest quidquid optat? Quis non medullitùs exclamet ac ingeminet: *Alleluja, Alleluja?* Comminiscuntur Poëtæ de *Cornu Copiæ*, seu *Cornu Amaltheæ* quod illud Amalthea Harmonij Ætolorum Regis filia quæ Jovis nutrimentem egerat, dono acceperit à Jove adulto, cum eo Privilegio, ut quisquis hoc *Cornu* potiretur, omnia ad nutum & libitum obtineret, quæ cuperet. Magnum sanè donum, si fabulosum non esset! Adhuc iidem somniantes in Parnasso, inter plurimas

Xant. in Ætol. Pherecyd. in Juno unpt. Alciun in reb. sicut. Natal. Com. lib. 7. c. 2.

mas Jovis proles etiam fuisse PRECES uti canebat Orpheus

non sine honore

Orph. in
Argon.
Natal.
Com. lib.
1. Myth.
c. 1.

Convenit esse PRECES, Jovis alto è semine natus: quod idcirco ait Mythologus excogitatum, *quia Reges & potentiores homines magna semper ROGANTIUM aliquid frequentia circumfistit*. Transeat nobis hæc fictio in veritatem. PRECES, & orationes fundere à Deo edocti sumus; has licet quasi DEI filias appellare, per quas nobis privilegium amplissimum concessum est, ut quidquid per eas petierimus obtineamus. *Omnia quaecunq; ORANTES petitis, credite quia accipietis*. Habent ergo nostræ PRECES quoddam *Cornu Amalthæum*, seu privilegium à Deo obtinendi quidquid petierimus: quid neget Pater filijs, & filiabus? Et quia hac hebdomate sunt Dies ROGATIONUM, magnâ frequentiâ circumfistamus thronum omnipotentis, petamus gratias quas desideramus præsentem vero sermone consideremus magnitudinem huius Privilegij & *Cornu Amalthæe, ut gaudium nostrum sit plenum*, quod erit thema mei discursus.

Marc. 11.

Sap. 7.

II. De sapientia, quam à Deo impetraverat profitetur Sapiens diffusus in ejus laudes: *Datus est mihi Spiritus Sapientiæ, & præposui illam regnis & sedibus &c. Venerunt autem mihi OMNIA BONA pariter cum illa*. Idem ego hodie meritò dixerim *de oratione*. Sanè cum ipsè Sapientiam, non obtinuerit absq; *oratione*, potiore jure deberet dicere: *Venerunt autem mihi OMNIA BONA pariter cum oratione*. Possedit divitias, quantas nullas Regum anteriorum, has solet largiri ORATIO, sedit in Regali folio, honoratus non tantum à suis, sed à remo-

tis & exteris Regibus : regna & honores confert
 ORATIO. Pace & quiete diuturna est fructus : pa-
 cem & quietem sancit ORATIO. Et si benè semper
 orasset, non errasset, non desipuisset in fine. Ut pri-
 mum desijt orare unum Deum & verum à quo
 Sapientiam acceperat, perdidit Sapientiam, nec
 amplius dicere potuit : Venerunt mihi OMNIA
 BONA pariter cum illa. Deos fictiles orando er-
 ravit, (& audiijt latem in se sententiam : *Disrumpens*
scindam regnum tuum, & dabo illud seruo tuo. Regno-
 rum munimen, tutela, & armatura sunt PRECES.

3. Reg. II.

III. Divus Chrysofostomus post contextum in-
 gens ORATIONIS elogium, in Epitamen colligit
 ejus privilegia, cum ait : *Fons & radix BONO-*
RUM OMNIUM & innumerabilium ORATIO
est. Similiter D. Augustinus excurrens in laudem
 Psalmorum, qui non sunt aliud quàm laudes &
 ORATIONES ad DEUM : *Omnia prorsus in his, ve-*
lut magno quodam & communi thesauro recondita, atq;
conferta sunt bona. Quasi diceret : Psalmi & ORA-
 TIONES, sunt velut quoddam divinum *Cornu A-*
maltheæ, per quas abtinetur, quidquid petitur. Ma-
 gnum profectò & universale ORATIONIS privile-
 gium ! Multæ AA. nos undiq; premunt necessita-
 tes, recurramus ad fontem *bonorum omnium*, ad com-
 munem thesaurum, ad CORNU AMALTHEÆ, &
 obtinebimus bona, tam publica, quam privata. O-
 ptamus *ut superatis pacis inimicis securo Deo seruiat*
Christiana libertas : ut pax Ecclesiarum nulla turbetur
tempestate bellorum &c. hæc publica, Oremus & ob-
 tinebimus, sed seriò Oremus. Ut liberemur ab in-
 fidij Diaboli, ut quietam & tranquillam vitam de-
 gentibus, tandem etiam æterna obyeniat : hæc pri-

S. Chrys-
 tost. hom.
 4. de in-
 comp. Dei
 S. Aug.
 Prol. in
 Psal.

vata : oremus, & obtinebimus si rectè oraverimus. Rectè orantes exaudit Deus. Veritatis hujus non unam habemus in sacris literis experientiam.

IV. Dothan urbem cingebat obsidione Rex Syriæ, eamq; ingenti vallabat exercitu, ut unum interciperet Elisæum consilia sua bellica frustrantem prædictiõibus. Unus verò Elisæus toti debellando exercitui sufficiebat. Minister Prophetæ extra urbem oculos conijciens visò exercitu cohortuit, nuntiavitq; herò suo, qui : *Noli (inquit) time-re, quia plures nobiscum sunt, quam cum illis.* Quinam illi plures ? nondum arma cives corripuerant, nondum advòcata aliunde auxilia, & tamen *plures nobiscum sunt ?* Quot verba, quot suspiria ad DEUM jaculatus est Elisæus orando, tot illicò habuit subsidiarias copias, ad universum Syrorum robur enervandum. Etenim : *cum ORASSET Elyseus aperuit Dominus oculos pueri, & vidit : & ecce mons plenus equorum, & curvum igneorum.* Necdum satis : orat iterum Elyseus : Percute obsecro gentem hanc cæcitate : percussitq; eos Dominus ne viderent ; id est ne vel ipsum Elisæum vel urbem Dothan agnoscerent. Ipsèmet Propheta se illis ducem offert, & ut sequantur monet : *Sequitimini me, & ostendam vobis virum quem queritis.* Duxit autem eos sumariam, ubi erat Rex Israël, & cum jam urbem ingressi essent, iterum Propheta oravit : *Domine aperi oculos eorum ut videant :* & ecce agnoverunt se esse in medio Samariæ, in potestate Regis Israël præter opinionem captivos. Ita unius Prophetæ ORATIO sufficiens fuit ad debellandum integrum Syrorum exercitum, ad claudendos, & aperiendos oculos Syrorum, ad plura simultanea mi-

racula. Id observans S. Ambrosius aiebat : *Ubi sunt qui dicunt, plus quam PRECES sanctorum hominum arma posse? Ecce una ORATIO Elisei totum exercitum vulneravit, & unius Prophetæ meritis, omnis est hostium numerus captivatus.* Addat nunc Epiphonema sacer textus : *Et ultra non venerunt latrones Syria in terram Israël.*

S. Ambrosii
serm. 86.
de barb.
non tim.

4. Reg. 6.

V. Bethuliam magno apparatu bellico aggressus erat Holofernes : quid agerent Bethulienfis omni humanâ ope destituti ? Summus Sacerdos Eliachim optimè advertens, ubi humana deficiunt ibi quærenda esse divina subsidia. Circuibat ergo omnem Israël, & hortabatur, non ut militem legerent, non ut arma conquirerent, sed : *Scitote quoniam exaudiet Dominus PRECES vestras, si manentes permanseritis in jejuniis & ORATIONIBUS in conspectu Domini.* Atq; ut magis eos animaret ad orationem, usus est exemplo majorum pugnantium contra Amalecitas : *Memores estote Moyse servi Domini, qui Amalec confidentem in virtute sua, & in potentia sua, & in exercitu suo &c. non ferro pugnando sed PRECIBUS sanctis ORANDO dejecit.* Victoria de Amalecitis parta non fuit sine ferro, sine pugna ; quia Josue pugnabant validè, tota nihilominus victoria Moyse ORANTI adscribitur, quia virtutem & robur armis pugnantium dedit Moyse ORATIO : idq; vel ex eo manifestum fuit, quia, ut inquit sacer historicus, cum cessaret Moyse ab ORATIONE, vincebat Amalec : cum ORARET Moyse, vincebat Israël quod ad nostros mores traducens Chrysofostomus aiebat : *ORAT Moyse & vincit : cessat, & vincitur : nec quisquam poterit excusari, qui hostem vincere noluit, dum ORANDO cessavit.*

Judith 4.
v. 12.

S. Chrysofost.
hom.
de Moyse.

Idem hom.
15. in E-
pist. ad
Heb.
Ibid. hom.
27.

vit. Tibi imputa qui succumbis sive hosti visibili, sive invisibili, qui ab ORATIONE languescis. *Opus nobis* & armis (inquit idem aurei oris Orator) *majora autem arma sunt PRECES.* Et rursus alio loco: *Magna arma sunt ORATIO.* Ipsa bella devicit, & vertit in fugam gentes integras. His proinde armis resistendum hosti rectè suadebat Eliachim, ut majorum more Israëli vinceret, inclinato in partes suas Deo exercituum. Et respondit expectationi eventus. Quia enim *ex toto corde suo omnes ORABANT Deum, ut visitaret populum suum Israëli:* & Bethuliensium Bellona Judith armata ORATIONE ferrum strinxit in Holofernem, & percussit his in cervicem eius, & evoluit corpus eius truncum: fugerunt Assyrii, gloriosâ victoriâ potiti sunt Bethulienses. *Recipit attonita civitas* (sic loquitur de hac victoria S. Augustinus) *tantæ vittricis redivit triumphales.* Jam *luctus convertitur in gaudium.* Ubi enim assiduis pulsatur ORATIONIBUS cœlum, potentia semper calcatur armorum. *Ecce gloriosæ femine castitatem servavit ORATIO, & hostem servare non potuit multitudo.* Verè itaq; ut aiebat Chrysostomus contra omnes hostes *Magna arma sunt ORATIO.*

S. Aug.
serm. 128.
de temp.

Bayon. in
Anal.

VI. Nec desunt ejusmodi ORATIONUM effectus in lege gratiæ. Anno salutis 429. cum Britones à saxonibus & Pictis bello impeterentur: S. Germanus Episcopus multis Britonum ad fidem conversis ducem se dedit, & instante prælio à Sacerdotibus ter inclamari jussit: *Alleluja, Alleluja, Alleluja:* quod repetiit totidem vicibus exercitus: eoq; audito Saxones projectis armis territi, fugam inierunt, & parta est sine sanguine victoria. Quid di-

amicam de Leglone Fulminatricem Christianam, quæ M. Aurelio Antonino, & pluviam è cælo precibus impetravit sedandæ sibi, & contra nongenta septuaginta millia hostium victoriam obtinuit ad Carnundum Pannoniæ superioris celebrem quondam urbem (ubi nunc inter Viennam & Hamburgum Austriæ visitur pagus S. Petronellæ) qua de re ipse Imperator Ethnicus ad Senatam perscripsit his verbis de Christianis loquens : *Confestim ut procubuerunt in facies, & PRECES fuderunt ad ignotum mihi Deum, descenderunt de cælo, in nos quidem frigidissimus imber ; in nostros verò hostes grando mixta fulminibus, ut sine mora sentiremus præsto esse invictam opem Dei potentissimi.* O magnam ORATIONIS virtutem, cui etiam elementa tribularia fiunt ! temellum huic est, quod Theodosio Imperatori accidit Anno 394 cum audita Eugenij Tyrannide ex oriente in Pannoniam festinus accurrit, ut hostem maturè opprimeret, in patriæ nostræ finibus, ubi Carnioliâ ab Italia seu Foro-Julio se jungitur. Ibi enim ad ipsas Alpium Juliarum radices Eugenium obvium habuit, & cum eo ad FLUVIUM FRIGIDUM (qui nunc Vipacus dicitur) confligit. Ingens erat hostium numerus, exiguæ Theodosij copiæ : sed pius Imperator confugit ad *Magna arma PRECES*, in editis Alpium rupibus tota nocte pervigil, & incumbens ORATIONI. Sole orto datum pugnae initium, Theodosius spectator ex alto, an potius Christianus Moyses supplices ad Deum tendebat manus : & cum jam ad hostes videretur inclinatura victoria, mirabile dictu ! vehemens exortus est ventus, qui tela hostium retorquens ipsosmet hostes à quibus emittebantur vulnerabat, &

D. Justin.
Apol. pro
Christian.
Oros. lib.
7. c. 15.
Niceph.
lib. 4. c.
12. Euseb.
l. 5. c. 20
Miscell.
lib. 10.
cap. 16.
Anno
Cbrri. 176

Miscell.
lib. 13. c.
14. Ruf-
fin. lib. 2.
c. 33.
Theodor.
l. 5. c. 24.
Oros. lib.
7. c. 35.
Socrat.
lib. 5. c.
14.
Sozom.
lib. 7. c.
24. Ni-
ceph. lib.
12. c. 39.
Siebert,
ad an. 395
Marian.
Scot. ad
eund. In-
ebos. An-
nal. Hung.
ad an. 394.
Sponda.
ib.

ingenti pulveris excitati nube visum ijs eripiebat; Theodosij milite intereà securè & animosè per hostium cædes grassante : qui demum victas dedere manus, & Eugenium constrictum vinculis Theodosio victori tradiderunt. Hanc tam mirandam victoriam Claudiamus Poëta Ethnicus gratulatus Imperatori, ipse quoq; divino auxilio precibus exorato tribuendam insinuat, dum canit.

Claud. de
Consul.
Honor.

*Te propter gelidis Aquilo de monte procellis
Obruit adversas acies, revolutaq; tela
Vertit in authorem, & turbine reppulit hostem.
O nimium dilecte Deo, cui fundit ab antris
Æolus armatas hyemes, cui militat æther,
Et conjurati veniunt ad classica venti.
Alpinæ rubuere nives, & frigidus annis
Mutatis fumarvit aquis.*

S. Aug.
ap. Drex.
in Rhet.
S. Amb.
in Psal.
36.

Meminerunt etiam huius admirandæ victoriæ Sancti Augustinus & Ambrosius : quorum ille asserit Theodosium magis *ORANDO*, quam *seriando pugnasse*. Ambrosius verò : *Sæpè jacula in ipsos qui ea jecerint refunduntur. Quod etiam proximo accidit bello, ut subito ventus oriatur, qui infidelibus excuteret scuta de manibus, ac telo omnia atq; missilia in peccatoris exercitum retorqueret.* Huius occasione victoriæ *Æmona* nostra (quæ nunc Labacum dicitur Metropolis Carniolæ) cognomentum *Piæ* promeruit, teste Pacato in Panegrico Theodosij : *Nec Pia Æmona cunctantius, ubi te adfore nuntiatum, impulsis effusa portis obviam pro-volarvit.* Pia inquam, non tam quod Imperatori Domino suo officiosè occurrerit, sed ut arbitror, quod (quæ Christiana erat) pro eius salute & victoria *PRECES* ad Deum funderet. Tan-

Pacat. c in
Paneg
Theodos.

tum robur habet ORATIO, *fons & radix bonorum omnium & innumerabilium.*

VII. Cœterum plenæ sunt tum sacræ literæ; tum Ecclesiasticæ historiæ hujusmodi eventuum narratione, quibus ad fervorum suorum PRECES Deus operatus est mirabilia, fugavit hostes, prostravit exercitus; tribuit victorias & triumphos: ut vel hinc discamus, quid nos agere oporteat, cum auribus nostris obstrepunt prælia, & opiniones præliorum: jam ab Oriente Othomannicus furor; jam intestina hæreticorum molimina, jam aliorum Principum livor & ambitio armatos exercitus in campum educunt, & minantur patriæ vastitatem. Bonum publicum auxiliis publicis fulciendum est. *Petite & accipietis.* Petite, concordēs, unanimēs: placet Deo multitudo precantium uno corde, uno Spiritu. Habetis *Amaltheæ Cornu*, optate, postulate, si modo honestum & animabus proficuum est obtinebitis. Inter multos ORANTES, saltem aliqui Deo tam chari erunt, ut exaudiantur. Unde Clemens Alexandrinus: *Vebementer (inquit) Sanctis opus est: servant enim orbis, & regiones à clade independente liberant: iram Dei quantumvis feruentem, vitæ claritudine, & impetus eius iracundiæ invertentes.* Ideò in Ecclesia Dei publicæ instituuntur supplicationes, ut facilius consequamur quod petimus, quia concordem & unitam plurium ORATIONEM vult Deus. *Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunq; petierint fiet illis.* Quantò magis si plures consenserint, & quidem plures Justī, plures Deo chari. Et hoc pro publicis necessitatibus.

VIII. Nemo verò nostrum est, qui non aliqua etiam privatà necessitate prematur. Alius æger est

Clem. A.
lex. in
Amos.

Matth. 12

corpore, alius animo: uni deficiunt vitæ subsidia, alter abundat persecutionibus, quibus ferendis impares sentit humeros &c. omnibus dicitur: *Petite, & accipietis.* Petite inquam, ut ait Hugo Cardinalis: *piè perseveranter & ad salutem. Piè sicut filij corde simplici & intelligenti: perseveranter, quia multum valet deprecatio iusti assidua: & ad salutem, quæ expedientia sunt ad vitam æternam. Multi enim petunt, quod impedit salutem eorum.* Et hinc est, quod nunquam illorum gaudium sit plenum: quia transitoria non implent; caduca non satiant, terrena falsa delectatione decipiunt. Imperfectum est omne gaudium, quamdiu non consequimur quod petere jubemur *Adveniat regnum tuum.* Ibi verum gaudium est, & gaudij plenitudo, ubi resonat *Vox jucunditatis Alleluja.* Ruperti Abbatis observatio est: *In quo gaudium plenum esse poterit, nisi ut veniamus & appareamus ante faciem Dei omne namq; gaudium mundi huius deceptivum, & omnis risus eius erroneus est.* Interim dum ad illud cœlestē Alleluja suspiramus, libeat cum Psalte Regio canere: *Repleatur os meum laude, ut cantem gloriam tuam, tota die magnitudinem tuam.* *Quid est tota die?* ait Augustinus: *Sine intermissione in prosperis quia consolaris, in adversis quia corrigis.* Itaq; *Orate fratres, ut gaudium vestrum sit plenum.*

Hugo
Card. in
c. 16.
Joan.

Rup. in
Joan.

S. Aug. in
Psal. 70.



DISCURSUS XXVIII.

In Rogationibus.

Ars Miraculorum.

T H E M A.

Amice accommoda mihi tres panes.

Luca II.

SYNOPSIS.

- I.* In magnis necessitatibus necessaria est nobis Ars miraculorum quae hoc sermone traditur.
- II.* Christus maxima quae fecit miracula, fecit ad nostram instructionem, uti excitando Lazarum, ubi requisivit fidem & orationem, in quibus consistit Ars miraculorum.
- III.* Apostoli etiam primum post ascensionem Christi miraculum ediderunt ante templum hora orationis.
- IV.* Alij sancti operati sunt varia miracula per orationem. Fide corruerunt muri Jericho id est oratione: oratione extinctus est ignis Babylonicus.
- V.* Vim enim inferre naturae legibus, est operari per omnipotentiam divinam; unde oratio divinum elogium omnipotentis sortitur.
- VI.* Et vetera omnia predicata orationis huc reducuntur, quod sit ipsa omnipotens & ars miraculorum. Paulus ipse gentes convertit oratione.
- VII.* Adeo vero omnipotens oratio est, ut Deum liget, eique manus injiciat, uti factum oratione Moysis pro populo.
- VIII.* Imò cum se oratio ad Deum inclinat, Deum ad se inclinat, & sibi quodammodo facit obedientem.
- IX.* Josue imperando soli ut staret, imperavit Deo, eumque sibi habuit obedientem

virtute orationis.

X. Quotidie autem sunt talia miracula, sed nos ad ea non advertimus, præsertim circa alimenta quotidiana, uti observavit Fridericus III. Imp. in comitijs Coloniensibus.

XI. Non enim deserit Deus eos,

qui ad se recurrunt, ut experti multi sancti cibo ex insperato provisi. Ideò orandum unanimiter, & instanter, quia qui sic orant, facile exaudiuntur, ut exerceant artem miraculorum,

Amice accommoda mihi tres panes.

Luca. II.

L



Vuangelij hodierni lectio me admonet AA. ut vobiscum miracula faciam, vel saltem miracula facere doceam: & nisi hoc egero, oleum & operam perdam; ac totus iste labor, quem pro sermone præsentis suscepi frustrane: serit. Non ambio audire Thaumaturgus, sed ut miracula fiant à vobis pariter & à me, ubi vires naturæ deficiunt, toto corde desidero. *Miraculum voco* (inquit S. Augustinus) *quidpud arduum & insolitum supra speciem aut facultatem miranti apparet.* Quod cum latissimè pateat, & innumerabiles effectus excogitari possint, quos nulla humana virtus, nulla creata facultas possit attingere, in eo solum sistam, pro quo hisce diebus S. Mater Ecclesia ubique terrarum supplicationes instituit. Fiunt autem hæc supplicationes ad petendam pacem, ad avertendam pestem, potissimum verò pro conservatione frugum, *ut fructus terræ dare, & conservare dignetur Deus,* quod est quasi dicere: *accommoda mihi tres panes;* & hoc virium nostrarum non est, quia quan-

S. Aug. de
util. cred.
c. 10.

quantumcunque agricola sudet, algeat, laboret, aret, fimet, agros sepiat, zizania evellat; si tempestas repentina fruges pessundet, si aëris intemperies corrumpat, necessaria corporibus alimenta deficiunt, ut ad vitæ conservationem miracula sint necessaria. Necessaria proinde nobis etiam est *Ars Miraculorum*, qua & averruncemus mala imminencia, & oræsentibus remedia procuremus. Hanc artem miraculorum hodierno sermone profiteor: vos attendite.

II. Tot & tanta sunt miracula, quæ fecit author miraculorum, ut licet plurima in sacro textu ab Evangelistis narrantur, nihilominus S. Joannes asserat: *sunt autem & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Inter maxima computantur resuscitatio mortuorum, & inter hæc quatruidani Lazari, qui jam foetens è sepulchro eductus, & in vitam revocatus est. Si rectè observaverimus, quali arte hic usus fuerit author miraculorum, discemus ARTEM MIRACULORUM. Dolebant fratrem mortuum Martha & Maria sorores; adveniēti Christo prior occurrit Martha; cui dixit: *Qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet &c. Cædis hoc?* respondit Martha: *Utique Domine ego credidi, quia tu es Christus Filius Dei vivi.* Accessit deinde Christus sepulchrum, mandavit tolli lapidem: repugnare cœpit Martha: *Domine jam foetet: quatruidanus est enim.* Quasi diceret: noli petere ut lapis auferatur, ne putritum cadaver nausæam creet, ne foetor ejus auras inficiat: frustra eum videre vis, qui non amplius resurget. Quid adhæc Dominus? corripit velut ignorantem, & obli-

Joan. 21.

Joan. 11.
v. 25.

tam prioris promissi : *Nonne dixi tibi , si credideris , videbis gloriam Dei ?* Ecce prima patrandorum **MIRACULORUM ARS** , fides & fiducia in Deum. Quid deinde ? *Tulerunt ergo lapidem : JESUS autem elevatis sursum oculis dixit : Pater gratias ago tibi quoniam audisti me* &c. Et cum inclamasset Lazarum : *statim prodijt , qui fuerat mortuus.* O sanè facilem **ARTEM MIRACULORUM!** Crède & ora , & obtinisti quod desideras , & fecisti miraculum. Mirantur SS. Patres in hoc facto Christi benedicti , cur adhibuerit in excitando Lazaro preces ad Patrem ; & petierit ab eo , quod ipsèmet suâ virtute præstare poterat. Viduæ filium tangendo tantum & dicendo : *Adolescens tibi dico surge* : illicò suscitavit : in Lazaro tantum laborat , fidem axigit à sororibus , oculos in cœlum attollit , Patrem rogat ut audiatur , & vitam restituat mortuo. Utquid ista ? Nempe excitatio filij viduæ fuit solum actus misericordiæ & beneficij : excitatio verò Lazari fuit etiam instructio nostra , ut ab ipso disceremus **ARTEM MIRACULORUM.** Unde & ipse ajebar : *Ego autem sciebam , quia semper me audis ; sed propter populum qui circumstat , dixi , ut credant , quia tu me misisti.* Quasi innueret : mihi necessarium non est ad patratiorem miraculi preces præmittere , solâ potentia quæ tecum mihi communis est , id possum efficere ; sed propter populum *orare* volui , ut sciant etiam circumstantes in magnis necessitatibus ad orationem recurrere cum viva in te fiducia , alioqui non consecuturi quod optant. Huc reor collimasse Hilarium qui ajebat : *Non igitur prece eguit , nobis oravit ut scilicet nos adisceremus quod oratio cum viva & fèria in Deum fiducia sit ARS MIRACULORUM.*

Hilar in
Cate.

III. Post gloriosam Christi ascensionem animati per spiritum sanctum Apostoli, cum cœpissent Evangelizare, ad roborandam doctrinam Christianam primum ediderant miraculum sanando claudum Jerosolymis, qui ante portam templi mendicabat, notus omni populo, ut tanto magis innotesceret prodigium. Non vacat misterio, quod ante templum, quod hora orationis id miraculum acciderit: *Petrus autem & Joannes* (inquit facer historicus) *ascendebant in templum ad horam orationis nominam. Et quidam vir, qui erat claudus &c.* Versando hunc locum S. Basilius Seleuciensis ita præfatur. *Videamus igitur hodie post salvatorem discipulos MIRACULORUM ARTEM delibantes.* Quæ illa ars? annon sufficiebat potestas à Christo data? *Dedit eis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi demonia:* quid amplius requirebatur? Revocate vobis in memoriam, quod alibi refert Marcus Evangelista, de habente spiritum mutum, quem frustra conati sunt exorcisare Apostoli, & cum à Christo sanatus fuisset, illi sacretò interrogabant: *Quare nos non potuimus eijcere eum?* sed correpti quòd artem hanc nondum bene didicissent, prò responso tulerunt: *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in Oratione & jejunio.* Non erat satis accepisse potestatem eijciendi demonia, sed requirebatur insuper ORATIO tanquam ARS MIRACULORUM. Et ideo Petrus & Joannes jam doctiores & peritiores Thaumaturgi curaturi claudum *ascendebant ad horam orationis MIRACULORUM ARTEM delibantes:* & sanatus est claudus inter ipsa orationis præludia,

IV. Mirandas sanctouum operationes describens S. Paulus inquit: *Per fidem vicerunt regna,* *Hebr. II.*

Apo. 3^aS. Basil.
sel. orat.
23^aMarc. 3^aMarc. 9^a

operati sunt justitiam, adepti sunt veramissiones, obturaverunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugerunt aciem gladij, convaluerunt de infirmitate, fortes sancti sunt in bello, castra verterunt exterorum &c. nominaverat paulò ante Gedeonem, Sampsonem, Jephthen, Danielelem, Samuelem & Prophetas, quorum licet nonnulli stipati fuerint exercitibus, quibus possent castra evertere, & fortitudinem in bello ostendere, omnes tamen non armis, sed fide inquit, vicerunt. Quæ illa fides? Certè non silitaria & inermis: quia fides sine operibus mortua est, sed fide instructa armis ORATIONIS: idque ipsa Apostolus insinuat eodem loco præmittens: *Fide muri Jericho corruerunt*. Videamus obsæcro, quomodo hoc miraculum acciderit. Misèrat Josue bellatrices turmas ad occupandum oppidolum Hai, quæ armata manu id aggredientes, necquidquam egerunt, sed profligatæ ab oppidanis ignobilem fugam capefferunt. Hic pauci oppidani fortium pugnatorum tria millia dissipant. At Jericho civitas munita muris & propugnaculis, sine ferro, sine armis, sola populi vociferatione corruit, & occupatur. *Igitur omnipopulo vociferante, muri illicò corruerunt*. Ad quæ Glossa opportunè in rem nostram: *Murus subruitur clamore devotæ ORATIONIS*. Et hoc est quod Paulus ait: *Fide muri Jericho corruerunt*. Fide quæ orationes pro armis & instrumentis bellicis abhibuit. His armis, hac arte, sancti vicerunt regna ut Gedeon, obturaverunt ora leonum ut Daniel, extinxerunt impetum ignis, ut tres pueri in fornace Babylonis, de quibus Chrisostomus: *Vis ORATIONIS vim ignium extinxit, impetum leonum cohibuit, bella composuit, prælia removit, tempestates sustulit*

Jaco. 2.
v. 26.

Josue. 6.
v. 20.

Chrysof.
hom 5.
de incomp

stulit, demonia expulit, cœli fores aperuit, mortis vincula dirupit. Ecce manifestam & perfacilem ARTEM MIRACULORUM.

V. Premamus verò hanc vocem, qua utitur D. Chrysostomus: *Vis vim extinxit*. Est igitur orationi *vis* aliqua quæ quantumvis magnam *vim* ignis extinguat. Quid hoc aliud est, quàm operari MIRACULUM? Per miracula vis infertur naturæ legibus, ut quod Deus secundum ordinarium rerum cursum ordinavit, omnipotente quadam violentia transcendat ORATIO. Unde optimo jure Theodoretus eam OMNIPOTENTEM appellat. *Omnipotens ORATIO cum sit, una omnia potest*. Amplius audet dicere nonnemo recentior: *Deus non potest plus sua omnipotentia dare, quàm ORATIO precibus impetrare*. Hoc est dicere, quod per orationem quodammodo exhauriatur Omnipotentia Dei inrogandis beneficijs, quod oratio æmuletur omnipotentiam in patrandis miraculis, adeoque simile Deo prædicatum & elogium sortita, dici jure possit *Omnipotens*. Dicite porò vos DD. Theologi cui attributo divino existimatis esse adscribenda insolita miracula Dei? Hand dubiè respondebitis omnipotentiae? sapienter decernitis; quia hæc est doctrina Magni Augustini: *In rebus mirabilibus tota ratio faciendi, est potentia facientis*. Atque adeò cur ORATIO mirabilia operetur, meritò divino honoratur elogio, ac dicitur *Omnipotens*.

VI. Multa & copiosa apud Patres reperiuntur ORATIONIS elogia. S. Ephrem Syrus: *ORATIO, inquit, est recta juris legumque constitutio, regni potentia, trophæum, atque vexillum belli tutela pacis: ORATIO virginitatis sigillum est fides nuptiarum,*

vis-

Theod. in
bist. relig.

Celada in
Jud. §. 21.
cap. 4. n.
86.

S. Aug.
lib. 33.
quest.

S. Ephrem
de orat.

viatorum præsidium, dormientium custos, evigilantium confidentia, agricoliarum fortilitas, navigantium sydus. ORATIO reorum patrona, vindictarum relaxatio, mærentium consalatio, letantium jucunditas, lugentium solamen. Quibus non absimilia sunt illa Isaac Presbyteri: ORATIO refugium est auxilij, & fons salutis, & confidentiæ thesaurus, & lumen ijs qui internebris sunt, & portus liberans tempestate, & auxilium in ægritudinis molestia, & clypeus liberationis in prælio, & sagitta acuta contra inimicos &c. Hæc omnia uno verbo rectè complexus fueris, si dixeris esse OMNIPOTENTEM, Thaumaturgam, & ARTEM MIRACULORUM. Nam oravit Enoch & trāsatus est in Paradisum: Oravit Abraham, & obtinuit ex sterili uxore filium: oravit Isaac & obtinuit Rebecam fœcundam: oravit Jacob & liberatus est à furore fratris Esau: oravit Joseph & eductus è carcere præpositus est universæ terræ Egypti: oravit Anna & obtinuit filium Samuelem: oravit David & triumphum retulit de Goliath: oravit Ezechius & consecutus est sanitatem: oravit Esther & servavit populum Hebræum ab internecone: oravit Tobias & recepit lumen oculorum: oravit Daniel & obturavit ora leonum: oravit elias & inficcitate obtinuit pluviam: oravit Petrus, & suscitavit mortuam Thabitham: oravit Paulus & omnes gentes ad salutem perduxit, teste Chrysostomo ubi ait: *In mentione deprecationis primas occurrit Paulus, ille insaciabilis Dei custos, ille custos orbis terrarum, qui per deprecationem ac assiduam obsecrationem omnes gentes salvas fecit, semper illud dicens nobis: hujus rei gratiã flucto gerua mea ad Patrem Domini nostri JESU Christi.* Verbo etiam Christus oravit, & multipli-

Isaac
Presb. lib.
1. de cant.
mundi.

Gen. 27.
25. 43. 41.

Exod. 8.
1. Reg. 1.
1. Reg. 17.
4. Reg. 20.
Eph. 4.
Tob. 11.
Dan. 14.
3. Reg.

S. Chry-
sost. lib. 2.
de ador.
Deo.

cavit panes, oravit & salvavit mundum, ut & nos discamus in necessitatibus confugere ad ORATIONEM, & ubi vires humanæ deficiunt, exercere ARTEM MIRACULORUM, quia *Omnipotens ORATIO cum sit una omnia potest.*

VII. Inter hæc omnia unum illud maximè mirandum occurrit, quod ipsum Deum liget, ad se inclinet, sibiq; veluti obedientem efficiat. Ligat Deum ORATIO: typum huius habemus in Exodo. Volebat punire Deus populum propter Idololatriam, & adorationem vituli, sed ligatas habebat manus à Moyse, vnde ipsum alloquens quasi licentiam petebat castigandi populum. *Cerno quod populus iste duræ cervicis sit: dimitte me ut irascatur furor meus contra eos.* Quid hoc Domine Deus? ubi tua omnipotentia, cuius nutu reguntur & conservantur omnia? nunquid Moyses inijcit tibi manus, ne possis vibrare fulmen, punire populum rebellem? *Dimitte me:* num forte creatura potentior est creatore, homo fortior Deo? *Dimitte me:* Quis detinuit te ne confusione linguarum dispergeres architectos turris Babylonicæ? Quis tibi ligavit manus ne super Sodomam & Gomorrhham sulphur & ignem de cælo plueres? quis prohibuit ne plagis Ægyptum affligeres, & in mari rubro Pharaonem cum exercitu demergeres? Ubi nunc tua illa potentia? ubi iusta peccatorum castigatio? *Dimitte me:* Tu Moyses manus mihi inijcis dum eas elevas ORANDO pro populo; tua ORATIO ligat omnipotentiam meam: *Dimitte me:* Hæc ponderans S. Bernardus: *Promittit plurimæ Moysi creator omnium, & ferendi licentiam quærit à Moyse, qui Moysen fecit. Dimitte me ut irascatur furor meus.* Adeone imbecillis crea-

Exod. 32.
v. 9.

S. Bern.
serm. de
S. Mag-
dal.

tura contra Creatorem invaluit, ut ei manus possit ligare, eius proposita impedire, cuius operari velle est? *Dimitte me*: quasi dicat: noli mihi manus ligare; noli vim & violentiam inferre; liceat mihi te annuente ferire ingratos, delere populum refractarium. Advertit causam D. Hieronymus: *Quando dicit, dimitte me, ostendit se teneri posse, ne faciat quod minatus est; Dei enim potentiam servi PRECES impediabant.* O magnam ORATIONIS vim & virtutem! Idipsum innuit Deus loquens ad Jeremiam: *Tu noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem & ORATIONEM, & ne obsistas mihi.* Ligat ergo omnipotentem ORATIO, eiq; fulmen è manu extorquet, *& omnipotens cum sit, una omnia potest.*

VIII. Imò quod mirabilius est ORATIO cum se ad Deum inclinat, Deum ad se inclinat, & priusquam ipsa ad Deum perveniat, jam Deus prompta gratificandi acceleratione illi obviat. Testem asserti adhibeo ab experientia edoctum Psaltem Regium: *Exaudivit, inquit, Dominus vocem ORATIONIS mee: quia inclinavit aurem suam mihi.* In quem locum eleganter philosophatur Ambrosius exprimens omnipotentiam ORATIONIS. *Quia ad Deum ascendit ORATIO, Deum nobis inclinat, ut postulata concedat, & pro votis exaudiat: omnia igitur subiecta videmus ORATIONI, cum se illi ipsemet Deus veluti subijciat.* Facit Deus quod solent aliquando magnates præmoniti quid sit petiturus subditus benè meritis: procedunt venienti obviam, & priusquam iste perorare incipiat, illi præveniendo verba eius intercipiunt: *Scio quid velis: Fiat quod postulas.* O magnam vim & potentiam ORATIONIS! Deum ad se inclinare, Deum ad benefaciendum

coge-

S. Hier.
lib. 2. E-
pist. 16.

Jer. 7. v.
16.

Pf. 114.

S. Ambr.
orat. de
obitu
Theod.

cogere ! Quid hoc aliud est, quam supplicando imperare ? & facere illum sibi obedientem, cui omni jure obediunt omnia ?

IX. Spectate Josue Deo imperantem. Pugnat ille contra quinq; Amorrhæorum Reges, quibus jam penè debellatis subsidio accurrebant noctis imminētis tenebræ, sub quibus latebras quæsituri erant, & ultorem gladium evasuri. Exclamat magna fiducia in Deum concepta Josue : *Sol contra Gabaon non movearis.* Audax imperium ; sed meritò præsumens de obedientia creaturæ, quæ jam sibi creatorem obedientem effecerat. *Stetitq; sol in medio cæli, & non festinavit occumbere spatio unius diei. &c. obediēte Domino voci hominis.* Soli imperat, & Deus obedit ; cur non potius dicitur : *obediēte sole voci hominis ?* nempe non obediret Sol homini, nisi Deus obediret ORATIONI hominis. Tanta est virtus, tanta potentia ORATIONIS, ut possit etiam illi imperare, qui cunctis imperat. Eo sensu disse- rebat Salvianus Massitiensis in illa Psalms Regij *aures eius in preces eorum* : cum aiebat : *quod dicit divinas aures in PRECIBUS semper esse jurorum, non audientia tantum Dei, sed quædam quasi obedientia designatur : quasi Deus adeo promptus sit ad audiendas suorum PRECES, ut non modo audire, sed etiam obedire : non modo quod petunt concedere, sed etiam quod imperant velle facere videatur.* Annon igitur scire bene ORARE, est scire ARTEM MIRACULORUM ?

Josue. 10.

Psal. 33.
Salvia.
lib. 2. de
gubernat.

X. Agite, practicemus nunc quod didicimus : Oramus quotidie : *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie* : & obtinemus, nec tamen arbitramur aliquod intercedere miraculum, quod omnes habeamus alimenta ; alij plura, pauciora alij, sufficientia

tamen, ut rarò audire fit de gravi aliqua vel universali fame. Ego autem existimo id fieri per magnum miraculum, & non absimile illi quo Christus in deserto multiplicavit panes. Debemus id viris & personis sanctis, Deo charis, qui delibant ARTEM MIRACULORUM, qui assiduè frequentant *Gymnasia omnipotentiae, in quibus ars miraculorum addiscitur*: sic templa nominat celebris scriptor, ubi magna concepta in Deum fiducia, non pro se tantum, sed pro universo populo ingeminant: *Panem nostrum quotidianum da nobis*: & piam vim Deo inferunt, ut negare non possit, quod orant, quia solem suum orari faciat super bonos & malos, conservet fruges in campis; imò multiplicet in horreis, pistrinis, domibus. Componite obsecro in aliqua Provincia, numerum agricolarum cum numero nobilium, civium & aliorum, qui nullos colunt agros, & reperietis sæpè in tribus quatuorve civitatibus plures homines, quàm in omnibus pagis totius Provinciae. Subducite calculum, quantum annuè seratur granorum, metatur, & condatur in horrea, & (vix fallor) tertiæ parti hominum collecta unius anni grana non suffectura credetis: & tamen in quam multis horreis remanet copiosa annona superflua pro futuris annis, cum interim nullus fame pereat. Rem miram narrat Anonymus Author Proverbiorum Germanicorum, firmans testimonio Thomæ Eschij Medicinæ Doctoris nonagenarij, qui spectavit. In Comitibus Colonensibus à Friderico III. Austriaco celebratis (annus non additur) quibus ingens hominum multitudo confluerat, mandavit Cæsar uno vespere numerari panes in tota civitate, simul & homines usq; ad infantes, & ducto calculo

*Celada
in Tob. §.
305.*

*Anon.
Auth.
Proverb.*

repertum est, panem unius nummi, in quinque; dividendum personas ut singulis modica particula obveniret: nihilominus cum omnes satiati fuissent, altero mane magnam panum copiam superfuisset. Quis hic non exclamet; *Miraculum! Miraculum!* callebat tunc Colonia (nihil dubito) ARTEM MIRACULORUM, & proborum ORATIONES postulantes cum fiducia *Panem nostrum quotidianum* extorserunt à Deo abundantem & superfluam annonam.

XI. Quam verum igitur est illud Psaltis: *Non vidi justum derelictum, & semen eius quærens panem:* quia scilicet justus orando consequitur quodcumque petit; fidens divinæ providentiæ, quæ præcepit: *Nolite cogitare quid manducetis, aut quo operiamini:* quod sibi pro fundamento vitæ Anachoreticæ assumpsit S. Frontonius Abbas Alexandrinus, addens & illud: *Querite primum regnum Dei & justitiam eius, & hæc omnia adjicientur vobis. Teneamus promissum, & inveniemus in nobis opus Domini conservatum.* Nullus qui benè orat, vitæ subsidiis destituitur. ORATIO ARS est MIRACULORUM, quæ in extrema etiam necessitate cibum suppeditat. Experti id sæpenumerò Sancti, uti S. Franciscus, S. Dominicus, Propheta Elias, Paulus Eremita, ipse quoque modo nominatus Frontonius, & sexcenti alij. Supplicamus hodie Deo, *ut fructus terræ dare, & conservare dignetur;* ut nos liberet à *fulgure & tempestate:* ut nos liberet: à *peste, fame, bello, & ab omni malo:* hæc omnia consequi possumus, si delibemus ARTEM MIRACULORUM, quæ est ORATIO. Quàm facile possumus esse Thaumaturgi! Et quidem hodie si uno animo, tota mente, mundo corde, purâ

Psal. 36.

Luc. 12.

Rosvoveyd
lib. 1. de
vit. Patrum.
Matth. 6.

S. Cy-
prian. ap.
Baëcz.

conscientiâ levemus voces nostras ad Deum, clamando: *Pater noster qui es in cœlis* &c. *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*: non pro nobis solum, sed & pro nostris proximis deprecando; quia ut observat S. Cyprianus: *Non dicimus Pater meus, sed noster, quia Christianitatis Magister noluit privatim PRECES fieri, ut scilicet quis pro se tantum precetur. Unum enim orare pro omnibus voluit, quando in uno omnes ipse portavit.* Et hæc causa est cur supplicationes publicas instituat Ecclesia, ut communem necessitatem communis postulet ORATIO, & quo omnes indigemus, omnes petamus. Virtus unita fortior est, & multorum fervens ORATIO, charior est Deo quam singularium. Non negligamus occasionem tam facilis Thaumaturgiæ, prædicemus ARTEM MIRACULORUM; sed instanter, non remissè, imitati hodiernum Evangelicum importunum Petitem *Amice accommoda mihi tres panes*, quos non obtinisset, nisi instanter petisset.

S. Chry-
sost. hom.
71. ad
pop.

Deus à nobis ita rogari vult, ut videatur cogi. *Nihil fortius homine legitimè orante.*



DISCURSUS XXIX.

Dominica Inf. Octa. Ascensionis.

Ostracismus Evangelicus.

T H E M A.

Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini. Absque Synagogis facient vos. *Joan. 16.*

S Y N O P S I S.

- | | |
|--|--|
| <p><i>I. Mundi merces est malum pro bono reddere, sicut apud Athenienses Ostracismus seu exilij pœna viris optimis indicabatur.</i></p> <p><i>II. Id ostendit fabula de serpente & viatore contra quem beneficium varia animalia tulerunt sententiam.</i></p> <p><i>III. Et multa præclarorum virorum exempla, qui mala pro bonis receperunt; & rarus valdè Pyrrhus qui beneficium gratis rependat.</i></p> <p><i>IV. Plures sunt qui imitantur ingratum militem Alexandri, quem ob ingratitude beneficium exhibitam stigmatem notari voluit. Philippus eti-</i></p> | <p><i>am Alexandri Pater ingratus Thebanis fuit.</i></p> <p><i>V. Josephus Egypti Prorex pro bonis recepit mala in suis posteris apud Egyptios: Israëlité similiter ingrati suo Duci Moyse, sed acceperunt mercedem debitam.</i></p> <p><i>VI. David plurima bona Sauli præstitit, à quo tamen non nisi mala & persecutiones accepit.</i></p> <p><i>VII. Ipse Christus pro beneficijs quæ mundo contulit recepit mercedem mundi, & adhuc recipit à peccatoribus, qui ei à corde suo quotidie Ostracismum indicunt.</i></p> <p><i>VIII. Quid mirum si & nobis</i></p> |
|--|--|

contingant mala pro bonis? cogitandum potius, quomodo æquo animo talia mala feramus, exemplo Chriſti, qui pro perſecutoribus orabat.

IX. Etiam Ethnicus Tygranis præceptor moriturus condonavit injuriam. Exprobrabant tales aliquando Chriſtiani, qui par pari volunt re-

ferre. *Aſa Turca exercens oblivionem injuria confundet multos fideles.*

X. Simus imitatores Chriſti, & ejus monito pareamus, memores quod beati ſint, qui perſecutionem patiuntur: e contra perſecutores ſibiipſi nocent.

Hæc locutus ſum vobis, ut non ſcandalizemini. Abſque Synagogis facient vos. *Joan. 16.*

I.



Enè agere, & malè audire; benefacere, & malum recipere; juſtum eſſe, & perſecutionem pati uſque adeò in mundo commune eſt, ut nullus penè ſit probus, quem non adſet aliqua malevolentia aura, nullus benè operans cui non rependatur malum: ut rectè Seneca obtrectatoribus Philoſophiæ Stoicæ objecerit: *Expedi vobis neminem videri bonum, quaſi aliena virtus exprobratio delictorum veſtrorum ſit.* Revocat mihi in memoriàm mos iſte Athenienſium Oſtraciſmum, ſive legem exilij, qua multari ſolebant cives quorum potentiam cœteri formidabant. Ea lege conſuetum fuit oſtraco ſive teſtulis inſcribere eorum nomina, qui timebantur: hæ conjeçtæ in urnam publicis comitiis efficiebant, ut (teſte Alexandro ab Alexand.)

Athenienſes egregios cives & benemeritos ſæpius ob virtutem, ne quis amplius eminereſ, teſtula ablegarint. Hinc præ-

Senec. de vitia beata. c. 19.

Alex. ab Alex. Genial. dier. lib. 3. c. 20

præ-

præter Thesæum, Solon legum lator, Aristites quo nemo iustior, Themistocles & alij turpiter in exilium ejecti sunt, plerique Argos amandati, ubi quia bos erat æneus visenda magnitudine: *Bovem servare* dicebantur. Potior apud hos videri potest fuisse ratio vitij quam virtutis. Ejusmodi Ostracismus abiens ad cœlum Christus prædixit suis Apostolis, postquam ijs promiserat Spiritum sanctum. *Quis non expectasset* (inquit hoc loco Toletus) *post promissum Spiritum Sanctum tantæ potentie, & scientiæ, & bonitatis, & post verbum non scandalizemini, dicturum Christum: In synagogis vos recipient, omnes ad vos proclives current, benevolentia & obsequio afficient &c. Sed multò aliter divina sapientia de rebus judicat, quam mundana, plus Spiritus S. virtus splendet in morte contemnenda, quam impedienda, in sustinendis leto animo afflictionibus quam in avertendis. Quare fideles mei ut non scandalizemini hæc hodie dicam vobis: quod mundi merces sit malum pro bono reddere, vestra verò merces, qui Apostolorum imitatione mala pro bonis recipitis, non tantum in cœlo post hanc vitam, sed sæpè etiam in hac vita copiosior expectanda,*

Tolet. in
Joan.

II. Fortè transeuntem viatorem serpens in angusto delitescens foramine rogabat ut saxum quod exitum impediabat removeret, pretium operæ ad promittens *Mundi mercedem*. Magnum quid animo concipiebat viator auditâ *Mundi mercede*; accessit, removit, saxum; fecit serpenti liberum exitum, & mercedem petijt. Tum serpens: *Perimam te* inquit, qui me liberasti, quia *Mundi merces* est perimere eum qui vitam dedit, & benefactori malefacere. Ab iniqua sententia appellat via-

Anon. in
Prov.
Geniv.

tor ad alterius obvij animalis tribunal non invito ſerpente. Carpunt igitur viam, & occurrit eis claudus & macie confectus canis, qui auditâ cauſa pro ſerpente pronuntiat, & oſtendit ſuo exemplo hanc eſſe *mundi mercedem* malum pro bono rependere, Ego, inquit, multis annis ſervivi meo Domino, aſſiduus in venationibus, in nocturna & diurna vigilia, jam ſenio confectum Dominus expulit ê Domino, & dedit *mundi mercedem*. Appellat iterum viator ad aliud animal, & en obvius illis ſtrigoſus equus, qui ſimiliter cauſam adjudicavit ſerpenti. Et ego, inquit, multis annis portavi Dominum meum, & in multis periculis meâ dexteritate conſervavi à lapſu; jam deficientibus viribus ad molam venditus ſum, & pro avena vix gramen mihi ſufficiens apponitur: hæc eſt *Mundi merces*. Apellat tertio viator, & occurrit illi vulpes, quæ auditâ controverſiâ, monet viatorem ſerpentis cauſam juſtam eſſe, ſuâ tamen aſtutiâ pollicetur effecturâ, ut evadat periculum, ſi omnes gallinas, quas domi alit ſibi promittat. Annuit Viator, & vulpes ad ſerpentem: ſententiam, ait, ferre non poſſum niſi videam locum ex quo te hic liberavit. Itur ad antrum; monet iterum vulpes viatorem: cum ſerpens & ego ingreſſi fuerimus tu ſaxum præpara, & cum ego repente exiliero iterum foramen obturato, ut *Mundi mercedem* ſerpens recipiat, quam pactus eſt. Ita factum. Exigit mox vulpes gallinas, & promptus eſt dare viator, ſed negat uxor, quæ domeſticos canes concitat ut vulpem in fugam agant. Reverſa per intervalla vulpes unam poſt aliam abſtulit gallinam: Uxor viatoris denuo canes vigiles conſtituit, qui demum apprehenſam vulpem

pem lacerarunt, ut & ipsa *Mundi mercedem* acciperit. Apologus iste mundi statum ostendit, in quo mille doli & fraudes, mille injuriæ & nocumenta, & passim beneficia maleficijs compensata. Hinc illia adagia: *Qui serpentem frigore concretum sinu fovet, ab eo calefacto punctus perit.* *Lupus cura pastoris ab ove lactatus, major factus nutricem devorat.* *Hedera muros & arbores à quibus sustentatur, prosternit.* Verbo malum ubiq; pro bono redditur. *Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini, ut non miremini quasi novum, ut non subducatis humeros patientiæ.*

III. Apud Græcos olim proverbio jactatum est: *Nemo benemerito bovem immolavit, præter Pyrrhiam.* Quo volebant expressum, quàm rarus sit qui bona bonis compensat, plurimos autem, qui rependant mala pro bonis. Dicti occasio illa fuit. Apud Ithacam (ut narrat Plutarchus) instatione erat navis piratica, in eaq; senex cum testis picem continentibus. Ad hanc fortè fortuna portitor appulit Ithacensis nomine Pyrrhias, qui senem nullius sui commodi causa, sed precibus ac miseratione illius inductus redemit, cadorum etiam nonnullis hortatu eius emptis. Postquam discessu prædonum data est licentia, senex Pyrrhiam ad fictilia vasa adduxit, ostenditq; multum auri argentiq; picis permixtum. Ita Pyrrhias subito ditatus, cum aliis officiis senem coluit, tum bovem ei immolavit. Hinc natum proverbium: *Nemo benemerito bovem immolavit præter Pyrrhiam.* Cæteri potius ad bovem servandum mittunt, quos vident benè agere, uti Athenienses fecerunt magnis viris. De Scipione Nasica ita Plinius observat: *Vir optimus semel à condito ævo judi-*

Plut. P. 1.
Moral.
in 99.
græc.
num. 34.

Plin. lib. 7. c. 34. nat. hiſt. *catus eſt Scipio Naſica à jurato Senatu. Idem in toga candida bis repulſa notatus à populo. In ſumma, ei in patria mori non licuit: non Hercule magis, quàm extra vincula illi ſapientiſſimo ab Apolline iudicato Socrati.*

Balde Ba- tracho. Scipio Africanus poſt ingentia patriæ impenſa beneficia, poſt victum Annibalem, æmulorum invidia coactus Roma recedere dixiſſe fertur: *Ingrata patria nec oſſa quidem mea habebis.* Sic pleriq; beneficia pulveri, adverſa verò quæ patiuntur, marmoribus inſcribunt. Sic roſa cruentat manum à qua excollitur, vipera matrem perforat & enecat à qua generatur, ſub umbram platani accurrunt homines tempeſtate afflicti, ut aiebat Themiftocles, cum verò ſerenum eſt, eius frondes convellunt & frangunt. Mulus ſaturatus lacte materno calcibus petit matrem, ut de Ariſtotele diſcipulo ſolebat dicere Plato. Quocunq; me verto ubiq; video benefacta exolvi *Mundi mercede*: & Oſtraciſmum Athenienſium communem factum toti mundo.

Plut. in Apopht.

Ælian. lib. 4. var. hiſt.

Seneca lib. 4. de Benefic.

IV. Habebat Philippus Macedonum Rex militem, venalis animæ, mauu fortem, in multis expeditionibus fidei perſpectæ, qui naufragium paſſus ab uno colonorum Macedonum hospicio acceptus eſt; hic Spiritum eius recollegit, in villam tranſtulit, lectulo ſuo ceſſit, & triginta dierum impenſa curavit, viatico donavit, identidem repetentem: Gratiam tibi referam, videre tantum mihi Imperatorem meum liceat. Redux ad Philippum miles narravit naufragium, de beneficio accepto tacuit quin poſſeſſiones coloni illius petere auſus, obtinuit. Colonus diſſimulata injuria Epistolam ſcripſit, quâ militis ingratiſtudinem delineavit. Eâ lectâ exarſit Philippus & mandavit illicò Pauſaniæ,

niæ, ut bona priori Domino restitueret, cœterum improbiſſimo militi, ingratiſſimo hospiti ſtigmata ingratiſſimam teſtaturam inſcriberet. Hic *Mundi mercedem* duplici titulo exolvit. Siquidem eam & dedit alteri, & accepit. Neque illo melior ipſe Philippus qui triennio exul apud Thebanos ex Epaminondæ conſuetudine ea conſecutus eſſe creditur, per quæ poſtea tantus evaſit Imperator, hanc Thebanis rependit gratiam *Mundi mercede*. Nam ubi eos ad Chæronæam vicit, captivos non ſolum non dimiſit, ſed Principes civitatis alios percuffit, alios in exilium ablegavit, interfectorum etiam corpora vendidit, & civitatem revocatis exulibus adminiſtrandam conceſſit. Qui tandem à Pauſania nobiliſſimo juvene, quem in delitiis habuerat, eadem remuneratus *Mundi mercede* occiſus eſt.

Sabellio.
lib. 3.
Ennead.
4.
Ælian.
lib. 6
var. hiſt.

V. At cur prophanis immoror, cum non deſint ſacra? Joſephus Ægypti Prorex, quanta prudentia gubernavit Ægyptum! à fame ſervavit! & fidei ſervitio Regiæ aulæ præfuit! ab omnibus honoratus, omnibus charus! Verum *surrexit interea Rex novus super Ægyptum, qui ignorabat Joseph*: hic mandavit opprimi poſteritatem Joſeph, & multis aggravari laboribus, donec Deus miſertus Iſraëlitarum, Ducem eius mitteret Moysen, cuius ſapientia & miraculis populus ex Ægypto eductus eſt: hic ipſe tamen populus tantum conſecutus beneficium, quoties Moyſi detrectando obſequium, murmurando, obloquendo, rebellando *Mundi mercedem* perſolvit? ſed quam perceperunt Mercedem hi murmuratores? Nempe illam quam comminatus eſt Spiritus Sanctus per ſapientem: *Qui reddit mala pro bonis non recedet malum de domo*

Exod. 1.

Prov. 17.

eius. Exclufi funt à terra promiffionis, mortui funt in deferto, nec ullus præter Jofue & Caleb ingreffus eft terram quam promiferat illis Deus ex tot milibus qui educti fuerant ex Ægypto: imò nec ipfe Moyfes eorum Ductor, dicente Domino: *Omnes qui numerati eftis à viginti annis & fupra, & murmuraftis contra me, non intrabitis terram, fuper quam leuavi manum meam, ut habitare vos facerem, præter Caleb filium Jephone, & Jofue filium Nun.*

*Num. 14.
v. 29.*

1. Reg. 17

VI. Contemplemur aliquantifper Davidem, & inquiramus quid ipfe à mundo retulerit pro fuis egregijs facinoribus. Stabant ex oppofito acies Philiftæorum & Ifraëlitarum: insultabat Ifraëlitis Goliath gigantea moles: *Saul & omnes Ifraëlitæ fufpebant, & metuebant nimis.* Facile qui metuunt in turpem aguntur fugam. Nifi David accurreret, qui funda fua Goliathum profterneret malè ceffiffet bellum Sauli. Prostratus eft Goliath virtute Davidis, fugit Philiftijm & liberati funt à metu Ifraëlitæ.

1. Reg. 18.

Insuper orto alio bello *egreffus David pugnavit ad verfus Philiftijm, percuffitque eos plaga magna, & fugerunt à facie ejus.* Ad hæc cum Spiritus malus arriperet Saulem, David citharam fuam percutiens pfallendo fugabat fpiritum. Tantis beneficijs obligatus Saul quid rependit Davidi? *David iterum pfallerat manu fua, nifusque eft Saul configere David lancea in pariete.* Hoccine pretium eft, quo vis ingrate Rex qerfolvere liberationem à Dæmone?

Ibid. c. 19

*S. Bafil.
Seleuc.
orat. 11.*

Aptè hic Bafilius Seleuciensis: *Paulum à Dæmonis exitu levatus Saul, & ad verforum deterfa caligine, in Davidem quem pulfantem agnoverat haftam, ejaculatus* **MEDICINÆ PRETIUM** *cædem obtulit.* Itane compenfantur beneficia malefactis? Ita com-

pensat Mundus. David fugit, & seipsum damnat OSTRACISMO; sed *Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.* Perijt Saul & domus ejus: domus David promissionem accepit, quod *regni ejus non erit finis.* Et natus est ex ejus progenie Christus, *cujus regni non erit finis.*

VII. Verùm si ipse Christus Dei Filius pro infinitis beneficijs, quæ mundo exhibuit non aliam ab hominibus accepit, quàm *Mundi mercedem*, quid sperent ejus Apostoli, quid nos Christiani? Quæritur ille aq̄d Prophetas: *Posuerunt ad-versum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea,* ait sub ejus persona David. Et Jeremias eodem sensu: *Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foveam animæ meæ?* Id non solum de Judæis, qui eum crucifixerunt intelligendum est, sed de omnibus peccatoribus, ut advertit Hugo Cardinalis: *Dominus enim multa bona fecit hominibus, creando, recreando, & facit quotidie sustentando ad pœnitentiam expectando, & multis alijs modis, pro quibus ipsi deberent retribuere ei bona, quæ possunt facere, quæ tamen nihil sunt respectu bonorum acceptorum. Sed tamen multi ponunt ad-versus eum mala pro bonis qui scilicet peccare non desistunt, rursus crucifigentes sibimetipsis Filium Dei.* Omnes igitur nos Deo pro beneficijs reddimus malum pro bono id est *Mundi mercedem*, & quantum in nobis est per peccata illi ex animabus nostris iniquissimè *Ostracismum* indicimus. Quid mirum ergo si etiam nobis ab aliis hominibus sæpè contingat *Mundi mercedem* reponi pro beneficijs? si in peccatis sumus, meremur; si justi sumus, aliquando meruimus: neque debemus exinde scandalizari, id est queri sive contra Deum, sive contra ho-

Psal. 108.

Jerem. 18.

Hugo.
Card. in
Psal. 108.

homines, Deum quod permittat persecutiones innocentium, homines quod reddant pro bono malum.

VIII. Illud potius considerandum nobis est, quomodo feramus æquo animo, detractioes, contumelias, opprobria, injurias proximorum. *Si me persecuti sunt & vos persequentur*: ait Christus Magister noster. Nunquam nobis tantæ fient injuriæ, quantæ sunt factæ Salvatori. Inter has agamus quod ipse egit. In memorato Psalmo ait ipse de se: *Pro eo ut me diligenter detrabebant mihi*. Et quid tu Domine? *Ego autem orabam*. Similiter Jeremias: *Recordare quod steterim in conspectu tuo, ut loquerer pro eis bonum, & averterem indignationem tuam ab eis*. Ubi iterum Hugo Cardinalis in rem nostram appositè: *Recordare quod steterim in conspectu tuo, quia licet me persequerentur, non cessabam pro eis orare te*. O indigna Christiano homine retributio pro persecutione! In hoc dignoscuntur ab aliis veri Christi imitatores, qui ad injurias & contumelias, ad detractioes & opprobria, ad omnem persecutionem, dicunt: *Ego autem orabo*. Persequentur me inimici mei de civitate in civitatem sicut Apostolos: *Ego autem orabo*. irridebunt me quasi simplicem qui nesciam referre par pari *Ego autem orabo*: Exhibebunt me etiam orantem pro ipsis: *Ego autem orabo*, te Dominum meum imitans qui dixisti: *Locuti sunt adversum me lingua dolosa, & sermonibus odij circumdederunt me. Ego autem orabam*. Volo enim insigniri nota veri Christiani, & imitatoris Christi: Volo cum Joanne Ferro usurpare Symbolum pluvie è cælo cadentis in mare cum epigraphe: *Reddit agmine dulci*. Salfas aquas emittit ex se mare, quas

fo-

Joan. 15.
v. 20.

Hugo
Card in
Jerem. c.
18.

Psal. cit.

Jo. Ferro.
p. 2.
Treat.

solis calor in altum trahit, & rursum liquatas in mare depluit, quodq; salsum & amarum accepit, *reddit agmine dulci*. Sic ego pro malis bona reddam.

IX. De Armerio Rege Armeniæ narrat Xenophon, quod filio suo Tygrani præceptorem dederit virum præclarum & sapientem, quem postea sibi suspectum occidi iussit. Hic morti proximus Tygranem monuit: *Ne tu Patri quidquam succensus quod me morte mulitabit, non enim hoc ex malevolentia, sed ex ignorantia facit*. Et quid à Christiano amplius desideres? quasi diceret: *Ignosce illi, non enim scit, quid faciat*. O quam multis Christianis exprobrabant Ethnici, & infideles in illa die, quod Sultanus Turcarum Asæ objecit Romano Diogeni Orientis Imperatori, quem bello captum suæ mensæ adhibuit, & humanè tractavit percontans ex eo: *Quid tu fecisses si me in tua habuisses potestate? cumq; respondisset Romanus: multis te confecissem vulnerebus: reposuit mox Sultanus: Ego verò tuam crudelitatem non imitabor: audio enim vestrum vobis præcipere Christum pacem & oblivionem injuriarum*. Uti dixit, ita fecit, perpetua pace inita cum Christianis. Turpe est nos vinci ab infidelibus. An fortè illis deteriores esse volumus, quia bonum habemus Dominum facile ignoscentem? sed quomodo vis ut tibi ipse ignoscat, cum tuo proximo succenseas si te lædat? *Quin potius cum Christo oras, Domine ignosce illis non enim sciunt quid faciunt*.

X. Et non vis esse Beatus cùm Christus promittat: *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam. Beati estis cum maledixerint vobis, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos mententes. Beati omninò qui reddunt pro malo bonum,*

Xenoph.
Cyropæ.
lib. 4.

Sponda.
ad an.
1078.

Matth. 5.

qui persecutiones æquo animo tolerant imitatores Filij Dei, recepturi mercedem Filiorum Dei, quoniam ipsorum est regnum cælorum: cum universa persecutores nemini plusquam sibiipsis noceant. Apis dum pungit, perit, in perniciem suam vibrans aculeum. *Malitia ipsa maximam partem veneni sui bibit*, ait Attalus apud Senecam. Persecutores proborum appellat David tauros & vitulos: *Circumdedunt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me.* Quis nescit cur vituli, & tauri impingentur & faginentur? nempe advictimam. Aptissima allegoria! cum enim improbi diù probis insultaverint eosq; persequendo velut cornibus impetierint, tandem ad victimas destinantur. *Tauri pingues obsederunt me*: quod sub alio typo exprimit Oleaster ad illa verba de Aria Noëtica: *Multiplicate sunt aque, & elevarunt arcam in sublime. Eisdem aquis impij suffocantur, ac demerguntur, quibus piorum navis elevatur, ut quod impiis est in ruinam, bonis fit in sublevationem*: quod conforme est dicto Pauli hortantis suos Philippenses ad patientiam in persecutionibus: *In nullo terreamini ab adversariis: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis.* Firmandus est animus ad æquanimitatem, ut nullis perturbetur adversariorum moliminibus. Habeamus gratiam Dei, & sufficit, ut nullus nobis nocere possit, & pro magna gratia suscipiamus si improbi nos excludant à suo consortio: *Abq; synagogis facient vos*, si arbitrentur obsequium se præstare Deo, si nos mortificent, aut planè morte afficiant. *Mala cætera habent terminum*: S. Cyprianus: *Zelus terminum non habet: perseverans malum est hominem persequi ad Dei gratiam pertinentem.* Vel ob hoc ipsum gaudeamus, si continuis persecutio-

*Senec. Ep.
82.
Psal. 22.*

*Oleast. in
c. 7. Ge-
nes.*

*1. Phil. 1.
v. 28.*

*S. Cypri-
an. lib. de
livo.*

tionibus impetamur, si una injuria alteram excipiat, quia signum est nos esse ad Dei gratiam pertinentes: *Hæc locutus sum vobis ut non scandalizemini.*



DISCURSUS XXX.

Dominica Pentecostes.

Parallelæ Temporum

T H E M A.

Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita. *Hymn. Eccles.*

SYNOPSIS.

- I.* Humana fragilitas tanta est, ut indies in æterius prornamus, gratiam Dei repudiantes; vix erigimur, & iterum concidimus: ac si tempora temporibus conferamus peior nunc est status mundi, quam fuerit quando Spiritus S. mundum recreavit, & renovavit faciem terre.
- II.* Quis status fuerit Europæ cum Christus in terris degeret, possumus ex antiquis historicis deprehendere, Romani toti in vitia præcipites & hinc cœpit declinare Imperium: nec etas nostra multo melior.
- III.* Imò si comparemus nostra tempora cum illis, videntur aliqua scelera nunc magis vigere quam olim, unde eadem expectanda fortuna. Jerosolyma arguitur peiora fecisse, quam Pentapolis, quia viso pæne exemplo se non emendavit.
- IV.* Jerosolyma in tribus deficit Christo in terris versante, regno, sacerdotio, sincera doctrina: apud gentes tunc magna caligo, unde oportuno

tempore venit Filius Dei & Spiritus Sanctus.

V. *Etate nostra magni in his tribus defectus. Nam ut sit bonus Princeps, quid iuvat si illi non recte agant quorum opera utitur. Machiavellismus nimium inserpit.*

VI. *Hæc pestis satis describi non potest: omnia turbat, omnem humanam fidem tollit &c.*

VII. *Religio non jam in tres sectas uti olim Ierosolymis, sed in plurimas divisa est: quid mirum everti regna, bella bellis succedere. Hæresis Germaniam vastavit: nec terremur exemplis antiquis.*

VIII. *Scelera magna faciunt Turcas insultare Christianis,*

Deos in artum constringere. IX. Ingenium crevit mundo & scientia hoc seculo, de pietate id dicere vix liceat. Ubi enim tam generosi actus magnatum, quales olim exercebantur à coronatis capitibus? Etiam in Clero non amplius tantus rigor ut olim.

X. *Ierosolyma jam Christiana in potestatem Saracenorum venit propter nimium luxum & alia vitia. Et nos alieno malo non volumus sapere. Timendum.*

XI. *Ne idem nobis eveniat quod illi: invocandus Spiritus S. ut renovet faciem terræ.*

Veni creator Spiritus, mentes tuorum visita. *Hymn. Eccles.*

I.



Quid agat nobiscum Deus? quidquid bonorum in nos confert, summa ingratitude repudiamus. Heu miserum hominem! vix formatus è luto, illico deformatus peccati luto: vix conditus, illicò absconditus pudore conscientie, ut sibi iterum restituere-
tur, gratuita Dei bonitate obtinuit Filium Dei, cæterum Patri, Deum de Deo, splendorem gloriæ, Patris imaginem, ad cuius prototypon primigeniæ suæ venustatis lineas reduceret. Supervenit ab utroque procedens Spiritus Sanctus, qui lar-
gif-

gissimis gratiæ charismatibus redemptum erigeret, ac primæ creationis dona deperdita recrearet. Unde canebat antelucano præfatio Pfaltes Regius: *E-mitte Spiritum tuum & creabuntur: & renovabis faciem terræ*. Et tamen ne sic quidem Deus ab homine obtinuit quod desiderabat, ut post acceptum divini Spiritus donum *recreatus* in novitate vitæ constans ambularet. Erigimur & labimur: stamus, & concidimus: fulcimur, & inter mille fulcra diviniæ bonitatis deficimus. Quænam ista est nostra vel infelicitas, vel socordia & ignavia, ut *creati à Patre, redempti à Filio, recreati à Spiritu Sancto* nova toties indigeamus *recreatione*? Non loquor hodie de singulis nostrum seorsim: universi mundi statum deplorandum præsertim Europæ contemplor, quem malitia humana relapsa in pristinum, indies magis & magis in deterius inclinât & præcipitat. Volo dicere, statum hodiernum mundi non esse meliorem, sed quodammodo deteriorem quàm fuerit, quando descendit super Apostolos Spiritus Sanctus, eosq; animavit ad renovandum faciem terræ, ut si conferamus tempora temporibus, omninò necessarium videatur omnibus Christianis toto corde, unanimi consensu & fervore, novam mundi *recreationem* petere, & acclamare: *Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita*, quod erit thema hodierni discursus.

II. Si quando vatem egit Poëta Lyricus, tunc sanè vaticinatus est, & de futuris temporibus quæ nos attigimus veritatem cecinit:

*Ætas parentum, peior avis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosorem.*

*Horat.
lib. 3.
ode 6.*

Deficit senescens mundus, uti in viribus, ita in virtutibus, & quo imbecillior natura, hoc pronior esse videtur in vitia. Statuite vobis ob oculos singulas ætates, componite sènes cum juvenibus, cum pueris viros, anteriora sæcula cum nostro, unam regionem cum alia, unum vitium cum alio, & ubiq; observabitis ingens certamen de primatu, eoq; tendere penè omnium mortalium studia, ut alius alium in malitia superet. In Christi benedicti adventu & ejus in mundo secundum carnem peregrinatione quis status fuerit in Europa reliquisque partibus orbis, facile ex veterum factis elicimus. Seneca qui sub Nerone vixit de suis Romanis agens: *Non privatim solum, inquit, sed publicè furimus. Homicidia compescimus, & singulas cædes. Quid bella, & occisurum gentium gloriosum scelus? non avaritia non crudelitas modum ponit. &c. Ex senatusconsultis, plebisque-scitis scelera exercentur, & publicè jubentur vetita privatim. &c. Voluptas ab omni parte queritur: nullum intra se manet vitium, in avaritiam præcepit luxuria est; honestatis obli-vio in-vasit. Nihil turpe est cujus placet pretium: homo sacra res, homo jam per lusum & jocum occiditur. &c.* Et alio loco de juventute agens: *Capillum frangere, mollitie corporis certare cum scæminis, & immundissimis se excolere munditiis, nostrorum adolescentum specimen est. Quis equalium vestrorum, quid dicam satis ingeniosus satis studiosus, imò quis satis vir est? Emolliti enervæque in vitio nati sunt, in vitio manent: expugnatores alienæ pudicitie, negligentes sue. Iterum alibi: Adeò in publicum missa nequitia est & omnium pectoribus evaluit, ut innocentia non rara, sed nulla sit. Nunquid enim singuli, aut pauci rapere legem? undique velut signo dato ad fas nefasque miscendum cojere.*

Sen. Ep.
95.

Idem.
Controv.
proæm.

non hospes ab hospite tutus,

De iral.
2. c. 8.

Non socer à genero, fratrum quoque gratia rara est.

Alibi conqueritur, ut multa præteream, quàm sit rara integritas, quàm ignota innocentia, & vix unquam nisi cum expedit Fides, & ambitio usque eo jam se suis non continens terminis, ut per turpitudinem splendeat.

De tranquillit. c.
15.

Hæc sapiens Seneca, quæ quantum ad hodiernos accedant mores ipsimet judicate. Nunquid in quibusdam regionibus adeo vita hominis deprecatur, ut hominem occidere, idem ferè confectur, quod muscam? nunquid magna scelera & rebuspub. noxia, respectibus, amicitijs, pecunijs redimuntur, ut sæpius peccare liceat? D. de Bandaron in libello de duellis recenset, paucis uno in regno annis post vetita Regio edicto duella, septies mille cædes duello factas, regia lenitate tanquam aquâ ablutas aut spongiâ deletas. Ad impetrandas verò ijs qui deliquerant venias & libertatem, tres auri milliones in Judices profusos. Auro nimirum tanquam balneo nobilitatis lotus est sanguis, auro emptus. Quid dicam de luxu vestium nostræ ætatis? quid de abusu conviviorum? quid de tribunali corruptela? quid de nimium quantum grassante detestabili Machiavelli Politica, cujus rudimenta jam ipsi pueri discunt? Vix jam inter plebeos invenitur nisi cum expedit Fides; adeò omnia dolis, fraudibus, simulationibus, mendacijs substructa sunt.

Scriban.
Politie.
lib. 2. c. 41.

III. Ducite *lineas parallelas*, & Romana vitia cum nostratibus comparate; invenietis (utinam fallar?) quod in multis pares simus illis, in multis etiam superiores: ut omninò erubescendum nobis sit, qui Christiani censemur, nihil in malitia concedere

dere Ethnicis. Et non metuimus ut idem nobis quod Romanis eveniat? Consulite fastos, & deprehenditis tunc cadere cœpisse Romanam fortunam, cum vitia irrepserunt, cum fræna laxata ambitioni & luxui. Verùm non obijciam vobis Romanos, non Ethnicos, quia diceretis punitos ob neglectum veri Dei cultum. Israëlitas vobis ponam ob oculos, quorum Regnum & Sacerdotium corrui propter latè grassantia peccata, tametsi coluerint verum Deum. Minabatur olim Deus Jerosolymæ per Ezechielem Prophetam: *Soror tua maior Samaria: Soror autem minor te Sodoma: penè sceleratiora fecisti illis in omnibus viis tuis.* Inquirunt Patres cur Jerusalem dicatur fuisse sceleratior quàm sorores seu vicinæ urbes; & putat S. Hieronymus, quia in templo Idolum Cœli adoravit, & postea filium Dei interfecit. Verùm quia Propheta loquitur de præterito, Hugo Cardinalis assignat hanc causam: *quia earum pœnam & culpam viderat, nec se emendavit diutius ad pœnitentiam expectata.* Per Samariam verò & Sodomam in morali sensu intelligit idem Hugo hæreticos & Ethnicos: *Sodoma & Samaria sunt hæretici & Ethnici, & isti sæpè leviora committunt, quam hi qui putantur Jerusalem, id est Ecclesia.* O quam accommodatè ad nostram ætatem, qui tam multis retroactorum temporum exemplis partim in Ethnicis, partim in hæreticis observatis non emendamur, sed ut ait Psaltes: *Superbia eorum qui te oderunt ascendit semper.* Reflectite memoriam vestram, qui maturiores estis ad mores præteritorum paucorum annorum: Annon ab annis quadraginta in triplum crevit superbia, luxus vestium, avaritia, egenorum oppressio, deliciarum & voluptatum inventiones?

Memi-

Ezech. 16.
v. 49.

S. Hieron.
ap. Hugo.
Card. in
Ezech.

Psal. 73.

Memini ego quondam magnos Dominos tam pretiosis & splendidis vestimentis non fuisse usos, quàm hodie turba famulorum illos sequentium. Memini in populosa civitate vix tres quatuorve currus pensiles, & quidem non fenestratos, visos fuisse; quibus primarij tantum vehebantur magnates; hodie omnes anguli talibus pleni sunt; & ut certet cum avaritia prodigalitas, quodq; miseris ereptum est profundatur in jacturam, pretiosissimum metallum ad commercia humanæ vitæ à Deo datum extenuatur in foliola, ijsq; illiniuntur quadrigæ paulo post luto & sordibus deturpandæ; nec quidquam efficiunt sive Ecclesiastæ suis concionibus, sive Principes Ordinationibus Politicis, sive Deus ipse minis flagellorum, & hostium ab omni parte irruentium. Tanta jam Europam occupavit vesania!

IV. Amplius dicam, sentio enim me impelli à Spiritu veritatis, quidquid obmurmuret mundus, neq; detrecto appellari hodie cum Apostolis *musto plenus*. Jerosolyma dum Christus in terris versaretur defecisse notatur in tribus. Primo defecit sceptrum de tribu Juda, cum Herodes Idumæus, gentilis homo, postea Profelytus regnum obtinuit, debellata scilicet per Romanos Judæa, & hoc propter peccata populi, cui Deus per Oseam prædixerat: *Dabo tibi Regem in furore meo*. Nam extincta stirpe Regia Judæorum Herodes in proprios defæviit filios, ut audita hac crudelitate auditus sit dicere Augustus: *Melius est Herodis porcum esse quàm filium*. Defæviit in multa millia Innocentum, quos occidi curavit metuens sibi à Rege Judæorum recens nato. Secundo defecit Jerosolyma in legitima Sacerdotij administratione, cum idem Herodes à fami-

Osee. 13,
v. 11.

Macroh.
2. satyra.
4.

Spond. in
App. num.
5.

Josepb. lib.
15. an-
tiq. c. 3.
& 9.

Josepb.
lib. 18
ant. c. 2.

Idem. sup.
& S. E-
pipham 1.
Panor. 10.

S. Aug. 2.
de civit.
Dei c. 19.

lia Assamoneorum transtulit Sacerdotium ad alios, pro libitu amovens & promovens, qui plus minusve pecunia, vel gratia apud ipsum pollerent: ut ait Spondanus ex Josepho. Tertio defecit in rectorum dogmatum sincera doctrina, quæ tunc fuit plurimis erroribus obscurata, vigentibus apud Hebræos tribus præcipuis sectis, Phariseorum, Sadduceorum, & Essenorum. Pharisei hypocritico quodam vitæ genere conspicui fato omnia tribuebant, transanimationem Pythorgoricam ita temperabant, ut bonorum animas in alia transire corpora assererent, malorum verò æternis suppliciis addicerent. Sadducei negabant resurrectionem mortuorum, negabant Spiritum & Angelos, animas cum corporibus extingui credebant, quos S. Joannes æquè ac Phariseos *genimina viperarum* nominavit. Esseni ab utrisq; divisi cæremonias cum Samaritis communes observantes negabant Spiritum Sanctum, & nonnulli eorum adeo superstitiosè colebant Sabbathum, ut quo quisq; eorum habitu, loco, situ die Sabbathi inventus esset, eo habitu, loco, & situ usq; ad vesperam permaneret. Talibus portentis tunc erat obnoxia Jerosolyma, & Judæa in qua sola notus erat Deus. Quid putamus fuisse inter gentes caliginis, quæ Dæmonia sub idolis colebant? Ipsa etiam Romana Respublica, ut observavit S. Augustinus, quæ optimis instituta legibus, & egregiis animi virtutibus orbem subegerat, relicta antiquâ rectè vivendi consuetudine una cum regimine, plus cæteris omnium vitiorum genera sectabatur. Unde omninò opportuno tempore à Deo consultum est Orbi, cum misit Filium unigenitum, ut omnia restauraret, & Spiritum Sanctum qui creata

jam in nihilum tendentia *recrearet*. Atq; hæc de antiquis illis temporibus: ad nostra nunc *flectamus oculos*, ad nostra heu! *deteriora*.

V. Nihil dicam de Regnis in Europa, quorum alia in continuo ferè motu sunt, alia transeunt de familia in familiam, uti videmus in Polonia; quæ mala hinc consequantur & audimus, & ingemiscimus; quæ populo potius quàm ipsis. Principibus meritò imputantur, aut si non populo, populi moderatoribus, quorum fidei & prudentiæ Reges suas vices committunt. *Non diu stare regnum aut respublica potest* (inquit bonus scriptor) *in qua posthabitis publicis, singuli honoribus commodisq; suis student, & in qua privata publicis potiora sunt*. Et alibi de consiliariis: *Vix cogitata produntur, sanè nondum decreta, incocta & cruda, & in primam deliberationem vocata: dum ultro adhuc citroq; res aguntur, denuntiantur hosti &c.* Quid juvat bonum esse Principem, industrium, vigilantem, paterno affectu populos amplectentem? si ij, quorum opera utitur, officio suo defint? si lingua prompti, factis segnes; cæremoniis abundantes, virtute egeni? de talibus quorum multos nostra fert ætas nuper aiebat nonnemo: *Loquuntur Principis servitium, & bonum publicum, sed hæc ipsa verba aut in veritatis Lexico nihil significant, aut solum privatam commoditatem*. Et alibi: *Sinceritate & veritate conservantur regna: non est maior vis astutiæ quàm prudentiæ, calliditatis quàm veritatis. Et malunt homines regi quàm illudi*. Qua fronte ejusmodi à populo fidem exigent, quàm ipsi suo Principi non præstant? *Per fraudem & dolum regna evertuntur*: Inquit Aristoteles: quod tantò magis metuendum est, quanto latius se malum diffundit. Nostrâ ætate

*Scriban.
in Politico
Christ.*

*Caramuel.
in Boët.
D. 5. q.
11.*

*Arist. ap.
Lips. in
Polit. l. 4.
c. 13.*

Lips. cent.
2. Epist. 6.

pueri in Scholis Catechismum, intra lares domesticos Machiavellissimum discunt. Coram Magistro metiuntur carmina, coram domesticis mentiuntur crimina; Privata quondam aularum mysteria, sunt jam publicæ vulgi lectiones in compitis. Quid boni speremus ab ejusmodi jam adultis & applicatis ad munia publica? Dicam cum Justo Lipsio: *Irritamus quotidie magnum illud numen, & quasi puniendi justæ causæ non sint, damus novas. Quando luxus, fastus, libido maior, impunitior? & Religio passim nunc in ore, improbitas in corde. Verba pietatem sonant, facta ambitionem, & avaritiam: nec in uno alterove, sed apud plerumque ordinem, etatem, sexum. Itaque de pace aut tranquillitate nihil ego spero.* Hæc scripsit Lipsius ætate nostra, de ætate nostra, à quo tempore nimium quantum sæpè verifictum est hoc prognosticum in Belgio & Germania!

Senec. de
Benef.
lib. 4. c. 18

VI. Ad hanc generis humani pestem describendam nulla Satyra sufficiat. Lamentamur sæpè à varijs nos impeti hostibus, & licet eis opponamus magnos exercitus, parum tamen prosperè tractari arma. Incusamus Duces Belli modo nimie cunctationis & socordiae, modo nimie audaciae & precipitis temeritatis, modo etiam ignorantiae, nec unquam ad radicalem causam malorum successuum advertimus. Insinceritas & simulatio, & Pseudopolitica illa est quæ tollit humanam societatem, quæ tollit humanam fidem, qua sublata integri exercitus in armis inermes sunt. Nemo jam alteri quidquam credit, nemo quidquam fidit, hinc mutuae discordiae; hinc mali successus. *Quo alio tuti sumus (inquit sapienter Seneca) quam quod mutuis juvamus officiis? hoc uno instructior visa contraque incur-*
sio-

siones subitas munitior est. Fac nos singulos, quid sumus? præda animalium & victima &c. Cæteris animalibus in tutelam sui satis virium est, quæcunq; vaga nascuntur, & actura vitam segregem armata. Hominem imbecillitas cingit, non unguium vis, non dentium, terribilem cæteris fecit. Nudum & infirmum societas munit. Tolle ergo regno synceritatem, & sustulisti societatem, tolle societatem, & sustulisti vires contra hostium incursiones. Invicta esset Germania, si unius esset animi. Vincerent nostri exercitus, nisi eorum antesignani ambitione, avaritia, invidia, collusione cum hostibus inter se digladiarentur.

VII. Nihil hic adducam de altero Jerosolymæ defectu qui erat in legitima sacerdotij administratione, reservo id alteri occasione, sufficit dicere reperiri Patronos, Advocatos, Collatores, ipsos quoque Sacerdotum Præsides, qui (ut loquebatur Josephus) *pro libitu amorvent, promovent, qui plus minusve pecunia vel gratia apud ipsos pollent.* Non est malum universale, sed frequens. Ad tertium me converto defectum, quem cernimus oculis omnes & manibus palpamus nostro seculo. Non enim jam scissâ religio est in tres sectas, sed plurimas, ut in una subinde civitate reperire possis, Catholicos re & nomine sed paucos: Catholicos solo nomine plurimos, Lutheranos, Calvinistas, Zvinglianos, & hos iterum in plures factiones divisos, Arianos, Puritanos, Anabaptistas, & quod horridum dictu est, homines tam omnis fidei pro ratione temporis & circumstantiarum, quam nullius fidei. Verbo, plures Pharisæos quam veros Israëlitas, ut si Christus denuo in mundum veniret paucos valdè inveniret Nicodemos. Eo usque de-

venimus! Hoc est quod evertit regna, quod rui-
 nat Germaniam, quod pessundat Europam: quod
 ipsam Christianitatem in præcipitium impellit.
 Ne miremini hoc dictum. Cicatrices nondum ob-
 duxit Germania ex vulneribus, quæ accepit ab
 hæresi & religionis dissidio nostra ætate; recens a-
 pud omnes memoria est vastati quaquaversum Rô-
 mani Imperij, non aliam ob causam, quàm quod
 superiore seculo membra Ecclesiæ secessionem fe-
 cerint à capite. Scæviturum ab ipsis membris in com-
 membra, nec ullos amplius involvit turbo Vanda-
 licus quàm Protestantes, & secessionis authores:
 qui si majorum acta inspexissent, næ illi advertere
 poterant quo successu Fridericus Saxonix Dux Lu-
 thero authore bellum intulerit Carolo V. fortassè
 non tantam bonorum suorum jacturam passi fuiss-
 sent. De illo Petrus Ribadeneira in hæc verba:
*Fridericus miro desiderio tenebatur familiam Austria-
 cam Imperatoria dignitate spoliandi; quod suum desideri-
 um cum vocato ad se Martino Luthero communicasset,
 is author fuit Duci, Religionem ut mutaret, si Imperi-
 um mutatum vellet. Sed insanum hoc consilium, stultam-
 que prudentiæ humanæ rationem elusit eventus. Nam
 profligatis copiis victus captusque, & dominatu, &
 Electoris potestate privatus est. Sc.* Annon licet no-
 bis de Germania dicere cum Isaia? *Terra infecta est
 ab habitatoribus suis, quia transgressi sunt leges, muta-
 verunt jus, dissipaverunt fœdus sempiternum.* Hacten-
 us pares fuimus in malitia Israëlitis, sed postquam
 etiam fœdera cum Christiani nominis hostibus
 iniire cœpimus, longè pejores. De Francisco I.
 Gallix Rege, qui ut contra Carolum V. Imperato-
 rem bellum profequeretur, Turcam sibi fœdere

ad-

Ribaden.
 de Princ.
 Christia.
 P. 1. c. 15.

Isai. 24.

adjunxit, ita pronuntiat allegatus Ribadeneira : *Ob ejusmodi pactiones, & injusta cum Ecclesiæ hostibus fœdera, aliaque nostra maleficia, quibus Numinis iram provocavimus, permisit Deus nobilissimum, potentissimum ac Christianissimum Regnum adeo miserè affligi, & velut infernis ignibus conflagrare, ut nec piorum precibus, nec lacrymis comprimi potuerit. &c.* Legimus, audimus, experimur similia, & tamen in pejora vitia reincidimus, nec volumus sapere ex majorum nostrorum infortunijs.

Ribad. cit.
c. 19.

VIII. Denique superbia, saturitas panis, & abundantia & otium, & religionis dissidium, & à capite segregatio, convellunt Europam; & dum eius Principes mutuis inter se odijs concertant, ridet interim Asia, & monstrat nobis dentes. Quænam hæc est insania in sua se vire viscera, cum hostis minitatur excidium, quem si velis calcare possis? Non est hic unius privatæ domus aut familiæ periculum; non agitur de unius urbis aut provinciæ interitu: sed tota periclitatur Christianitas. Quam sensim sine sensu extinguit Machometus. Quantum Deus bonè: à centum proximè elapsis annis non jam urbium sed Provinciarum & Regnorum occupavit hostis nominis Christiani! qui indies nos in arctum constringit, ut coarctatos facilius debeat; & nos arma in ipsum destinata in nosmetipsos convertimus? O luctuosa tempora! & illis paria si non deteriora, quibus mundus uova indiguit *creatione*, Neque enim mihi persuadeo tantos fecisse progressus vitia enumerata Jerosolymis ante Spiritus sancti adventum, quantos jam afflicta videntur passim per Europam.

IX. Non assentior scriptori Neoterico, qui
ait

*Caram. in
Boët.*

ait animosè potius quàm consideratè: *Rideo cum audio veterum aurea & argentea fuisse secula: nam existimo mundum ejusdem coloris semper fuisse. Si morum & temporum equalitatem non admittas, sed cum Lipsio moribus antiquis applaudas, audebo dicere Mundum hunc qua secularem, qua Ecclesiasticum, qua Regularem esse multo meliorem primitivo.* Risus hic meretur alium risum si seposito omni privato affectu tempora temporibus componantur. *Crevit, inquit, etate ingenium pietasque: mihi pietas decrevisse videtur: neque enim jam lego aut video in mediocri nobilitate quæ olim Constantini, Theodosij, Heraclij, Ottones egerunt. Constantini erga Sacerdotes tanta fuit reverentia, ut eos terrenos quosdam Deos nuncuparet; Theodosij tanta demissio ut exclusus per Ambrosium ab Ecclesia, æquo animo pœnitentiam subjerit: Heraclij tanta devotio, ut depositis vestimentis Imperatoriis sacco indutus publicè per urbem sanctam Crucem baiularet: Ottonis IV. tanta pœnitentia, ut absolutus à peccatis in extremo morbo, mancipia aulica & culinarios servos advocari præceperit, ijsq; collum suum calcandum dederit, seq; ut vilissimam Dei creaturam voluerit reputari. Exhibe nunc mihi tales vel inter eos in quorum domo gemini camini fumant. B. Petrus Damianus sacerdotem qui scacchorum lusui vacaverat ita reprehendit: *Re-tene, tuiq; erat officij vespere in scacchorum vanitate colludere, & manum Dominici corporis oblatricem, linguam inter Deum & populum mediatricem sacrilegi ludibrii contaminatione scedare?* Et cum reus veniam peteret: *Cui mox præcepi (inquit Damianus) ut ter Psalterium meditando percurrens ac duodecim pauperum pedes**

*B. Pet.
Dam. E-
pist. 2.*

pedes sub totidem numismatum erogatione, eorumq; recreatione lavare. Hac scilicet ratione perspecta, ut quoniam hæc culpa manibus potissimum & sermone committitur, lavando pauperum pedes, suas potius à culpæ contagione manus ablueret, & imprimens alienis vestigiis ora, pacem sibi cum Domino, quem per stendos jocos offenderat, reformaret. Hoc autem diximus, ut quàm inonestum, quàm absurdum, quàm deniq; scœdum sit hoc ludibrium in Sacerdote, ex alterius emendatione noscatur. Hactenus B. Damianus. Hoc absurdum ætate nostra inter honestas reputatur recreationes. Et adhuc dicas crevisse pietatem? *Die Dominico sine impellente necessitate iter facere non oportet.* Ita decrevit S. Nicephorus in suis Canonibus, & : *Usuram accipientibus non sunt elargienda sacramenta, nec cum perseverantibus in iniquitate communiter cibis sumendus.* Heu me, quàm pauci divites hodie ad sacramentorum perceptionem admitti possent, si servaretur hic Canon! Decrevit itaq; non crevit pietas. Si hodierna antiquis temporibus conferantur. Proinde quacunq; ex parte hodiernum Mundum intuear, undiq; mihi deterior antiquo apparet, ut nova iterum *recreatione* indigere videatur.

X. Hebræam vobis ob oculos posui Jerosolymam, nunc eandem etiam Christianam propono, ut quid porrò de hodierna morum corruptela expectandum sit statuatis. Refert Cæsarius Heisterbacensis de Guiljelmo quodam Ordinis Cisterciensis, qui ante ingressum Religionis cum Cruce signatus mare trajecit ad visitandum sepulchrum Dominicum regnante Friderico I. Imperatore, quo tempore Saladinus Babylonix Rex terram sanctam occupaverat, & Noradinus eius filius Achonis por-

S. Niceph. in
Bibl. SS.
PP. Append.

Cæsary.
Heisterb.
illust. hist.
lib. 4.
cap. 15.

tum & urbem possidebat. Huc cum appulisset Gulielmus, conspecta navi Christianorum Noradinus miti vir ingenio & natura beneficus nobilem quendam è suis linguæ Gallicæ gnarum ad navem misit, qui advenas salutaret, & ne quid hostile metuerent, polliceretur. Missa ultro citroq; munera, die postero ipse Noradinus ad navem venit ægrotum nobilem invisens, inter quæ officia prædictus Gulielmus cum aliis reverentem Regem comitari jussus est, & inter eundem à Nobili qui primum ad navem, missus fuerat interrogatus: *Quomodo Christiani in patria illius servarent legem Christianam?* Verecundatus Gulielmus fateri quod res erat, respondit: *Satis bene.* Quo responso audito Nobilis ille Saracenus: Ego inquit, exponam tibi legem Christianorum, qui in hac regione degebant. Pater meus, quia erat inter eminentiores Saladini, misit me juvenem ad Regem Jerosolymorum, eâ conditione, ut apud ipsum Gallicum idioma perdiscerem, ille autem vicissim filium suum parenti meo remitteret ut linguâ saracenicâ disceret loqui. Itaque quæ tunc audiui, quæque oculis meis usurpavi tibi referam. Christiani eo tempore Jerosolymis ita vixerunt, ut nullus adeò dives esset, qui lucri causa & pro pecunia vel sororem, vel filiam, vel quod execrabilius erat, uxorem propriam luxuriæ ac libidini peregrinorum non exponeret. Ita universi gulæ & carnis illecebris dediti erant, ut si eos de moribus æstimares, nihil prorsus à pecoribus differret. De superbia quid dicam? hæc adeò eis dominata est, ut nunquam sibi satisfacerent in vestibus suis incidendis, stringendis, prætexendis, acu pingendis, auro illudendis &c. Atque ut cœ-

tera taceam, tot fuerunt vel in solis calceis mutationes, tot novitates, ut putares eos aliud nihil dies noctesque cogitasse, quàm quo pacto unus alterum vestimentorum pompa superaret. Addidit sub hæc Saracenus: considera vestimenta mea, calceamenta mea simpliciter & humiliter formata, nulla plicarum multiplicitas, nulla curiositas. Tandem hoc addidit epiphonema: *Ecce ista sunt vitia propter quæ eiecit Deus Christianos superbos & luxuriosos de terra ista: non enim diutius potuit tantas illorum iniquitates sustinere. Putas quia nostris viribus obtinuerimus illam? nequaquam.* Pergit porrò narrare Cæsarius ex relatione memorati Gulielmi Saladinum Regem, qui Jerosolymam occupaverat, valde etiam fuisse humanum in Christianos. Nam licet ab ejus exercitu Christianorum copiarum fuissent partim deletæ, partim dissipatæ & captæ; reliquias tamen in civitatibus, quæ se ultrò dederunt, permisit quietè vivere; adhibita tamen custodia ne quid moverent. Evoluto verò nonnullo tempore inquisivit, quomodo se gererent Christiani? responsum est, haud aliter eos vivere quàm pecudes intellectu carentes, & in pastum abjectas: totam eorum occupationem esse ludos, commestationes, computationes, luxum, & illecebras voluptatum. Quare succensus irâ Saladinus, mandavit, quidquid in civitatibus Christianorum reliquum esset, pelli & exturbari. Addidit ad hæc enarrata recens scriptor: His ita denarratis exclamavit Apollonius: *Prò quod abhorret Judæus, quod execratur paganus hoc quasi pro lege habet Christianus!* Mihi exclamare libet: Prò cæcitatem Christianorum qui alieno exitio sapere non discunt! Primi parentes propter

Stengel de
Judic. To.
3. c. 62.

peccatum è Paradiso expulsi sunt: Judæi propter peccata Jerosolyma expulsi sunt: Romani propter peccata Imperio exuti sunt: Christiani propter peccata è terra sancta expulsi sunt: Christiani propter peccata è Bulgaria, Servia, Bosna, Croatia, Dalmatia, Slavouia expulsi sunt: & adhuc pergitur irritare patientiam Dei? Frustrillum illud Hungariæ, quod superest, adhuc fovere sectas, quas odit Deus, quas constat esse turbationes & ruinas regnorum? Cæteræ Provinciæ, & regna Europæ attrita non pridem bellis, nihilominus superbiam, luxui, dolis, fraudibus, injuriis, avaritiæ, cupiditati latius dominandi, vitij alijs se imergunt, ut in comparatione antiquarum ætatum, de nostra dicere liceat: *Penè sceleratiora fecisti illis, in omnibus vijs tuis.* Ex præmissis vosmet conclusionem deducite. Mihi tacere præstat, quàm plura loqui, solum addo.

XI. Timendum est ne nobis eveniat quod Jerosolymæ, quæ cum post alias urbes Deum variè offendisset, in eo demum deliquit, *quia earum poenam & culpam viderat, nec se emendavit dirivitijs ad poenitentiam expectata.* Mature itaque revocandi gressus à via iniquitatis, placandus Deus emendatione quadam universali, exorandus deinde ut mittat Spiritum sanctum suum, quo *creata* in nihilum tendentia *recreentur.* O Pater æterne *Emitte Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ.* Fili Deus de Deo lumen de lumine, illumina corda nostra, ut relictis tenebris ambulemus ad lucem, & mitte nobis promissum Spiritum veritatis. Tu quoque ab utroque procedens. *Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita.* Visita primum omnes Ecclesiasticos Ordines, illabere eorum cordibus, qui
hodie

hodie in linguis igneis super Apostolos descendisti ; ut Apostolico zelo animati , annuntient populis scelera eorum , doceant eos fugere à ventura ira , manuducant ad semitam rectam mandatorum Dei , *Et renovabis faciem terræ Veni Creator Spiritus* , Visita omnes Reges & Principes Christianos , ut ex tuo nutu sua dirigant consilia , tuo amore invicem complectantur , & positis odijs mutuam fervent concordiam , nec scindant infestis armis vinculum dilectionis : *Et renovabis faciem terræ. Veni Creator Spiritus* , visita omnes Principum Ministros & Consiliarios , & suggerant te inspirante quæ recta sunt , suadeant , quæ illorum animabus non sint offendiculum , administrent sua munia juxta regulam boni communis non boni privati , dirigant subjectos populos in viam salutis , pravos mores profligent , vitia corrigant , exemplo præeant omnibus ad virtutem : *Et renovabis faciem terræ.*

Veni Creator Spiritus , visita omnes inferiores Magistratus , ut parvis æquè ac magnis , divitibus juxta & pauperibus , alienis pariter & propinquis justitiam ministrent sine dolo , sine fraude , sine respectu personarum , sine munerum & donariorum illiciis : ut salubria Principum decreta à subditis observari procurent , abusus tollant , mores Christianæ puritati adversos eliminant , & suis ita fungantur officiis , quasi non de se tantum sed & de ijs quibus præpositi sunt Deo rationem reddituri : *Et renovabis faciem terræ.*

Veni Creator Spiritus , visita omnes Christianis Principibus subjectos populos , ut abjectis erroribus , per tuam gratiam in unitate fidei congregentur , ut sit in Ecclesia Dei unus Spiritus & una

fides, ijdem ritus, ijdem cultus divini, sub uno Pa-
 store unum ovile, & *renovabis faciem terræ. Veni
 Creator Spiritus*, visita omnes peccatores ut perpur-
 gata conscientia tuis donis & gratiis se reddant i-
 doneos, ut deinceps ambulent in novitate vitæ,
 pro vitiis sectentur virtutes, & avertant à se & a-
 lijs flagella iræ divinæ, sic renovabis faciem terræ.
Veni veni Creator Spiritus.

*Mentes tuorum visita,
 Imple superna gratia
 Que tu creasti pectora.*

Deo Trino & Uni Gloria.

FINIS PRIMÆ PARTIS.



ALLO-



ALLOCUTIO I. SYNODALIS

Ad Clerum

Dominica II. post Pascha.

TRINITAS CREATA.

THEMA.

Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. *Joan. 10.*

Cognoscetis quia ego sum in Patre meo,
& vos in me, & ego in vobis.
Joan. 14.



Obilitatus triumphalibus signis post reportatam de Inferno victoriam PACIS auspex, ante octiduum PACEM dedit suis tanquam *Episcopus animarum*, & Princeps PACIS: hodie tanquam *Pastor bonus* protestatur animam suam se dare pro ovibus suis. NN. Venerabiles Sacerdotes *conversi nunc ad Pastorem & Episcopum animarum vestrarum*. Ille inquam, qui ante octiduum Pacem dedit suis, & in sufflando dixit:

*1. Pet. 2.
Isai. 9.*

Acci-

Accipite Spiritum Sanctum; idem ipse hodie ingemiat: Animam meam pono pro ovibus meis. Brevi paraphrasi hoc dictum puto. Accepistis spiritum meum, accipite & animam meam. Animam ego hominis non distinguerem à spiritu, nisi is qui loquitur Deus simul esset & homo. Accepistis ergo Spiritum sanctum qui Deus est, cum quo ego & Pater unum sumus, accipite & animam meam humanæ naturæ formam, quam ego pro ovibus meis posui, ut & vos animarum prodigi, pro ovibus eas ponere non formidatis. Quale igitur hoc genus hominum? quod Spiritum habet distinctum ab anima Spiritum non tantum hominis sed Dei-hominis? Mira dignitas Sacerdotum! Ad vos hæc dicta sunt Viri venerabiles, qui estis æternæ veritati: *Sal terra, Lux Mundi* Matth. 5. *Præcones Evangelij.* Marci 16. *Pastores Ovium.* Matth. 16. *Piscatores hominum.* Marci 1. *Cultores vineæ.* Matth. 21. Qui estis Paulo: Cives Sanctorum & Domestici Dei. *Ephes. 2.* Ministri Christi, & dispensatores mysteriorum. *1. Cor. 4.* Angelorum Judices. *2. Cor. 6.* Qui estis Petro: Regale Sacerdotium, gens Sancta, populus acquisitionis, lapides vivi domus Spirituallis. *1. Pet. 2.* Qui estis Divis *Anselmo & Hieronymo* Speculatores Hierusalem, apes florilegæ, clypei Turris Davidicæ, sepimenta vineæ sanctæ, oculi sponsæ, custodes lectuli Salomonis. Qui estis *Gregorio Nazianzeno*: illustres animarum custodes, mundi fundamenta, & supplementa Deum hominibus concilians. Qui estis *Theodoreto*: Coadiutores Dei, voluntatis divinæ interpretes, vocis divinæ organa, potentiæ divinæ instrumenta, cœlestis regni ministri, judiciorum divinatorum nuntij,

S. Anselm.
S. Hieron.

S. Greg.
Naz.

Theodoret.

Regiæ domus dispensatores, Ecclesiæ petriæ. Qui estis Cæsario: cœlorum filij, civitatis æternæ janua, arbores scientiæ, lampades accensæ, soles Mundi, vitæ immortalis Doctores. Qui estis S. Dionysio: morborum Medici, peccantium patroni, inter Deum & homines mediatores, mysteriorum præfules. Qui estis S. Gregorio Magno: Spiritus Sancti oracula, os Dei, Prophetarum filij, hæresum flagella, fidelium Patres & Magistri. Qui estis S. Chrysostomo receptacula sapientiæ, cœli clavicularij, veritatis tubicines, vitæ lumina, cœlorum Commissarij. Qui estis Concilio Tridentino: Specula fidelium, Præsides & Judices, Christi Vicarij, pauperum Patres forma gregis, Christianæ fidei columnæ, civitates in monte, claudorum baculi, cœcorum Duces, ignorantium Magistri, Præsulum Consiliarij. Qui estis - - - quid dicam amplius? Spiritus & anima verbi humanati. Ad vos enim dictum est: *Accipite Spiritum sanctum*: ad vos dictum est. *Animam meam pono pro ovibus meis*: Ex quo per legitimam sequelam, dico amplius: Vos estis nova in mundo TRINITAS, sed CREATA. *Nam cognoscetis quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.*

II. Trinitas increata illa est: *Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum & Spiritus Sanctus, & hi tres unum sunt. Et tres sunt qui testimonium dant in terra, Spiritus & aqua & sanguis.* De Triade in terra ipse Joannes se explicat. *Hic est qui venit per aquam & sanguinem JESUS Christus. Et Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas.* Advertite, si Dei Filius unum cum Patre est, & Spiritus S. unum cum Filio, & rursus unum cum Patre, unum vobiscum est, quam mereamini no-

S. Cæsar.

S. Dionys.

S. Greg.
Magn.S. Chry-
sost.Conc.
Trid.Sess. 14.
de Pæn.c. 5.
Sess. 14.dec. de
Ref.Sess. 23 c.
1. de Ref.

Joan. 14.

1. Joan. 5.
v. 7.

Exodi 22. menclaturam. Præcipit Deus Israëli: *Dijs non detrabes.* Quid? num ergo alij Dij præter unum Deum? Ad hoc Glossa: *Dijs non detrabes, id est Sacerdotibus.* Et Constantinus Magnus in Nicæna Synodo, delata ad se causa Sacerdotum professus est: *Ite, Et inter vos causas vestras disponite, quia indignum est quod nos iudicemus Deos.* Sed rescindo ambages.

*Constant.
M. ap. S.
Bernar.
sen. serm.
ser. 4.
Dom. 2.
Quadr.*

III. Mirabar aliquando cur Sacerdotes appellari soleant *Patres*, sed ubi ad Christi oracula mentem adverti, in eam facilè transivi sententiam, quod sicut in divinis Pater est unum cum Filio, & uterque spirant Spiritum Sanctum; ita sacerdos velut Pater quidam Dei Filij, & nihilominus, nova quadam unitate unum cum eo: *Ego in vobis*: Spiritum divinum respirando alteram in mundo Trinitatem efficiat. Altissimæ sapientiæ mysterium est, Pater generat, Filius generatur: Pater & Filius unà spirant: duo spirantes, unus Spirator, unum principium Spiritus Sancti, qui spiratur, & à Patre filioque procedit. Sed quia Filius unum tantummodo Patrem habebat in cœlis ab æterno, usq; adeò eius sæcunditatem exhauriens, ut fratrem ab illo expectare non possèt, novæ generationis inventor unioe hypostatica & admiranda se homini sociavit, factus in tempore de Matre virgine Deus homo, jam tot fratres habet, quot fideles, tot Patres quot Sacerdotes.

*Mag.
sent. 1.
dist. 29.*

IV. Quid enim aliud exercetis quotidie in stupendo illo altaris mysterio, quàm quod ab æterno Pater æternus? Nempe nova quadam analogia eundem cum Patre Deo Dei Filium generatis, & quod æquè mirabile est loquendo generatis. Pater ab æterno unum Verbum tantum loquitur, & loquen-

quando generat : ita vos Patrem æmulati quotidie loquendo eiusdem Filium generatis. Qua consideratione forsân inductus Theophanes Sacerdotium appellavit *Opificialem Dei potentiam*. Ita enim effatur, cum supra humanum fastigium esse meminit conficere corpus & sanguinem Domini : *Hoc ergo opus excellentissimum, & Apostolis similiter operandum tradidit, & per illos, illorum successoribus, & deinceps reliquis, usque ad finem vitæ presentis. Unde non erraverit & dilecti qui sacerdotium esse dixerit opificialem Dei potentiam*. Minus igitur dixerit Augustinus : *Veneranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus Dei Filius, velut in utero Virginis in carnatur !* Concurrat ad operationem Sacerdotalis manus non tantum analogia generantis virginis, sed etiam omnipotentia Creatoris, ut disseris B. Pet. Damiani ; dum ait : *Consummatus honor hominem in terris positum cælis imperare. Præcedit Petri sententia, sententiam Redemptoris : quia non quod Christus hoc ligat Petrus, sed quod Petrus, hoc ligat Christus. Judicat Petrus & Petri iudicia confirmat omnipotens : & est in manu Petri manus altissimi*. Maius est quod adstruit Augustinus Sacerdoti attribuens quandam omnipotentiam Creatoris, dum ait : *O venerabilis sanctitudo manuum ! O felix exercitium ! qui creavit me (si fas est dicere) dedit mihi creare se, & qui creavit me sine me, ipse creatur mediante me !* Quid amplius aut gloriosius dici possit ? Stupet animus dum considerat potentiam Sacerdotis supra omnem humanam pompam mirabilem & gloriosam, divinæ quâ fas est æmulatricem !

V. Tantæ dignitati suo etiam suffragio subscribit Gentium Doctor, qui vidit arcana : *Flecto : inquit genua mea, ad Patrem Domini mei JESU Chri-*

S. Theophan.
lib. de
Sacerd.

S. Aug.
hom. 2. in
Psal. 37.

B. Pet.
Dam.
serm. 26.

S. Aug. in
Psal. 37.

Ephes. 3.

sti, ex quo omnis Paternitas in cœlo, & in terra nominatur. Dei Filius in cœlo Patrem in terra Matrem habet; nec ullam hætenus Paternitatem eius in terra novit fides: Quænam ergo illa Paternitas in terra, quæ nominatur in terra sicut Paternitas in cœlo? Utique non alia quàm Sacerdotalis. Vestra Patres venerandi, hæc est Paternitas, qua Filium Dei advocatis è cœlo, generatis in altari, gestatis in manibus, sumitis ut cibum: & stupendo iterum mysterio, mirabili Metamorphosi, ubi Patres estis, etiam transformamini in Filium, ut de vobis possit dicere Dei Filius: *Ego & Pater unum sumus*, Ego & Sacerdos unum sumus. Qui enim in cœlo Patri est consubstantialis, in terra unum efficitur cum Sacerdote, & quodammodo in eum transsubstantiatur. *Ego sum in Patre, & vos in me, & ego in vobis*. Et rursum: *Pater sancte serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint unum sicut & nos*. Quid est servare in nomine Patris, nisi ut Patres vocemini, & sitis unum inter vos, unum cum Filio, unum cum Patre. Hinc illa ad incrementum elogij vestri. *Qui vos audit me audit*. Verbum Patris est, ergo qui vos audit Verbum Patris audit. Et qui de se dixit: *Ego sum lux mundi*, idem ad vos transtulit parem nomenclaturam: *Vos estis lux mundi*.

Joan. 17.

Joan. 8.

Matth. 5.

Gen. 1.

S. Hieron.
in Tradit.
Hebraic.

VI. Definite nunc mirari, quod vos novo appellationis genere pronuntiaverim TRINITATEM CREATAM. Cùm enim sitis unum cum Patre & Filio, facilè ostendam etiam unum vos esse cum Spiritu sancto. In primordijs nascentis mundi *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, id est interprete Hieronymo, *incubabat seu consorvebat*, in similitudinem volucris ova calore animantis. Quis hic non ex-
cla-

clamet? *Aque multe populi multi*: Sacerdotum curæ commissi, ut nondum animatos animent in baptismo, exanimatos peccato, redaniment per pœnitentiam. Sed & homini effigiato de luti plasmate, *inspiravit Deus spiraculum vite, & factus est homo in animam viventem*. Amabo vos, edicite: num artifex alia arte opus primum efficiat, alia destructum reficiat? Negabitis: & ego dicam; homo per peccatum mortuus eodem spiritu redanimatur ad vitam, quo primum fuerat animatus. Quod illic agebat Deus in verbo virtutis suæ & spiritu, cum opera Trinitatis ad extra sint indivisa, hoc modò agitis venerabiles sacerdotes. Vobis enim post gloriosam anastasim ascensurus ad Patrem Dei Filius *insufflavit & dixit: Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis*. Ad vos dicit: *sicut misit me Pater, & ego mitto vos*. Et si ipse cum Patre misit Spiritum quo renovaret faciem terræ, vel ex hoc potestis agnoscere dignitatem vestram, qui eadem cum Patre & Filio prædicata sortiti estis. Et si Pater cum Filio unus est Spirator Spiritus sancti, quid vetat dicere, vos cum Dei Filio instrumentaliter respirare Spiritum sanctum quando ut causa instrumentalis confertis gratiam, inspiratis Spiritum sanctum in corda fidelium, ut fateantur regenerati in aqua & Spiritu: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum qui datus est nobis*. Neque enim in ventos loquimini, cum recens natus lustrali aqua abluitis & insufflatis ac dicitis: *Exi ab eo immunde Spiritus, & da locum Spiritui Sancto Pœraclito*. Donatis gratiam, qua ratione? loquatur Doctor Angelicus. *Dicendum quod gratia gratum faciens disponit animam ad habendam divinam*

S. Tho. 1.
p. 1. 36.
a. 4.

Rom. 5.

D. Tho. 1.
p. 1. 43.
a. 3.

personam, & significatur hoc cum dicitur, Spiritus S. datur secundum donum gratiæ. Sed tamen ipsum donum gratiæ est à Spiritu Sancto. Et hoc significatur cum dicitur: quod Charitas Dei diffundatur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum qui datus est nobis. Donum gratiæ est à Spiritu Sancto principaliter, donum gratiæ est à Sacerdote instrumentaliter seu ministerialiter, ut loquitur S. Thomas. Et neget quisquam symbolizare Sacerdotes cum Spiritu Sancto, qui nec loqui possunt sine Spiritu Sancto? Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis.

S. Tho. cit.

4. 1.

Matth. 10.

VI. Solutum credo me promissi fide. Sacerdos nova in mundo TRINITAS CREATA. Ut Pater generat Dei Filium, ut Filius in ipsam Filium velut transubstantiatur; ut Pater & Filius Spiritum Sanctum respirat: ut Spiritus Sanctus dona distribuit gratiarum ministerialiter. Et hi tres unum sunt, cum quibus ut unum simus Sacerdotes non tam dignitate quam virtute, enitendum nobis est, ac meminisse oportet, nihil nobis profuturos magnos titulos, splendidas nomenclaturas, Deo paulò inferiora elogia, si animus castus fuerit ornamentis æmulantibus TRINITATIS INCREATÆ perfectiones. Imitanda est Providentia Patris, Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus. Zelus Filij in lucrandis animabus: Quicumque enim Spiritu Dei aguntur ij sunt Filij Dei. Et: si præoccupatus fuerit homo aliquo delicto, vos qui spirituales estis hujusmodi instruite in Spiritu lenitatis. Spiritus Sancti. Deus Charitas est: qui manet in charitate in Deo manet & Deus in eo. Obsecro itaque vos, ut dignè ambuletis vocatione qua vocati estis,

Rom. 12.
v. 17.Rom. 8.
Gal. 6.

1. Joan. 4.

Ephes. 4.

flis, supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem Spiritus in vinculo pacis. Unum corpus & unus Spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestre. Unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus & Pater omnium, qui est super omnia, & per omnia in omnibus nobis. Hac panoplia virtutum ornatis, qui nunc estis congregati in Spiritu, licebit in Scrutinio dicere: *Visum est Spiritui Sancto & nobis.* Dixi. Aao. 15.



ALLOCUTIO II. SYNODALIS.

Ad Clerum.

Dominica II. post Pascha

SIMILITUDO RECIPROCA.

T H E M A.

Cognosco oves meas, & cognoscunt me
meæ, sicut novit me Pater, & ego
agnosco Patrem. *Joan. 10.*

Inter Patrem & filium similitudinem, natura, ratio, Philosophia, Theologia, fides docet: inter Pastorem & oves reclamante natura, sola fides evincit: Ipse dixit, qui est increata veritas, via sine ambagibus,
fin-

sinceritas sine fuce, vita sine defectu, sapientia sine literis, Imago Patris sine lineamentis, ita distinctus à Patre, ut tamen unum cum Patre ; veritatem, viam, sinceritatem, vitam, sapientiam, imaginem hominibus impressurus ; ipse dixit : *Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ.* Assimilatus illis, video illas mihi assimilari. Pastorem ovibus ? oves Pastori ? & quod omnem excedit admirationem : *Sicut novit me Pater & ego agnosco Patrem.* An illa fortassis emphasi ? sicut novit me Pater generans per intellectum, sua unitate fœcundus, sua fœcunditate facundus, suâ facundia eloquens unius tantum verbi, sed quod omnium verborum Synopsis est, quod ab omni æternitate locutus, adhuc loqui non cessat : ita ego cognosco oves meas feliciter creatas, infeliciter genitas, regenerans per gratiam novo Metaphoræ genere translatus è cœlo in terram, ab auribus ad visum, adhuc in auribus hominum personans quia Verbum, *in similitudinem hominum factus, & habita inventus ut homo* : eo consilio ut homines noscerent Patrem, & me videndo viderent Patrem. *Et sicut ego agnosco Patrem* nunquam morituri æternus hæres, quia in æterno hodie genitus, semper spirans quia semper vivens, Speculator Patris, quia speculum ; reddens radios quia recipiens : *ita cognoscunt me oves meæ* reciproca in me similitudine reverberatæ, adoptatæ in hæreditatem filiorum Dei, quia *gloriam Domini specularantes.* Mirabile sicut ! nova sive antithesis, sive homologia ! Pastor similis ovibus, Pastori oves !

Phil. 2.

2. Cor. 3.

Joan. 1.

Hæsitarem perplexus, nisi scirem hunc Pastorem ovium, etiam Agnum esse. *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi* : imò etiam ovem appellari :

lari: *tanquam ovis coram tondente se obmutuit*: nisi audirem ab Ecclesia: *Agnus redemit oves, Christus innocens Patri reconciliavit peccatores*. Æternus Pastor assimilatus ovibus in tempore, & vellere carnis Virginæ investitus, inde fortè primùm à Pastoribus agnitus quia *Agnus*. Veritas est, ac veritatis effatum: *Cognosco oves meas, sicut novit me Pater*. Imaginem meam illis impressam video. Nihil Patri similis, quàm Filij: nihil agno similis quàm oves: sed procul illæ quæ non sunt ex hoc ovili, procul illæ quæ nomen habent, substantia destitutæ sunt, quæ *veniunt in vestimentis ovium, intrinsicus autem sunt lupi rapaces*. Cognosco oves meas, ex quo hypostaticæ unionis glutine illis conjungor, ab illis separari non possum, & vix ad oculum discerni. Pastor idem & ovis, *animam meam pono pro ovibus, sicut ovis ad occisionem ductus*, unus pro omnibus.

Isai. 53.

Hymn.
Pafol.

Mattib. 7.

Cognosco oves meas, quas à servitute asservi in libertatem. *Jam non dicam vos servos, sed amicos*. Amicitia vel pares invenit, vel facit: mutua notitia morum similitudine generatur. Nihil inter similia, mitius vel amicius ovibus. Videor mihi audire ovem unam in Canticis: *Ego dilecto meo, & ad me conversio eius*, quod expressurus Orator dicebat: Verbi humanati Echo homo justus. Poëta verò pingebat solem è Chrystallo reflexum, addito lemma te: *Non idem sed similis*. Hoc uno distat ovis à Pastore, quod intra terminos similitudinis coercita, identitatem Filij cum Patre non expleat. *Non idem sed similis*. Enodandum nobis est hoc mysterium, nec possumus absq; divinæ sapientiæ mytagogis. Quæstionem movet Theologorum Aquila Joannes:

Joann. 15.

Cant. 7.

H h h

sicut

sicut novit me Pater, ita cognosco oves meas. Visne dicere divine Pastor. Sicut Pater ab æterno divinitatis suæ radios in me ceu speculo reverberat, ita ego qui sum splendor paternæ gloriæ, in ovibus meis per actum reflexum relucens meipsum contem-
 Rom. 8. plor. Amabo te quid hic tibi occurrit divinorum conscie mysteriorum Doctor gentium? *Quos præscivit, inquit, & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui.* Planè Theologicè! ut Theologorum Princeps Thomas pronuntiare non dubitet: *Prædestinatio Christi est exemplar nostræ prædestinationis. Ipse enim est prædestinatus ad hoc, quod esset Dei Filius naturalis: nos autem prædestinamur ad filiationem adoptionis, quæ est quædam participata similitudo filiationis naturalis: unde dicitur Rom. 8. Quos præscivit & prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui.*

Cuius est hæc imago, quærit olim Servator à Judæis: *Dicunt ei: Cæsarius. Reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari.* Quæro ego ex vobis Venerabiles Sacerdotes Dei. Cuius est vestra imago? Tacetis? & ego video in Crystallo reflexas imagines conformes imagini Filij Dei. Euge feliciter! Clamant prædestinati apud Theologam Aquilam: *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes.* Fasces Consulium, Regum purpuras, Cæsarium Diademata subjecit pedibus eorum. At hoc parum est; addit *Et Sacerdotes: hoc supra fasces, purpuras, diademata & omne quod humanum dicitur, excellit munus. Quanto anima corpore præstantior est, tanto est Sacerdotium Regno excellentius,* inquit Clemens in Constit. Apostol. Et D. Thomas: *In novo testamento Sacerdotium præeminet regno, sicut Spiritus corpori.* Quid ergo? num omnes quos prædestinavit conformes fieri ima-
 ma-

Rom. 8.

D. Tho.

Apost. 5.

Clem.
Constit.
Apost. lib.
2. cap. 34.

maginis. Filij sui Sacerdotali charactere insignes ? vel soli Sacerdotes prædestinati ? Non hoc ait : *Erunt Sacerdotes Dei & Christi, & regnabunt cum illo* : quos elegit ex omni carne, ex omni tribu, populo, & natione. Non ergo soli conformes imagini Filij Dei, quos character Sacerdotalis diademata : sed hi verè conformes imagini Dei : illi verò Christi : hi propriè, illi per quandam analogiam, & respectum ad principale analogatum : hi quia Sacerdotes Dei : illi summi Sacerdotis Christi vmbra-tilis delineatio.

Apoc. 20.

Apelles pictorum Alpha apud Alexandrum Regem ab aulico delusus, cum hominem Regi vindictam paranti nominari non possët, illicò arrepto carbone ad parietem rudibus lineis sycophantam delineavit, ut nemo non effigiatum agnosceret. Sit fas dicere cæteri prædestinati rudis sunt delineatio : Sacerdotes vivis coloribus effigiatæ imagines, & omninò conformes imagini Filij Dei. De Sacerdotio Christi, quod est Sacerdotium Dei summi, turba gentium inquit : *Tu es Sacerdos in æternum, secundum ordinem Melchisedech*. Hic enim Melchisedech Rex salem Sacerdos Dei summi, Rex pacis, *sine patre, sine matre, sine Genealogia : neq; initium dierum, neq; finem vitæ habens*. Quæ ponderans Doctor Angelicus : non quod ista (inquit) non habuerit, sed quia in scriptura sacra, ista de eo non leguntur. Et per hoc ipsum (ut Apostolus ibidem dicit) assimilatus est filio Dei. Ecce Sacerdotem vivam imaginem Filij Dei, Ecce ad prototypon figuratum exemplar. Theologiæ effatum est : *ratio imaginis propriè convenit Filio* : huius principale analogatum est Sacerdos, minus principale fideles cæ-

Hebr. 7.

teri. Atq; ut de his taceam, quia sermo mihi est ad Sacerdotes, assertum ex duplici potestate Sacerdotij palam evinco. Norunt Theologi Sacerdotibus potestatem conferri Ordinis & Jurisdictionis. Utraq; vivam repræsentat imaginem Filij Dei. Dixerim videre me totidem vivas Christi Filij Dei imagines, quot Sacerdotes. *Data est mihi omnis potestas, in cælo & in terra*, ait de se Christus, sed hanc ipsam potestatem contulit Sacerdotibus: *Quodcumq; ligaveris super terram, erit ligatum & in cælis*.

Matth. 28

Martial.

Divisum Imperium cum Jove Cæsar habet: Canebat olim Poëta de Augusto, quia scilicet *Jupiter in cælis, Cæsar regit omnia terris*. Amplior Sacerdotis potestas: neq; enim jam divisum, sed divinum Imperium Sacerdos cum Deo commune habet. Non dividunt scæptrum Deus & Christus. Christus & Sacerdos, sed unum idemq; utriusq; est: in terris imperant, in cælis imperant.

Fallor, nisi etiam omnipotentem dicere liceat Sacerdotem. Ut sub iisdem accidentibus & speciebus, delinente substantia panis, succedat corpus Christi in altaris mysterio, credo neminem unum esse qui inficias eat. Nam ut Cypriano loqui placuit: *Omnipotentia verbi transit panis in corpus Christi*. Atqui & sacerdos per delegatam potestatem & omnipotentiam Christi dicit: *Hoc est corpus meum*, & panis speciebus illicò substituit corpus Christi. Nega itaque si potes Sacerdoti omnipotentiam: Quam vel ex eo intellige, quod in ipsiusmet Christi persona loquatur *corpus meum* asserens, non corpus Christi. Corpus Christi reponit in altari, & nominat *corpus meum*, quasi idem sit Sacerdos cum Christo, Dicat iterum Sacerdos per omnipotentiam

D. Cypri.
an. ap.
Par.

am Dei: *Ego te absolvo*; nam *Deus est qui justificat impium*: dicet quoque Sacerdos per delegatam omnipotentiam Christi ad peccatorem: *Ego te absolvo*. O miram potestatem Sacerdotibus concessam! ô excessum dignitatis & excellentiæ! Christus est Deus in cœlo, & in terra, Sacerdos est Christus in cœlo & in terra: ac si acutè loqui volumus Vice-Deus in cœlo & in terra.

Redeat in memoriam nox illa dierum æmula, qua Christus pridie quàm pateretur, novo artificio, per amoris insidias ad corda quæsitivum aditum, coarctato in panis buccellam suo corpore, & velut propinato sui sanguinis philtro, voluit sepeliri in suis, an potius transsubstantiari in sacerdotes: voluit per hos esse Sacerdos in æternum, moriturus quotidie, & resurrecturus in Sacerdotibus. Nam si verum est quod clamant Philosophi alimentum transire in alium nova metamorphosi Sacerdotes qui de pane illò edunt transformantur in Christum: de quo Psaltes non sine mysterio: *Mittit crystallum suam sicut buccellas*: id est, ut ego quidem interpretor, agnum manducantibus apponit panem Angelorum; post figuram porrigit figuratum: verè pastor bonus; qui ut se promissò liberet, & maneat in suis ovibus, usque ad consummationem sæculi, seipsum in illas transsubstantiat, ut possint dicere: *Vivo ego jam non ego; vivit verò in me Christus*. Hinc buccellas crystallo comparat, formans in Sacerdotibus alios Christos. Si græcisare concessum est *crystallo* etymon græcum est, quasi *Christos allos*, Christus alius. Ita nempe Sacerdos quotidie dum capit crystallum sicut buccellas transit in crystallum, Christum alium: fit alter

Coloss. 8.

Christus. Pingo igitur è crystallo reflexum solem, & addo lemma: *Idem utrobique*. Nec immeritò: cum enim omnis anima rationalis crystallo conferri possit, potiori jure Sacerdotis.

Hel. in
Imag.

Notus illa nostræ ætatis Chymicorum Deaster gloriabundus de sua anima scribit in Imagine Dei; sic Tractatùm appellat. Anno 1633. in variis fortunarum afflictionibus, in visione vidi animam meam. Erat autem plusquam lux in figura humana, cuius totum erat homogeneum activè cernens, substantia spiritualis crystallina, & lucens. Cuius sigillum erat lux ineffabilis, sic reflexa in crystallo, ut crystallus ipsa fieret incomprehensibilis. Sint hæc Chymicis ænigmata, nobis sacra veritas. Sacerdos crystallus alter Christus substantia spiritualis: Vos qui spirituales estis, & lucens: sic luceat lux vestra. Cuius sigillum lux ineffabilis: Signatum est super nos lumen vultus tui. Lux ineffabilis homo-Deus, sic reflexa in crystallo, ut crystallus ipsa fieret incomprehensibilis. Prædicata divina, & lucis ineffabilis, id est Dei in Sacerdote reflexio, Sacerdotem efficit incomprehensibilem quasi Deum. Ne sine fideiussore dixerim, pro me spondet divinus Spiritus per Pfalten: Ego dixi, Dij estis, & filij excelsi omnes. Sed & magnus ille Constantinus in Nicæno Concilio præsentibus trecentis Episcopis, cum ei aliquot Sacerdotum accusationes per supplices libellos porrectæ fuissent, ita Patres in consessu allocutus fertur: Deus vos constituit Sacerdotes, & potestatem vobis dedit de nobis quoque judicandi: & ideò nos à vobis rectè judicamur, vos autem non potestis ab hominibus judicari. Vos enim nobis à Deo dati estis Dij, & conveniens non est, ut homo judicet Deos, sed ille solum de quo scriptum est

Deus

Deus stetit in Synagoga Deorum : in medio autem Deos dijudicat. Hæc magnus Constantinus.

Pastorem ovibus , Christum Sacerdotibus composui, non opposui. Nam *qui contra me est dissipat.* In speculo colliguntur species ut objectum visibile reddant, quæ in aëre sparsæ nil repræsentant. Unicum addo : Numerianus Imperator, ut famæ de se conceptæ apud populum responderet, sic se urgebat : *Numeriane esto quod audis.* Sacerdos imago Dei es, Christus alter es, *esto quod audis :* & cave ue tibi quoq; Christus dicat quod Alexander Macedo ignavo militi, cui etiam, Alexandro nomen erat : *Aut muta nomen, aut muta mores.* Dixi.





ALLOCUTIO III. SYNODALIS

Ad Clerum

SACERDOS CRUCIFIXUS.

T H E M A.

Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. *1. Cor. 2.*



Enerabilis hic, & sua dignissimus reverentia confessus vester Sacrorum præses, quem ad auspicanda annua Comitia præsentem venerabundus (ut par est) contemplor, & alloqui jubeor, non minori me perfundit lætitia, quam percellat timore. Dicendum mihi est ad viros variâ scientiarum Encyclopædia instructos, idq; modicum quod in me est ingenij aut doctrinæ, liberiori exponendum censuræ, hoc fateor nonnihil in me excitat timoris ac sollicitudinis : sed dicendum etiam est ad eos, qui fructum spectant non florem, medullam non corticem, nucleos non pulamina, succum non fucum, substantiam non accidentia; hoc me iterum recreat & animat, ut impositi huius muneris tabulas obsignare non dubitem Consulibus Placido & Velleio. Nil

hil proinde opus est per ambages metaphoricæ, per operosos figurarum anfractus miscere verba, vestire sensus, involvere sententias, ex quibus veritas tanquam Minotaurus è Labyrinthæis flexibus laboriosius quàm utiliùs extrahatur. Veritas semper nuda est, incompta est: mendacia calamistris inusta crispantur, fucos amant & gyros, ut non agnoscat, cincinnos volunt ut irretient, incrustari debent ut placeant. Veritas nativâ suâ contenta pulchritudine facillè inter probas mentes sui nanciscitur amatores. Candida est sine cerussa, libera sine vinculis, sincera sine additamentis. Candidè igitur, liberè sincerè dicam, & erit cum Apostolo sermo meus *non in persuasibilibus humane sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritus & virtutis, ut fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*

Princeps Philosophorum Aristoteles virtutis naturam definiens ad Sapientes nos ablegat. *Est virtus ratione sic definita, ut sapiens præscripserit.* Sed amabo te virorum sapientissime, palàm ediffere, quis ille sapiens? qua ex gente, qua disciplina? Et si tu sapiens esse vis, cur munus eius tergiversaris præscribere? Habent jam olim suos sapientes suæ nationes; suos Legislatores suæ urbes; suos morum Magistros sui Reges. Bætriani Zoroastrem legum conditorem. Scythæ Zamolxidem, Athenienses Solonem, Lacædæmones Lycurgum, Ægyptij Cecropem, Lydi Cleobulum. Sed qui Lycurgus virtutis normam præscripserit, cui violentæ aggressiones & homicidia Republicæ probantur utilia? Quid Zamolxis, cuius lege marito mortuo viva uxor consépelièbatur? Quid Cleobulus apud quem Oeconomica fuit industria, ut Virgines dotem futuri connubii vago cor-

*Arist. 2.
Ethic. c. 6.
& lib. 1.
Mag.
Mor. c. 14*

poris quæstu conquirerent? Quid Cecrops, qui virtutem putat rapinas & furta? Heu propudia! Ita sapere, desipere est. Num & septem illos Græciæ sapientes commemorem, quorum in id unicè tendebant studia, ut dicto aliquo insolenti nomen sibi sapientiæ compararent. Unus Archytas Pythagoræus sapienter de sapientia videtur sanxisse, cum diceret: *Apello sapientiam cognitionem Numinis rerumq; divinatum, ac prudentiam humanarum rerum, & earum que vitam spectant.* Ita ferè decernebat etiam Magnus Augustinus, ait quippe: *Sapientia est in contemplatione eternorum: scientia verò in occupatione temporalium.* Amplector sancti Doctoris sensum. Sed diffusius hæc enuntiantem Lactantium Firmianum audio: *Omnia sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat & colat. Hoc nostrum dogma, hæc summa est. Quanta itaq; voce possum testificor, clamo, denuntio. Hoc est illud quod Philosophi omnes in tota sua vita quæsierunt, nec unquam tamen investigare, comprehendere, tenere valuerunt; quia Religionem aut pravam retinuerunt, aut totam penitus sustulerunt. Qui vult ergo sapiens ac beatus esse audiat Dei vocem, discat iustitiam, sacramentum navitatis sue noscat, humana contemnat, divina suscipiat, ut summum illud bonum ad quod natus est possit adipisci.*

Hoc illud est quod monet Apostolus cum suos Corinthios ab humanæ sapientiæ inquisitione conatur abstrahere, ut divinam tanto alacrius sectarentur. *Fides vestra non sit in sapientia hominum sed in virtute Dei.* Ego sanè ita existimo, longè optabilius esse omni quidem Christiano, sed præsertim Sacerdotibus, ad quos mihi sermo est, cum Paulo desipere, quàm cum Lycurgo, Zamolxide, Cleobulo, Cecropè, sapere. *Sapientia enim huius mundi stultitiâ est apud Deum. Quoniam & Judei signa*

Scob. ser.
de virt.

S. Aug. in
Ep. ad
Cor. c.
12.

Lact. Fir.
mia. div.
Instit. lib.
3. c. 30.

1. Cor. 3.

peſunt, & Græci ſapientiam querunt, nos autem prædicamus Chriſtum Crucifixum. Hæc igitur vera eſt ſapientia. Nullus Apelles ſapientis etypon meliùs delineaverit, nullus Protogenes elegantiore penicillo ſapientis Sacerdotis normam expreſſerit. Quid ita? num Chriſtus Sacerdotis norma, etypon, exemplar, & hic Crucifixus? Ita proſus: illius unius penicillo & digito delineatus, qui unus eſt in tribus, cum formaret *Sacerdotem in æternum ſecundum ordinem Melchizedech*. Memini in ſacris literis Joachim appellari Sacerdotem Domini magnum: magnum (ut conjeſturant Interpretes) & potentiæ amplitudine, & gloria poteſtatis, & commendatione virtutis. Neq; enim magnum credidero, qui deductum nomen habet à trabeis, à purpuris, à triumphis; qui recolit ex eſam ſenio nobilitatem, qui opibus fulget, qui affinitate Procerum, qui meritis ſecularibus, qui negotiatrice munerum largitione ſumptuoſus incedit: ſed is mihi verè magnus eſt, quem vitæ probitas, morum integritas, rerum experientia, ſcientiarum eruditio, ſanctimonix laus commendat, qui jure poſſit dicere: *Chriſto confixus ſum Cruci*. *Adeſte jam* (verbis utor Nazianzeni oratione pro Baſilio) *adeſte jam omnis Baſilij chorus, tam qui ſacrarium eſtis, quam qui inferioris ordinis*. Auditis quos ſacrarij nuncupatione compellet? Sacerdotes fanè, qui Chorum Baſilij conſtituebant. In Eccleſiarum ſacrarijs piè adſervari, & religioſè coli ſolent ſanctorum reliquiæ, Martyrum liſana, Confeſſorum exuvia: Sacerdos ergo ſit ſacrarium Dei, in quo populus veneretur Apoſtolorum ſucceſſorem, Martyrum aſſeclam, idæam Chriſti, qui cum Paulo dicat *Chriſto confixus ſum Cruci*. Sacerdos ſit

Judith. 15.

lipsanoteca in qua prædicet fidelium corona virginum integritatem, Confessorum jejunia, Doctorum sapientiam, Prophetarum oracula, Patriarcharum Zelum, Angelorum in protectione animarum fidelitatem.

Tertull.
c. 7. *Apo-*
loget.

Naz. orat.
de S. Ba-
sil.

Anton.
Abb. in
Meliff.
ser. 3.

Sever. in
vita. S.
Martin.

Tiberius Orbis Monarcha Saturni Sacerdotes, aut potius sacrificulos *votivis crucibus exposuit*, ut loquitur Tertullianus, Magnus Dei veri Sacerdos piè æmulatus est hanc impietatem Tiberij, ne deesset Christiano Sacerdoti, quod in pagano adorabatur: sic enim pronuntiat de Basilio Nazianzenus: *Atq; ipsum quidem Basilium vidit Imperator, ante populum recto corpore stantem, nec corpore, nec oculis, nec animo ullam in partem se moventem, sed Deo utita dicam & altari ADFIXUM.* Ecce tibi Sacerdotem Deo & altari velut *Cruci adfixum*, votivæ Cruci expositum, Ecclesiæ sacrarium; planè dignum quem veneretur summus Principum, cui omnes omnis status & sexus pronò corpore acclives fiant. Nec immeritò, siquidem ut aiebat Antonius Abbas: *Tanto est superius regno Sacerdotium, quantum est inter Spiritum & carnem intervallum.* Quid rogo abiectius? quid vilius carne? quid sublimius, quid augustius Spiritu? tantum nihilominus antecellit Sacerdotalis auctoritas Regiam dignitatem, quantum Spiritus carnem. Id sanè luculento comprobatur testimonio Severus Bituricensis in vita S. Martini, quem cum Maximus Imperator adhibuisset convivio, & pocillator de more pateram Imperatori dedisset, ille Magno Sacerdoti Martino prius porrigi mandavit, *expectans atq; ambiens* (verba sunt Severi) *ut ab illius dextera poculum sumeret; sed Martinus ubi ehibit, pateram Presbytero suo tradidit; nullum scilicet existimans digni-*

digniore, qui pñst se biberet ; nec integrum sibi fore, si non Regi ipsi Presbyterum prætulisset. Quod factum Imperator, omnesq; qui tunc aderant ita admirati sunt, ut hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret. Nimirum secundus esse à Sacerdote Turanensi vel ipse Maximus Imperator ambiisse dicitur : & spe sua frustratus in lucro reposuit, proximum à Presbytero simplici tenere locum. Legimus ista, audimus ista ! & miramur etiamnum cum sapientibus huius seculi, alios horum temporum mores, alias ambitiones, & vilipendi sæpè numero Regale Sacerdotium ingemiscimus ? Quin sentit fortè unus aliquis cum Puteano, quod *Alios annos alij mores* decent : alij anni alios mores docent. Frustra inclamamus. O tempora ! ô mores ! Non est hæc culpa eorum qui nos contemnunt ; culpa nostra est, qui contemni meremur. Nondum vidimus, aut sanè quàm rarissimos tam pietatis oblitos Cæsares, Reges, Principes, Magnates, quos quidem Spiritus in unitate fidei congregavit, & recusarent debitam Christo Cruci affixo reverentiam. Huic à summis pariter, & imis (ut ut depravata sint cum moribus tempora) in compitijs, in vijs publicis, in templis, in privatis domicilijs, nudantur capita, flectuntur poplites, curvantur corpora : sed - - - Quod egerunt majores nostri hoc agunt posterius, adorant Christum, & hunc *Crucifixum* : sed - - - Idem nunc est cursus siderum qui olim fuit, eadem hominum ingenia, & ad pietatem fortè procliviora quàm olim ; sed - - - Quid sed ? Erumpe tandem justus doloris testis, sed vera vox. Desunt hodie mundo Basilij, desunt Martini, desunt Pauli, qui citra falsi periculum possint dicere : *Christo confixus sum cruce.*

videat mundus hodie in Sacerdotibus genuinam Christi effigiem, videat Basilios, recto corpore stantes, nec artubus nec oculis ullam in partem se moventes, sed Deo & altari adfixos: videat nos virtutum sacraria, lipsanothecas innocentiae, sectatores honorum operum, imitatores Sanctorum; ambient ipsi etiam Principes postponi Presbiteris. *Sit fides nostra non in sapientia hominum, sed in virtute Dei.* Humanæ sapientiæ inventa sunt avara negotiatrix cupiditas turpis lucri quæstus, honorum ambitio, onerum fuga, major scyphorum in tabernis, quàm calicum in Ecclesijs cura. Ah quam multis hoc seculo potior cura est crumenarum quàm animarum; quibus sublimior Ecclesiæ honor species videtur honesti lucri, & artificium opulentæ negotiationis, qui sacerdotia appetunt non ut sacrificent, sed ut lucrificent. Hos ego sacrorum non sacrorum Præfides appellavero. Quàm multi dum operantur ad aras de cruce cogitant, sed facienda inter impuros amplexus: de calice recordantur, sed quem pridie centies ad ractum usque desiccant; hos ego ad horas non ad aras amandavero. Quàm multi ut accessum habeant ad magnatum oppiparas mensas, & de aliena quadra abdomen farciant, omnis honestatis obliti aulicos assentatores imò scurras agunt; & curas animarum negligunt: plus solliciti de fabulis anilibus colligendis, quibus risum convivis excitent, quàm de sacris historijs quibus in templis auditores ad pietatem moveant. Nec jam stulti haberi vel dici recusant, illud Paulini usûrpantes: *Nos stulti propter Christum*, cum sint stulti propter Diabolum, quem fortè sæpius in ore habent quàm Christum. Heu propudiosa monstra eiusmodi Cle-

ricorum dignorum secunda & tertia tonsura ; qui cum maximè sapiant quæ in culinis sapiunt , Deo desipiunt. At Fides vestra non in sapientia hominum (venerabiles Sacerdotes) sed in virtute Dei. Virtus Dei solis genium habet , quem scimus constitutum diei Præsidem , quia scilicet diem aureæ lucis opulentia ditat , nec vice versa ditatur. Tota eius Oeconomix utilitas est præesse , & lucere. Sic tota Sacerdotis occupatio esse debet , prodesse alijs. Hipponensis Præsul ad illa Salvatoris verba : *Simon diligis me, Pasce oves meas. Quid est aliud* (inquit) *si diligis me pascere cogita, sed oves meas : gloriam meam in eis quere, non tuam : lucra mea non tua.* Mellifluus item Bernardus Eugenium Papam libero calamo admonens à nimia rerum temporalium sollicitudine avocabat : *Ipsa quæ non animi bona spectant, nec bona sunt, nec mala : usus tantum eorum bonus, abusus mala, sollicitudo peior quæstus turpior. Ergo ut alia quacunq; ratione hæc tibi vendices. sed non Apostolico jure. Neq; enim Petrus tibi dare quod uon habuit potuit : quod habuit hoc dedit, sollicitudinem super Ecclesiam. Agnosce hereditatem tuam in CHRISTI CRUCE, in laboribus.* Hæc Bernardus, quasi optaret omnes Sacerdotio initiatos Christo configi Cruci, & fieri animatos *Crucifixos*, quos omnis fidelium cœtus revereatur, non minùs quàm Crucifixi imagines, & quos fugiant maligni Spiritus. Talem optabat Paulus suum Titum in Epistola ad eundem : *Non superbum, non iracundum ; non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum ; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, Sanctum, continentem.* Cui præterea hæc dabat præcepta : *Iu omnibus te ipsum præbe exemplum bono-*

S. Bern.
de Confid.
lib. 2.

ad Tit. 1.

ad Tit. 2

rum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum irreprehensibile : ut is qui ex adverso est vereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Totus mundus nobis ex adverso est, omnium oculi in nos intenti sunt ; positi sumus super candelabra Ecclesiæ, quid differimus à tenebris, si non prælucescimus. Ille verò potissimum nobis ex adverso est, contra quem nos vigilare jubet Apostolus : *Fratres sobrii estote, & vigilate, quia adversarius vester Diabolus circuit querens quem devoret.* Spiritus est, & tamen vorat : querit quem devoret : magnum os habet hiantes inferni fauces : sed eis nocere non potest, qui spiritu ambulant, & desideria carnis non perficiunt. Canis est, latrare potest, mordere non potest, nisi volentem. Sic ergo vivamus ut nos revereatur, & fugiat sicut Imagines Crucifixi. Deniq; in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustijs. Et verbo ut absolvam, sumus & dicamus cum Paulo : *Christo confixus sum Cruci.* Sic quippe Fides nostra non erit in sapientia hominum sed in virtute Dei. Dixi.

DEO TRINO & UNO,

&

*Dei Genitrici Conceptæ sine macula
Honor & gloria.*

F I N I S.

IN-



INDEX I. DISCURSUUM.

seu Titulorum.

Discursus I. Dominica I. Adventus.

Excitatorium Somnolentorum.

Thema. Hora est jam nos de somno surgere. Rom. 13. Respicite & levate capita vestra. Luc. 21.

Discursus II. Dominica II. Adventus.

Fasciæ Sepulchrales.

Thema. Cæci vident : surdi audiunt : mortui resurgunt. Matth. 11.

Discursus III. Dominica III. Adventus.

Lectisternia Sacra.

Thema. Vox clamantis in deserto : dirigite viam Domini. Joan. 1.

Discursus IV. Dominica IV. Adventus.

Lethargi Curatio.

Thema. Prædicans baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Joan. 1.

Allocutio Academica.

In Vigilia Nativitatis Domini.

Verbum Visibile.

Thema. Transeamus usq; Bethleem, & videamus hoc verbum quod factum est. Lucæ 2.

Discursus V. Domin. Inf. Oâ. Nativita :

Statuæ.

Thema. Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur. Lucæ 2.

Discursus VI. Dominica Inf. Oâ. Epiphaniæ.

Simij & Simiæ.

Thema. Ascendentibus illis Ierosolymam secundum consuetudinem diei festi remansit puer Jesus in Ierusalem. Lucæ. 2.

Discursus VII. Dominica II. post Epiphaniam.

Terris optabile monstrum.

Thema. Vocatus est autem & JESUS & discipuli eius ad nuptias. *Ioan. 2.*

Discursus VIII. Dominica III. post Epiphan.

Aurum Tholosanum.

Thema. Vade ostende te Sacerdoti, & offer munus. *Matth. 8.*

Discursus IX. Dominica IV. post Epiphan.

Securum Periculum.

Thema. Domine salva nos, perimus. *Matth. 8.*

Discursus X. Dominica V. post Epiphan.

Fertilis Sterilitas.

Thema. Venit inimicus eius, & superseminavit Zizania in medio tritici. *Matth. 13.*

Discursus XI. Dominica VI. post Epiphan.

Gigantomachia.

Thema. Simile est regnum cœlorum grano sinapis. *Matth. 13.*

Discursus XII. Dominica in Septuagesima.

Orium Negotiosum.

Thema. Quid hic statis tota die otiosi. *Matth. 28.*

Discursus XIII. Dominica in Sexagesima.

Itaistæ Atheistæ.

Thema. Semen est verbum Dei. *Luce 8.*

Discursus XIV. Dominica in Quinquagesima.

Chymara realis.

Thema. Et ipsi nihil horum intellexerunt. *Luce 18.*

Discursus XV. Die Cinerum.

Speculum Universale.

Thema. Memento homo quia pulvis es & in puluerem reverteris *Gen. 3.*

Discursus XVI. Dominica I. Quadragesimæ.

Odium Amorosum.

Thema. Cum jejunasset quadraginta diebus & quadraginta noctibus, postea esurijt. *Matth. 4.*

Discursus XVII. Dominica II. Quadrages.

Metamorphosis Christiana.

Thema.

Thema. Et transfiguratus est ante eos. *Matth. 17.*

Discursus XVIII. Dominica III. Quadrages.

Exorcismus Dæmonij muti.

Thema. Erat JESUS eiciens dæmonium, & illud erat mutum *Lucæ 11.*

Discursus XIX. Dominica IV. Quadrages.

Pegasus alatus.

Thema. Cum gratias egisset distribuit. *Ioan. 6.*

Discursus XX. Dominica Passionis.

Veritas Exul.

Thema. Si veritatem vobis dico, cur non creditis? Tulerunt ergo lapides, ut jacerent in eum. JESUS autem abscondit se. *Ioan. 8.*

Discursus XXI. Dominica Palmarum.

Homo-Bestia.

Thema. Invenietis Asinam alligatam, & pullum cum ea: solvite & adducite mihi. *Matth. 21.*

Allocutio Academica.

In Parasceve.

Tri-Tribunal.

Sacerdotale, Prætorium, Regium Reum

læsæ Maiestatis.

Thema. Adtiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum eius. *Psal. 2.*

Discursus XXII. Dominica Resurrectionis.

Compendium Sæculorum.

Thema. Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. *Psal. 117.*

Discursus XXIII. Dominica in Albis.

Pax Bellatrix.

Thema. Venit JESUS & stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis: *Ioan. 20.*

Discursus XXIV. Dominica II. post Pascha.

Crudele Interesse.

Thema. Mercenarius autem, & qui non est Pastor, videt lupum ve-

nientem, & dimittit oves, & fugit : & lupus rapit, & dispergit oves. *Ioan. 10.*

Discursus XXV. Dominica III. post Pascha.

Nepenthes Probatum.

Thema. Mundus gaudebit, vos vero contristabimini ; sed tristitia vestra vertetur in gaudium. *Ioan. 16.*

Discursus XXVI. Dominica IV. post Pascha.

Momus Phantasta.

Thema. Arguet mundum de peccato, & de Justitia, & de Judicio. *Ioan. 16.*

Discursus XXVII. Dominica V. post Pascha.

Cornu Amaltheæ.

Thema. Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum. *Ioan. 16.*

Discursus XXVIII. In Rogationibus.

Ars Miraculorum.

Thema. Amice accomoda mihi tres panes. *Luca 11.*

Discursus XXIX. Dominica Inf. Oâa. Ascensio.

Ostracismus Evangelicus.

Thema. Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini. Absq; Synagogis facient vos. *Ioan. 16.*

Discursus XXX. Dominica Pentecostes.

Parallela Temporum.

Thema. Veni Creator Spiritus, mentes tuorum visita. *Hymn. Eccles.*

Allocutio I. Synodalis ad Clerum.

Trinitas Creatura.

Thema. Bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis. *Ioan. 10.*

Allocutio II. Synodalis ad Clerum.

Similitudo Reciproca.

Thema. Cognosco oves meas, & cognoscunt me meæ ; sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem. *Ioan. 10.*

Allocutio III. Synodalis ad Clerum.

Sacerdos Crucifixus.

Thema. Fides vestra non sit in sapientia hominum, sed in virtute Dei. *1. Cor. 2.*

INDEX II. LOCORUM SS. SCRIPTURÆ.

GENESIS.

1. **A** Dificavit costam in muliere. p. 82
 1. Immisit soporem in Adam, cumque obdormisset tulit unam de costis. p. 83
 2. Inspiravit in faciem eius spiraculum Vitæ. p. 82
 1. Tulit unam de costis eius & replevit carnem pro ea. p. 81
 2. Ecce Adam quasi unus ex nobis factus est. p. 265
 3. In sudore vultus tui vesceris pane tuo. p. 141
 3. Maledictus es inter omnia animalia. p. 267
 3. Pulvis es, & in pulverem revertaris. p. 178. 180
 3. Vocem Domini Dei deambulantis in Paradiso. p. 37
 4. Maledictus eris super terram, & vagus & profugus. p. 267
 6. Gigantes autem erant super terram. p. 130
 6. Omnis caro corruerat viam suam & tactus dolore cordis intinsecus: dolebo inquit hominem. p. 38
 7. Eratque sexcentorum annorum quando diluui aquæ inundaverunt. p. 38
 22. Tolle filium tuum Isaac &c. offeres eum in holocaustum. p. 192
 27. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ. p. 71
 39. Fuit autem Dominus cum Joseph. p. 105
 16. Optimè noverat Dominum esse cum eo. p. 105

40. Hæc est interpretatio somnij tres propagines, tres adhuc dies sunt. p. 337
 45. Joseph filius tuus vivit, & ipse dominatur in omni terra. p. 293
 56. Hæc sunt generationes Noë, Noë vir iustus atque perfectus p. 268

Exodus.

1. Surrexit interea Rex novus super Egyptum, qui ignorabat Joseph. p. 389
 15. Cantemus Domino, gloriose enim magnificatus est equum & ascensorem deiecit in mare. p. 292.
 17. Scribe ob memoriam in libro: Debebo memoriam Amalec. p. 40
 32. Dimittè me, ut irascatur furor meus: p. 377

Leviticus.

27. Omnes decimæ terræ sive de frugibus sive de pomis arborum Domini sunt. p. 92

Numeri.

14. Murmurastis contra me, non intrabitis terram, super quam levavi manum meam. p. 390
 24. Robustum quidem est habitaculum, sed si in petra posueris nidum tuum &c. quandiu poteris permanere? Assur enim capiet te. p. 134
 52. Præcipe filiis Israël ut eijciant de castris omnem leprosum. p. 94

Judices.

16. Clausum in carcere molere fecerunt. p. 147
 16. Confurgens apprehendit ambas pro-

portæ fores cum postibus suis & fera. p. 293

Regum. I.

16. Nec iuxta intuitus hominis ego iudico. p. 348
 16. Spiritus autem Domini recessit à Saul, & exagitabat eum spiritus nequam p. 216
 18. Percussit Saul mille, & David decem millia. p. 294
 19. David iterum psallebat manu sua: nisusque est Saul infringere David. p. 390
 25. Sit fratribus meis & tibi Pax, & Domui tuæ Pax &c. p. 302

Regum. II.

11. Peccavi Dominus quoque transfudit peccatum tuum. p. 40

Regum. IV.

6. Nolite timere, quia plures nobiscum sunt, quam cum illis. p. 362
 16. Cum orasset Elisæus aperuit Dominus oculos pueri. p. 362

Esdræ. III.

3. Magna est Veritas & prævalet. p. 248
 4. Veritas manet & invalescit in æternum Non est apud eam accipere personam. p. 252

Tobias.

1. Filium ab infantia timere Deum docuit. p. 69
 4. Omnibus diebus vitæ tuæ in mente habeto Deum. p. 69
 6. O Tobias accipies Virginem cum timore Domini. p. 86
 12. Bona est oratio cum ieiunio, & elemosyna. p. 231

Judith.

4. Exaudiet Dominus Preces vestras, si manentes permanferitis in jejuniis & orationibus. p. 363

Job.

1. Circuivi terram & perambulavi eam. p. 146

1. Confurgens dilaculo offerebat holocausta pro filiis. p. 69
 13. Nunquid faciem eius accipitis, & pro Deo iudicare nitimini? Ipse nos arguet. p. 351
 17. Pone me iuxta te & cuiusvis manus pugnet contra me. p. 107
 21. Ille moritur robustus & sanus &c. alius verò moritur in amaritudine animæ &c. & tamen simul in pulvere dormient. p. 135
 21. Non est virga Dei super illos. Erunt sicut paleæ ante faciem venti p. 27
 19. In petris manet, & in silicibus commoratur, atque inaccessis rupibus p. 134

41. Omne sublime videt, ipse est Rex super omnes filios superbiæ. p. 132

Psalmi.

1. Principes convenerunt in unum adversus Dominum. p. 275
 4. Ut quid dirigitis vanitatem, & quæritis mendacium. p. 248
 7. Convertetur dolor eius in caput eius. p. 96
 7. Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit. p. 36
 21. Tauri pingues obsederunt me. p. 396
 24. Universe viæ Domini misericordia & veritas. p. 28.
 26. Si consistant adversum me castra non timebit cor meum. p. 107
 26. Dirige me in semitam rectam p. 145
 34. Iuxta est Dominus iis, qui tribulatione sunt corde. p. 104
 35. Homines & lumenta salvabis Domine. p. 273
 36. Mutuabitur peccator & non solvet: justus autem miseretur, & tribuet. p. 115
 16. Non vidi justum derelictum, & semen eius quærens panem. p. 382
 36. Vidi impium superexaltatum, & elevatum. p. 62
 39. Usquequò peccatores gloriabuntur. p. 36.
 44. Erat

Index Locorum

44. Eructavit cor meum verbum bonum. p. 48
54. Quis dabit mihi pennas sicut columbae & volabo. p. 229
61. Mendaces filij hominum in state ris. p. 255
65. Transivimus per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. p. 334
67. Similiter eos qui exasperant, qui habitant in sepulchris. p. 238
70. Ut cantem gloriam tuam tota die magnitudinem tuam. p. 368
71. In circuitu impij ambulat. p. 145
72. Velut somnium surgentium Domine, imaginem ipsorum ad nihilum rediges. p. 337
75. Dormierunt somnum suum omnes viri divitiarum. p. 3
75. Ut iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum. p. 273
77. Generatio prava & exasperans, non est creditus cum Deo spiritus eius. p. 219
81. Ego dixi Dij estis, & filij excelsi omnes. p. 209
86. Homo & homo natus est in ea. p. 263
88. Justitia & iudicium preparatio sedis tuae. p. 32
90. Clamavit ad me & ego exaudiam eum, cum ipso sum in tribulatione. p. 104
93. Secundum multitudinem dolorum meorum consolationes tuae laetificaverunt animam meam. p. 340
100. Misericordiam & iudicium cantabo tibi. p. 28
103. Emittes spiritum tuum, & creabuntur. p. 399
106. Contrivit portas aereas, & vestes ferreos confregit. p. 293
106. Deduxit eos in viam rectam. p. 143
108. Posuerunt adversum me mala pro bonis, & odium pro dilectione mea. p. 391
108. Pro eo ut me diligenter detrahebant mihi: ego autem orabam. p. 398
114. Inclinavit aurem suam mihi. p. 37
118. Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in aeternum propter retributionem. p. 328
120. Non dormitabit neque dormiet qui custodit. p. 103
129. Ex iniquitate & usuris redimee animas eorum. p. 115
129. Fiant aures tuae intendentes in vocem. p. 42
139. Et nox illuminatio meo in delicijs meis. p. 335
139. Labor laborum ipsorum operiet eos. p. 148
140. Ad excusandas excusationes in peccatis. p. 260

Proverbia.

1. Sapientia foris praedicat, in plateis dat vocem suam. p. 254
1. Vocavi & renuistis, Ego quoque in interitu vestro ridebo. p. 42
8. Timor Domini odit malum. p. 86
14. Risus dolore miscbitur, & extrema gaudij iustus occupat. p. 175
16. Contritionem praecedit superbia. p. 61
17. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo eius. p. 389
18. Antequam conteratur, exaltatur cor hominis. p. 61
21. Qui erraverit a via doctrinae, in coetu gigantum commorabitur. p. 130
22. Adolescens iuxta viam suam etiam cum senerit non recedet ab ea. p. 69
25. Exultat gaudio pater iusti: qui sapientem genuit laetabitur in eo. p. 69
26. Qui fodit foveam incidet in eam. p. 323
27. Non decet Principem labium mentiens. p. 249
28. Qui abscondit scelera sua, non dirigitur. p. 225
31. Date siceram moerentibus, & vinum his qui amaro sunt corde. p. 311

Ecclesiastes.

1. Perversi difficile corriguntur, & stultorum infinitus est numerus. p. 167
 1. Vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem animi. p. 310
 2. Pes fatui facilis est ad Domum proximi. p. 349
 f. Ne tardes converti ad Dominum, subito enim veniet ira illius. p. 6.
 10. In via stultus ambulans, cum ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat. p. 349
 15. Apposuit tibi aquam & ignem, ad quod volueris porrige manum tuam. p. 116

Cantica.

1. Lætululus noster floridus. p. 334
 2. Revertere similis esto capræ. p. 108
 f. Oculi tui sicut columbæ super rivulos aquarum, quæ lacte sunt loræ. p. 349
 8. Fuge dilecte mi similis esto capræ.

Sapientia.

3. Venite fruamur bonis, venite coronemus nos ros. p. 146
 f. Lassati sumus in via iniquitatis. p. 146
 7. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa. p. 360

Ecclesiasticus.

1. Timor Domini delectabit cor, & dabit lætitiã. p. 86
 10. Odibilis coram Deo est & hominibus superbia. p. 132
 12. Deum time, & mandata eius observa, hoc est enim omnis homo. p. 264
 20. Potior est sur quam assiduitas viri mendacis. p. 255.
 21. Quasi à facie colubri fuge peccata. p. 220
 24. Mater pulchræ dilectionis p. 52
 25. In tribus placitum est spiritui meo &c. Concordia fratrum, & amor proximorum, & vir, & mulier bene sibi consentientes. p. 84
 27. Qui in altum mittit lapidem, super

- caput eius cadet. p. 323
 30. Curva cervicem eius in iuventute, & tunde latera eius. p. 69
 33. Timenti Dominum non occurrent mala, sed in tentatione Deus illum conservabit. p. 88
 35. Oratio iusti penetrat cœlos. p. 232
 37. In multis scis erit infirmitas. p. 195
 16. Qui autem abstiniens est adjiciet Vitam ibid.
 39. Hæc omnia sanctis in bona, sic & impijs & peccatoribus in mala. p. 115

Isaias.

1. Cognovit bos possessorem suum, & Asinus præsepe Domini sui. p. 48
 1. Lavamini, mundi estote. p. 207
 5. Quasi vinculum plastris peccatum. p. 218
 6. Væ mihi quia tacui, quia vir pollutus labijs ego sum. p. 256
 7. Noli timere à duabus caudis titionum fumigantium. p. 56
 7. Pete tibi signum à Domino Deo. Non petam. p. 56
 9. Vestimentum mistum sanguine erit in combustionem, & cibus ignis. p. 243
 10. Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes in justitiam scripserunt, ut opprimerent in iudicio pauperes. p. 253
 14. De radice colubri egredietur regulus. p. 220
 14. In cœlum conscendum super astra Dei exaltabo solum meum. Eiecite de monte Dei. p. 137
 14. Subter te sternetur tinea, & vermes erunt operimentum tuum. p. 33
 24. Sicut populus sic sacerdos. p. 156
 29. Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me. p. 256
 30. Qui dicunt videntibus nolite videre, & aspicientibus nolite aspicere. p. 156
 43. Noli timere quia ego tecum sum. p. 107
 54. Ad punctum in modico dereliqui

- te & in miserationibus magnis con-
gregabo te. p. 109. 331
74. In momento indignationis abscondi
faciem meam. p. 332
76. Speculatores eius cæci omnes:
canes muti non volentes latrare,
videntes vana &c. p. 255
78. Clama ne cesses, quasi tuba exalta
vocem tuam. p. 159
58. Nonne hoc est magis ieiunium quod
elegi. Dissolve colligationes im-
pietatis. p. 238
58. Quare ieiunavimus & non aspexisti.
p. 235
16. Ecce in die ieiunij vestri invenitur
voluntas vestra. ib.
59. Corruit in platea veritas. p. 255
59. Quod conforium est erumpet in
regulum. 121.

Jeremias.

1. A, a, a, Domine Deus. Ecce nescio
loqui. p. 47
2. In alis tuis inventus est sanguis pau-
perum. p. 243
7. Filij colligunt ligna, & patres suc-
cendant ligna. p. 72
7. Nec assumes pro eis laudem, & ora-
tionem & ne obsistas mihi. p. 378
8. Immittam vobis serpentes & regulos,
quibus non est incantatio. p. 222
8. Mendacium operatus est stylus men-
dax scribarum. p. 253
18. Et erit si pœnitentiam egerint ma-
litiæ, & ego iræ quam locutus fue-
ram illis obliviscar. p. 235
18. Nunquid redditur pro bono ma-
lum, quia foderunt foveam animæ
meæ. p. 391
51. Curavimus Babylonem, & non est
sanata. p. 42

Ibreni.

3. Bonum est viro cum portaverit
iugum ab adolescentia sua. p. 144

Baruch.

3. Magna est domus Dei, & ingens
locus possessionis eius. p. 127

Ezechiel.

1. Aspectus rotarum, & opus earum,
quasi sit rota in medio rotæ. p. 332
1. Et rotas illas vocavit volubiles &
spiritus vitæ erat in eis. p. 334
3. Speculatorem dedi te domui Israël,
sanguinem autem eius de manu tua
requiram. p. 163
14. Homo homo de domo Israël. p. 263
14. Tres viri isti in medio eius: Nœc,
Daniel, & Job. p. 274
16. Hæc fuit iniquitas sodomæ, super-
bia, saturitas panis &c. p. 148
16. Pene sceleratiora fecisti illis in om-
nibus vijs tuis. p. 404

Daniel.

3. Ecce ego video quatuor viros solu-
tos, & ambulantes in medio ignis, &
species quarti similis filio Dei. p. 106
4. Cum bestijs ferisque erit habitatio,
tua & scœnum ut bos comedes. p. 268
5. Quando elevatum est cor eius, depo-
situs est de folio regni sui. p. 60

Oseas.

4. Ligavit eum Spiritus in alis suis. p. 17
4. Non enim est veritas, & non est mi-
sericordia & non est scientia Dei in
terra. Maledictum & mendacium &c.
inundaverunt. p. 257

Joël.

1. Expergiscimini cbrj, & fite, & u-
lulate. p. 10

Amos.

8. Audite hoc, qui conteritis paupe-
rem, & deficere facitis egenos ter-
ræ. &c. p. 254

Abdias.

1. Si inter sidera posueris nidum tuum,
inde derraham te. p. 133. 134.
1. Superbia cordis tui extulit te ha-
bitan-

bitantem in felleis petrarum. p. 132

Jonas.

3. Et vidit Deus opera eorum quia conversi sunt de via sua mala. p. 134

Micheas.

1. Qui comederunt carnem populi mei, & pellem eorum desuper excoriaverunt. Tunc clamabunt ad Dominum, & non exaudiet eos. p. 136

Sophonias.

1. Scrutabor Jerusalem in lucernis. p. 351

Mattheus.

4. Cum jejunasset 40. diebus. p. 190

5. Beati pauperes Spiritu quoniam ipsorum est regnum cœlorum. p. 130

5. Beati qui persecutionem patiuntur. p. 395

6. Querite primum regnum Dei & justitiam eius. p. 381

8. Domine salva nos perimus p. 102

8. Et eiciebat Spiritus verbo. p. 216

10. Sicut fuit Jonas in ventre ceti, sic erit filius hominis in corde terræ. p. 295

11. Cæci vident, surdi audiunt &c. p. 14

11. Tollite jugum meum super vos. & invenietis requiem. 148

13. Simile est regnum cœlorum grano sinapis. p. 126

13. Superseminavit Zizania in medio tritici. p. 112

17. Transfiguratus est ante eos. p. 202

18. Nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. p. 137

18. Si duo ex vobis consenserint super terram, &c. p. 367

20. Non veni pacem mittere sed gladium. p. 305

20. Quid hic statis tota die otiosi. p. 140

21. Invenietis Asinam alligatam, & pullum cum ea. p. 262

22. Amice quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem. p. 348

23. Genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ. p. 269

26. Quærebant falsum testimonium contra Jesum. p. 259

Marcus.

3. Dedit eis potestatem curandi infirmitates, & eijciendi dæmonia. p. 373

5. Puella tibi dico surge. p. 18

9. Hoc genus in nullo potest exire nisi in oratione. p. 373

9. Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi exi ab eo. p. 216

11. Omnia quæcumq; orantes petitis credite quia accipietis. p. 360

Lucas.

1. Beatam medicent omnes generationes. p. 53

1. Et hoc vobis signum invenietis infanrem. p. 58

2. Et in terra Pax hominibus bonæ voluntatis. p. 304

2. Positus est hic in signum cui contradicetur. p. 54

2. Remansit puer Jesus in Jerusalem. p. 67

2. Transeamus usq; Bethleem & videamus hoc verbum. p. 44

3. Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? p. 269

3. Potens est Deus de lapidibus suscitare filios Abrahæ p. 192

7. Adolescens tibi dico surge. p. 18,

7. Oscuabatur pedes eius. p. 29

8. Semen est verbum Dei. p. 152

9. Facta est dum oraret species vultus eius altera. p. 205

10. Primum dicitis: Pax huic domui. p. 302

11. Amice accommoda mihi tres panes. p. 370

11. Panem nostrum quotidianum. p. 379, 382

11. Qui non est mecum contra me est, & qui non colligit mecum dispergit. p. 64

12. No-

12. Nolite cogitare quid manducetis. p. 381
15. Citò proferte stolam primam. p. 41
15. Misericordia motus est, & accurrens cecidit super collum eius. Ibid.
21. Respicite & levate capita vestra. p. 2
- Joannes.*
1. In principio erat Verbum, & verbum erat apud Deum. p. 51
1. Prædicans baptismum pœnitentiæ. p. 35
1. Vox clamantis in deserto. p. 25
6. Cum gratias egisset distribuit. p. 229
8. Jesus autem abscondit se. p. 258
8. Qui ex Deo est verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non estis. p. 160
- Ibid. Vox ex patre Diabolo estis. p. 161
8. Si veritatem vobis dico cur non creditis. p. 245
10. Qui non est Pastor, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit. p. 313
11. Ego autem sciebam quia semper me audis sed propter populum, qui circumstat, dixi p. 372
11. Lazare veni foras. p. 19
11. Nonne dixi tibi: si credideris videbis gloriam Dei. p. 372
13. Sciens quia à Deo exivit, & ad Deum vadit. p. 59
14. Pacem relinquo vobis &c. non quomodo mundus dat. p. 302. 308
16. Absq; Synagogis facient vos. p. 383
16. Arguet mundum de peccato, & de iustitia & de iudicio. p. 342
16. Mundus gaudebit, vos vero contristabimini. p. 330
16. Petite & accipietis ut gaudium vestrum sit plenum. p. 359
17. Pater sancte conserva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum. p. 83
18. Expedit unum hominem mori pro populo. p. 281
20. Stetit in medio, & dixit eis Pa. vobis. p. 299
- Actus Apost.*
8. Petrus & Joannes ascendebant in templum ad horam orationis. p. 373
13. Resuscitans Jesum sicut in Psalmo 2. scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te. p. 295
- Ad Romanos.*
2. Inexcusabilis es ô homo omnis qui iudicaris. p. 311
8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. p. 113
8. Primogenitus in multis fratribus. p. 53
8. Quicumq; spiritu Dei aguntur ij sunt filij Dei. p. 53
8. Si filij & cohæredes, cohæredes autem Christi. p. 53
13. Hora est iam nos de somno surgere. p. 3
13. Induamur arma lucis. p. 176
- Corinth. I.*
1. Infirma mundi elegit Deus ut confundat fortia. p. 127
5. Tradere huiusmodi Sathanæ in interitum. p. 216
7. Præterit figura huius mundi. p. 337
11. Inter vos multi infirmi, & dormiunt. p. 7
11. Neq; vir sine muliere, neq; mulier sine viro. p. 86
15. Non sum dignus vocari Apostolus: gratia autem Dei sum id quod sum. p. 114
15. Ubi est mors victoria tua? ubi est mors stimulus tuus? p. 293
- Corinth. II.*
3. Revelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur. p. 211
4. Persecutionem patimur sed non derelinquimur. p. 109
6. In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut

sicut Dei ministros &c. per gloriam
& ignobilitatem. p. 311

6. Quasi tristes, semper autem gaudentes. p. 335

Ephesij.

1. In dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo. p. 297

1. Prædestinavit nos in adoptionem filiorum. p. 53

4. Induimini Dominum Jesum Christum. p. 126

5. Nemo unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fovet eam. p. 191

Philippenses.

1. In nullo terreamini ab adversariis: quæ illis est causa perditionis, vobis autem salutis. p. 396

2. Exinanivit semetipsum formam servi accipiens. p. 51. & 58

2. Humiliavit semetipsum factus obediens usq; ad mortem. p. 59

1. In nomine Jesu omne genua flectantur. p. 59

2. Omnes quæ sua sunt quærunt, non quæ Jesu Christi. p. 327

Colossenses.

1. Pacificans per sanguinem Crucis eius, sive quæ in cælis, sive quæ in terris sunt. p. 303

3. Induite vos armaturam Dei. Induite vos sicut electi. p. 176

3. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite. p. 299

Timoth. II.

6. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coarcebunt sibi Magistros. p. 158

Ad Titum.

2. Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret. p. 50

3. Apparuit benignitas & humanitas Salvatoris. p. 50

Hebraei.

1. Purgationem peccatorum faciens. p. 50

11. Per fidem vicerunt regna. p. 373

Jacobi Epist.

1. Omne gaudium existimate cum in tentationes varias incideritis. p. 110

1. Qui autem hæsitat, similis est fluctui maris. p. 110

4. Qui judicat fratrem, judicat legem. p. 351

4. Tu autem quis es qui judicas proximum. p. 350

Joan. I. Ep.


3. Qui facit peccatum ex Diabolo est. p. 210

3. Videte qualem charitatem dedit nobis pater ut Filij Dei nominemur, & simus. p. 210

Apocalypsis.

2. Scio ubi habitas, ubi sedes est Sathanæ. p. 227

22. Qui nocet noceat adhuc: & qui in fordibus est sordescat adhuc. p. 222



INDEX III. RERUM & VERBORUM.

A. Abstinentiæ boni effectus. p. 195
 Adventus Domini præparatoria. p. 15
 Adversa possunt esse gloriæ mellis. p. 113. & v. tribulatio.
 v. Jeiunium delicta purgat. p. 198

- Ægrotis pœnitere difficile.** p. 8
Affectus pravi an possint eradicari. p. 114
Alæ jejuniæ oratio & eleemosyna. p. 231
Aiæ orationis jejuniû & eleemosyna. lb.
Ambitio castigata. p. 63. 320 v. superbia.
Ambitiosus sunt gigantes. p. 131
 maxime laborant. p. 143
 sunt somniantes. p. 337
Amantum una anima. p. 78
Amor sinit separata. p. 77
Amor quid sit. p. 144
Amor parentum in filios. p. 191
**Amor paternus in filios sæpè noxi-
 us.** p. 74
Amor est subinde odisse. p. 192
Amor proprius noxius. p. 191
Amor Carnalis perimit spiritum p. 73
Animi inquietudo. p. 146
Ars & natura in parvis triumphat. p. 126
Athei diversi. p. 157. & seq.
Auditio verbi divini triplex. p. 153
Auditores verbi Dei delicati. p. 154
Avaritia contagiosa pestis. p. 93
 malos habet effectus. p. 323
Aulica Rhetorica. p. 250
Aulici quales subinde. lbid.
Aurum sæpè noxium. p. 91
- B.**
- Bacchanalia larvatorum.** p. 167
Bellum in pace. v. Pax.
Bona è malis proveniunt. p. 116
**Bonum publicum privato anteponen-
 dum.** p. 314
- C.**
- Calendis Januarij olim multi abu-
 sus.** p. 171
Caro domatur à spiritu. p. 199
 non tractanda delicate. p. 193
Castitas fortiter propugnata. p. 89
Causidicorum vitia. p. 252
**Christus an & quomodo in navi dor-
 micrit.** p. 103
 pacem nuntiat cum ad bellum mit-
 tit. p. 303
- Christus humilis exemplar nostrum** p. 58
Christus cur jejunaverit. p. 198
 pro se tacuit pro alijs locutus
 est. p. 282
**Christi transfiguratio in monte Tha-
 bor.** p. 205
Christi Resurrectio dies dierum. p. 290
 dies creationis. p. 291
 dies submersi Pharaonis. p. 292
 dies Josephi educti è carcere. p. 293
 dies Sampsonis confringentis por-
 tas. p. 293
 dies occisi Goliath. p. 294
 Est dies Incarnationis. p. 195
 est complementum gloriæ. p. 298
Christiani cur è terra sancta pulsati. p. 413
Chymera prima in mundo Dæmon. p. 167
**Chymæræ sunt tractantes munda-
 na.** p. 176
Conciones quomodo audiendæ. p. 153
 antiquæ novis collatæ. p. 154
Concionatorum Echo Auditores. p. 153
Concionatorum vitia. p. 155
Confessio & eius elogia. p. 225
 à Dæmone omni conatu impedi-
 tur. p. 226
 eam recusans est sedes Sathane. p. 227
 qualis esse debeat. p. 227
**Coniugum cur sacramentum ma-
 gnum.** p. 80
 unde nomen habeat. p. 80
 primum in terris quale. p. 81
 in cælo discitur eius œconomia. p. 84
 eius miseræ. p. 85
 infelix sine timore Dei. p. 86
Concors quomodo. p. 86 & seq.
**Coniugum concordia qualis esse de-
 beat.** p. 78. & seqq.
Consiliarij Principum. p. 156. 407
**Consiliarij Principum quales subin-
 de.** p. 249
Consuetudo bona opposita malæ. p. 22
Consuetudo peccandi. p. 17. 19
 difficile tollitur. p. 22

Crucis cur velentur in Passione, p. 259
 Crucis probra mutata in gloriam, p. 290
 Curati animarum officium, p. 153
 & seq. 159. 162. 163. 314
 Curati animarum parces veraces subinde, p. 256

D.

Decimæ dandæ ex Dei præcepto, p. 92
 Dei misericordia & iustitia simul cogitandæ, p. 28
 Dei misericordia, reddit peccatores nimis securos, p. 27
 Dei oblivio est somnus animæ, p. 6
 Desicari mortui sunt, p. 143
 Dæmon per multas vias ingreditur, per unam tantum exit ab anima, p. 224
 Deo qui fidit tentationes superat, p. 109
 Desperatio & spes peccatores perdunt, p. 27

Deum amantes imitantur Astrologos, p. 130

Deus cur mala permittat, p. 116
 Deus deserit qui eum deserunt, p. 8. 42

est misericors & severus, p. 12

Deus Ecclesias & earum iura propugnat, p. 96

tribulatis adstat, p. 104 & seqq.
 protegit cum Dæmon oppugnat, 107

Deus est patiens redditor, p. 222
 Deus excitat peccatores à somno, p. 3

Deus humilia exaltat, alta humiliat, p. 130
 imitandus est à nobis, p. 212

Deus promior ad ignoscendum quam puniendum, p. 36

longanimis erga peccatores, p. 38
 est patiens medicus, p. 39

Dilatio penitentia v. procrastinatio.
 Discordia intestina everunt regna, p. 411

Divitiarum mali effectus, p. 323
 quomodo impediendæ v. Eleemosyna

Divitum vita leprosa, p. 144

E.

Ecclésiæ immunitates non violandæ, p. 92 seqq.

quomodo olim dotatæ, p. 93
 Violatores immunitatis puniti, p. 95

Educatio liberorum, p. 67
 Eleemosyna est ala orationis, p. 231 seqq.

iustitia, p. 241
 ex debito datur egenti, p. 242

Eus rationis reale, p. 167
 Exempla mala quid operentur, p. 77

F.

Fasciæ sepulchrales sunt peccata, p. 17
 Felicitas mundanorum ficta, p. 310

maior est tribulatum, p. 311
 & nihil concupiscentium, p. 311

Ferilitatem omnes optent, p. 112
 Fœdera cum hostibus fidei noxia, p. 410

Fœminea levitas castigata, p. 327
 Filiorum educatio, p. 67

diversa diversos habet effectus, p. 68

G.

Gaudium finitur luctu, p. 173
 Gigantes quos designent, p. 130

Gratia Dei instar equelli, p. 230
 Gratia facit filios Dei, p. 209

Gulosi heiliones, p. 194-195

H.

Hominis archetypus Deus, p. 168
 transformatio in brutum, p. 172

consideratio fragilitatis, p. 181
 in cinerem resolutio, p. 182

nova resurrectio, p. 164
 Homines in lupos mutari, p. 203

Et in alias feras, quomodo, p. 203 seqq.
 In statuas lalaras, p. 204

Obsideri à dæmone cur Deus permittit, p. 216

Per peccatum mutantur in bestias, p. 263 & seqq.

solum iusti sunt homines, p. 268
 Honorati personæ scenicæ, p. 62

Honores somnis sunt, p. 337
 membrana sunt, p. 339

carnificinam regunt, p. 339
 Humilitas exaltat, p. 59 & seqq. discendo

à Christo, p. 64 felices reddit, p. 150

I.

Jeiunant aliqui exavaritia. p. 243
Jeiunans & in peccato manens, similis Diabolo. p. 233
Jeiunium quibus difficile. p. 193
 est mater sanitatis p. 193
 causat longam vitam. p. 185
 cur per 4 tempora institutum. p. 197
 est medicina salubris. p. 195
 quate sit delicatum. p. 199
 quos effectus producat. p. 200
 neglectum punitum. p. 200
 quomodo sanctificandum. p. 212
 cum elemosyna facit orationi alas. p. 231
 eius elogia. p. 233
 ad id legitimum quæ requirantur. p. 235. 238. 243
Imaginativæ vis. p. 344
Impenitentia periculosa. p. 26
Impiorum circuitus. p. 146
Improbri homines picti. p. 74
Inclinationes pravæ an possint eradici p. 114
Indulgentia parentum in liberos. p. 73
Ingratitude mundi. p. 384. & seq. 388
Iniuriarum condonatio. p. 395
Injustus non est homo p. 265. v. Peccator.
Interesse privatum. p. 314. & seqq.
 publicum privato præferendum p. 315
 est sæpè crudele. p. 315
 commune malum. p. 317
 multiplex insinuat. p. 318
 potissimum ambitionis avaritiæ, voluptatis. p. 319
 singulorum exemplum. p. 320. & seq.
Invidia nuntiat in feram. p. 269
Judicans alterum debet esse mortuus. p. 352
Judicium perversum. p. 281. & seqq.
Judices quales subinde sint. p. 251
 eos interesse multum turbat. p. 251
 debent esse sine oculis & manibus. p. 251

Judicia temeraria. p. 343. & seqq.
 lumenta quæ salventur. p. 273
Justi desiderant tribulationes. p. 334
Justus semper adest Deus. p. 102 & seqq.
Justitia Dei v. Deus.
Justitia & iudicium decet peccatores p. 32

L.

Labor inutilis. p. 239
Larvatorum olim poena. p. 170
 pericula & tristes casus. p. 273
Lethargus peccatorum gravis. p. 333. 335
Liberorum educatio, v. Educatio.
Lorio pedum in Cena Domini. p. 29
Luxus maior nunc quam olim. p. 405

M.

Mala cur Deus permittat. p. 116
Mala quomodo vertenda in bonum. p. 113
Mendacium ubique regnat. p. 248. seq. 253
Mercenarius Pastor est Polyphemus. p. 304
Metamorphoses variæ. p. 202
Miraculum convertere peccatorem. p. 23
Misericordia Dei v. Deus.
Modestia magnis necessaria. p. 133
Mores hodierni deteriores antiquis. p. 399. 412
Mors habenda præ oculis. p. 180
 eius meditatio peccata perimit. p. 183
Mortis imago & frater somnus. p. 4
Mundani imitantur Geographos. p. 129
Mundanorum inquietudo. p. 145
Mundi merces malum pro bono. p. 385
Mundi omnia imaginaria. p. 337
 gaudium breve & caducum. p. 338
Mundus de terrenis tantum sollicitus. p. 71
Mundus errat putando magna quæ non sunt. p. 129. 137
Mundus molendinum est. p. 147
 Negli-

N.

Negligentia in Dei servitio. p. 6
 Nobilitas sine virtute vana est. p. 133
 & degenerat à maioribus. p. 135
 Nuptiæ quæ felices. p. 85

O.

Oblivio Dei p. 6. & seqq. p. 19
 Occasio boni non negligenda. p. 222
 Odium carnis laudabile. p. 191
 Odium sæpè est amare. p. 193
 Offensæ remittendæ cum jejunamus,
 vel oramus. p. 236. 239
 Oppressores pauperum puniuntur.
 p. 134. 136
 Orationis alicuius jejunium & elemosy-
 na. p. 231
 magna est eius virtus. p. 234
 Oratio est cornu Amathææ. p. 359
 impetrat quicquid vult. p. 360
 debellat hostes. p. 362. & seq.
 multorum simul est efficax. p. 167
 est ars miraculorum. p. 371
 suscitatur mortuos. p. 372
 curat infirmos. p. 373
 urbes diruit. p. 374
 est omnipotens. p. 375
 eius multa elogia. p. 376
 ligat Deum. p. 377
 Deum ad se inclinat. p. 379
 Deo imperat. p. 379
 miraculose suppeditat alimenta. p. 380
 faciendâ prò inimicis. p. 392
 Otium etiam honestum est, quo tamen
 carent mundani. p. 141
 Otium mundanum maximus labor.
 p. 142
 Otium sepultura vivi hominis. p. 140


P.

Pacem qualem Christus det Aposto-
 lis. p. 303
 qualem Angeli nuntiaverint in Beth-
 leem. p. 304
 Parentes quomodo educant prolem. p.

68. & seq. male educantes sunt bru-
 ta. p. 72
 Parva præstant magnis. p. 126
 Pastores animarum multi sunt. p. 314
 mercenarii qui sint. p. 314
 Pater noster quomodo orandum. p. 236
 Patresfamilias quomodo se gerant.
 p. 80
 Pax vera in patientia & tribulatio-
 ne. p. 307
 habenda cum Deo, proximo con-
 scientia. p. 308
 non reperitur apud mundanos. p. 309
 Peccati habitus corrigendus. p. 23
 Peccator inveteratus difficulter pœni-
 tet. p. 7. 18. 19. 26
 Peccator plus laborat quam servus
 Dei. p. 142
 est equus Diaboli. p. 147
 in molendino laborat. p. 147
 potest transformari in Deum. p. 205
 Peccator redigitur in nihilum. p. 209
 fit filius Diaboli. p. 210
 per gratiam fit filius Dei. p. 211
 difficilius convertitur, quam ener-
 gumenus liberetur à Dæmone.
 p. 217
 habitat in sepulchro. p. 219
 est Servus Diaboli. p. 220
 Peccatum est vinculum plaustrum. p. 218
 est Dæmone prius. p. 218
 regnat sæpè in anima. p. 219
 dominatur ut non facile expella-
 tur. p. 220
 est velut Basiliscus. p. 221
 aliud alio gravius punitur. p. 267
 mutat homines in feras. p. 265. & seq.
 Peccatum hominem ligat & stringit.
 p. 16.
 est funis, restis, criminis catena. p. 17
 opprimit potentias animæ. p. 18
 est Dæmonium. p. 216
 Peccatum omne delectat. p. 7
 Pœnitentia agenda in tempore. p. 12
 Pœnitentia sera vix seria. p. 223
 est medicamentum animæ. p. 231
 Pœni-

- P**œnitentia facit hominem alterum. p. 206
 qualis requiratur, p. 207. & seq.
 in Deos transformat, p. 208
 Pericula iustis fidei lapis Lydius, p. 103
 Periculum securum ubi Deus adest, p. 106
 Personati abominatio Dei, p. 169. & seq.
 Persecutores proborum sibi nocent, p. 396
 Phantasiæ operationes, p. 343
 Pisces magni deglutiunt parvos, p. 126
 Præsumptio de misericordia Dei, p. 30
 Principum consiliarij quales subinde, p. 249. & seq.
 veraces esse deberent, p. 249. & seq.
 Probi etiam subinde somnolenti, p. 3
 Procrastinatio peccatorum, p. 8
 est periculosa, p. 9. 27
- R.**
- R**egna antiqua cui comparata, p. 127
 Regnorum ruina ex discordia, p. 411
 Regnum cœlorum in scriptura quid, p. 129
 Regum antiquorum pietas, p. 412
 Regum Consiliarij v. Consiliarij,
 Religionis diversitas ruina regno-
 rum, p. 409
- S.**
- S**achorum Iusus, p. 412
 Securitas imaginaria peccatorum, p. 7
 periculosa est, p. 26
 mater negligentia, p. 30
 Securitas iustorum ex gratia Dei, p. 109
 Senectus vitæ avida, p. 184
 Sensus quinque pictura representati, p. 184
 Servi Dei expertes sunt laboris, p. 145
 Simulatio veritati adversatur, p. 252
 Somnus quid sit, p. 3. 4. 15
 est mortis imago, p. 4
 Specula num ars vel natura inven-
 rit, p. 178
 in quem usum adhibenda, p. 179
- mirabilia obiecta representant, p. 179
 deformibus invisa, p. 185
 Speculum universale Calva hominis, p. 180
 Spes & desperatio peccatori lapis of-
 fensionis, p. 27. & 32. 185
 Stultorum infinitus numerus, p. 168
 Superbi Aquilæ volatum imitantur, p. 134
 sunt Cinæi, p. 135
 sunt gigantes, p. 131
 Superbiæ pœna, p. 62
 Superbi sibi statuum Nabuchodonosoris
 erigunt, p. 61
 imitantur Luciferum, p. 61
 Superbia radix omnium vitiorum, p. 136
 hominem efficit Dæmonem, p. 136
 & filium Diaboli, p. 137
 efficit bestias, p. 268
 Superborum vitia, p. 131
 Suspiciones falsæ, p. 345
- T.**
- T**empora temporibus collata, p. 399
 Testes falsi, p. 253
 Timor Dei necessarius, p. 30
 instillandus liberis, p. 75
 Tribulatio iustorum brevis, p. 332
 per rotam significata, p. 333
 Tribulationes nos coniungunt Dco, p. 104. & seqq.
 Tristitiæ abolendæ remedium, p. 331
 Tristitia iustorum non est tristitia, p. 335
 Tristitia mundanorum & sanctorum, p. 332
- V.**
- V**eritatem audire nolentes sunt ex
 Diabolo, p. 161
 Veritati opponitur mendacium, p. 247
 ea est Dei filia, p. 248
 omnia vincit, p. 248
 non facit invenitur in aulis, p. 249
 & seq.
 Sæpe nec in Iudicium tribunali-
 bus, p. 251
 nec

nec apud Caustidicos.	p. 253	Vitia quia amamus defendimus.	p. 173
nec apud Mercatores.	p. 254	Vitia virtutum nomine colorantur.	
sæpè nec inter Ecclesiasticos.	p. 255		p. 221
nec inter milites.	p. 257	Voluptas crudelis.	p. 325
non reperitur in terre.	p. 257	fastidia & dolores parit.	p. 340
Vestitus viri & mulieris non permittendi.	p. 169	Voluptatum sectatores afflictionibus obnoxij.	p. 148. vide mundani.
Virgines Evangelicæ sunt homines spirituales & carnales.	p. 5	Uxor an & qualis ducenda.	p. 85
Vitæ diuturnæ spes periculosa.	p. 185		Z.
Vita honesta est honoris statua.	p. 63	Zelus animarum Curatis incumbens.	p. 163
Vita præsens est somnus.	p. 3.	Zizania possunt verti in triticum.	p. 116 & seq.
Vitia nunc magis regnant quam olim.	p. 402		
Vitia palpanda non sunt.	p. 163		



INDEX IV. HISTORICO-MYTHOLOGICUS.

A.

A Chaz Rex Juda non vult petere signum.	p. 56	Alexandro Severo Imp. familiare dictum : Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.	p. 317
Adamum Deus expectat ad prænitentiam.	p. 37	Anglis capitale olim larvatum incedere.	p. 170
Adamo & Evæ cur Deus pelliceas tunicas dederit.	p. 26	Antiphon Rhetor verbis curabat morbos animi.	p. 330
Æditius funem Ecclesiæ applicans suo equo punitur.	p. 97	Antonius cum Dæmone luctatus Deum habet spectatorem.	p. 109
Æsculapius cantilenis curabat melancholiam.	p. 330	Armenius Rex ingratus præceptoris sui filij Tygranis, eum occidi iussit.	p. 395
Æsculapius artem speculorum edocuit.	p. 178	Armuzia Soldanus à filio excecatus, & combustus.	p. 320
Æsopi responsum ad quæstionem quid Deus in cælo agat.	p. 138	Aronensis mulier diu sacri lege contestata tandem Dæmonem superavit.	p. 124
Agar in tribulatione Deum habet propitium.	p. 104	Arsenij Abbatis visio de tribus incassum laborantibus.	p. 238
Agésilæus statuas & Imagines recusat.	p. 62	Asa Turcarum Sultanus obijcit Romano Diogeni Imp. quod Christus præceperit oblivionem iniuriarum.	p. 395
Aglais Romana mirabiliter conversa.	p. 119	Ascalonitæ incarcerationi uxor stuprum recusans meretur liberationem mariti.	p. 87
Alexander M. à Judicibus voluit unam tantum aurem aperiri Actori, alteram Reo.	p. 252	Aspidis morsus somnum infert.	p. 7

- Athenienses à Tyrannis oppressos solatur Socrates. p. 301
- Athenienses optimos cives agebant in exilium. p. 384
- Athenienses Pompeio divinos honores offerunt. p. 59
- Augustus Cinnæ rebellanti secundo ignoscit. p. 35
- Augustus Romani Equitis obæratu culcitram emit. p. 16
- Aurum Tholosanum unde pestiferum. p. 91
- S. Austregisilus sui Monasterij in vasorem in somno apparens verberat. p. 95
- B.**
- B**acchus hermaphroditus, & muliebri veste depictus. p. 172
- Barbani cum Josaphatho Indorum Rege colloquium. p. 186
- Bellerophon Pegaso donatus à minera. p. 230
- S. Bernardus humilliter se appellabat Chymaram.
- Blanca Regina, quomodo filium S. Ludovicum instituit. p. 70
- Blasphemi filius blasphemans visis larvis extinguitur. p. 73
- Boleslaus & Wenceslaus fratres diversimodè educti, diversorum morum. p. 68
- Bonifacius ex peccatore repente martir. p. 121
- Eritones Duce S. Germano vincunt vociferando Alleluia. p. 364
- C.**
- C**alva pro speculo oblata matronæ vanæ. p. 188
- Canum exemplo docet Lycurgus quid facit educatio. p. 68
- Carolus IV. Franciæ Rex, larvatus penè combustus. p. 174
- Carolus Martellus usurpans res Ecclesiæ punitus, & in eius sepulchro Draco inventus. p. 100
- Chrysaorius moriens frustra petit inducias. p. 8
- Chymæra à Bellorophonte occisa. p. 166
- Concubinarius Comensis post Confessionem relapsus perit. p. 21
- Confessarius Connivens poenitenti usurario simul cum ipso raptus à Dæmone. p. 162
- Coriarius Alexandrinus maior meritis Antonio. p. 64
- Cyrilli Hipponensis filius male eductus in scelera proivrit. p. 74
- D.**
- D**E profundis dum oratur pro moribundo Crucifixus obturat aures. p. 42
- Delicatus sedens interrogabat an sederet. p. 143
- Delphicum Apollinis favum direptum à Celtis. p. 91
- Demaratus alijs veritatem dixit, sibi non dixit. p. 246
- S. Desiderius à matre benè instructus. p. 71
- S. Desiderij nuntius dum loquitur & bibit, moritur. p. 13
- Diluvium Deus differt expectans poenitentiam. p. 39
- Diocletiani Imp. sapiens dictum de Consularijs Principum. p. 249
- Duella post prohibitionem facta, & redempta apud iudices tribus millionibus auri. p. 402
- E.**
- E**cclésiasticorum bonorum violator punitur à S. Austregisilo. p. 95
- Elisæus miraculosè obsidione liberat Dothan Urbem. p. 362
- Epaminondas militem dormientem configit telo. p. 6
- Eremitæ per abstinentiam diuivunt. p. 196
- Eva cur ex costa Adæ formata. p. 81
- cur dormiente vel rapto Adamo. p. 83

F.

- F**erdinandus Castellæ Rex pro statua sibi ponit vitam immaculatam. p. 63
S. Franciscus humilis meruit sedem Luciferi. p. 64
Franciscus Rex Galliæ graves pœnas statuit larvatis. p. 170
Francus nobilis à S. Bernardo à prava consuetudine ingeniosè abductus. p. 22
Fridericus II. Imp. pulvillo suffocatus. p. 28
Fridericus III. Imp. Austriacus observat in Comitibus Colonienfibus providentiam Dei in atendis hominibus. p. 380
S. Frontonius Abbas in extrema necessitate suorum fratrum inopiam sublevari impetrat. p. 381

G.

- G**eryontricolor concordie symbolum. p. 30
Gigantes quomodo cœlum oppugnaverint. p. 131
Gordiani Imp. querela de consiliariis. p. 250
Gregoria Romana petit asscurari per revelationem de remissione peccatorum. p. 30
Guzino Perusinus Monachus de poenitentia monitus lethargo opprimitur. p. 9

H.

- H**ierosolyma erepta Christianis propter luxum & superbiam. p. 413 & seq.
Hohenloenses Comites larvati ut Fauni, admoto igne arserunt, & perierunt. p. 175
Homines primo creati fuisse huguntur bicipites, quadrimani &c. p. 77
Horologii inquieti animi index. p. 146

I.

- S.** Jacobus socio passionis pacem precatur. p. 306
Joannes Papa XI. pulvillo suffocatus. p. 28
Joanna Regina Siciliae pulvillo suffocata. p. 28
Job de filiorum educatione sollicitus. p. 69
Job in Deo confidens. p. 109
Joseph in carcere Deum comitem habet. p. 105
Judicum statuæ apud Thebanos. p. 251
Jugum symbolum conjugij. p. 80
Julianus Cæsar in speculo futura videbat ope Dæmonum. p. 179
Julius Cæsar ad statuam Alexandri M. gemit. p. 37
Justiniani Imp. ieiunandi ratio. p. 212
Juvenis delicijs assuetus, in Religionis cibis grossioribus impingatur, & sanior est. p. 194
Juvenis vanus conversus illis verbis: subter te sternetur tinea. p. 33
Jxion in rota circumactus ambitiosorum est typus. p. 148

L.

- L**ais anus speculum Veneri dicavit. p. 185
Langobardi multabant larvatos. p. 170
Lazarus difficulter suscitatus. p. 19
Lectisternia apud Romanos usitata qualia. p. 25
Legio Christiana M. Aurelio Imp. pluviam impetrat & fulmina contra hostes. hinc dicta Fulminatrix. p. 365
Livia Augusto conjugij bene suadet. p. 36
Ludovicus Pius Imp. ieiunans, & solo Dominico corpore per 40. dies resectus obit. p. 200
Lycurgus docet institutionem iuventutis. p. 67

M.

- M**aria Ægyptiaca mirabiliter in cremo sustentata. p. 196
 Ma-

- Marius triduanus Imperator.** p. 339
**Melancholicorum variæ imaginatio-
 nes.** p. 344
Metamorphoses variæ Pœticae. p. 202
Apuleij in Asinum. p. 202
Scytharum in lupos. p. 203
Lithuanorum in lupos. ibid.
puellæ Ægyptiæ in equam. ib.
Tiridatis in porcum. p. 204
multorū hominū in salarias statuas. ib.
Momus Deorum Confor. p. 343
**Monachus negligenter vivens in agone
 bene sperat quia neminem iudica-
 verat.** p. 353
Mortis frater somnus. p. 4
- N.**
- Nabuchodonosor quomodo muta-
 tus in feram.** p. 204
**Nabuchodonosoris statua lapillo de-
 icta.** p. 60
Nathan denuntiat poenam Davidi. p. 40
**Nepenthes Homeri pharmacum moe-
 roris.** p. 331
Ninivitarum pœnitentia. p. 234
Noctis statua Olympiæ. p. 4
- O.**
- Ostracismus Atheniensium quid.** p. 384
Ottonis IV. Imp. rigida pœnitentia. p. 218
- P.**
- Parisiense speculum petens matrona
 vana à Confessario, obrinet Cal-
 vam.** p. 188
**Perseus fratrem Demetrium pulvillo
 suffocat.** p. 28
**Petrus Damianus Sacerdorem Iulii
 Scacchorum vacantem graviter ca-
 stigat.** p. 412
**Philippus Macedo stigmatè ingratitu-
 dinis militem notavit, qui colonum
 possessionibus depulerat, à quo fue-
 rat receptus hospitio.** p. 388
- Philippus idem Thebanis ingratus.** p. 389
**Philadelpho Regi Ægypti responsum,
 quid faciat Deus.** p. 62
**Pirrhias benemerito bovem imolans in
 proverbium abiit, quasi solus.** p. 387
**Pomo uno ex Ecclesia sublato quidam
 per annum mutus efficitur.** p. 96
Preces sunt Jovis filiarum. p. 360
**Pueri in fornace Babyonica Deum præ-
 seutem habent.** p. 106
**Pultoviensis Polonus à proprijs paren-
 tibus occisus, post mortem agnitus
 utriq; mortis causa fuit.** p. 323
- Q.**
- Q. Scipio maximus maiorum ima-
 ginibus stimulatur ad virtu-
 tem.** p. 57
- R.**
- Regis frater ad mensam metuit im-
 pendentem desuper è filo suspen-
 sum gladium.** p. 11
**Romilda Foro-Julienensis patriæ prodit-
 rix, ut obtineret Hunnorum Regem
 maritum, obtinuit palum pro marito,
 cui infixæ.** p. 326
- S.**
- Sampson à Philistæis molere coa-
 ctus.** p. 147
**Saraceni captivos Christianos cogunt
 molere.** p. 147
Saul ingratus Davidi. p. 390
**Scipio Nasica patriam expertus ingra-
 tam.** p. 388
**Serpens promittens viatori mundi mer-
 cedem plurimum animalium suffragio
 dedit, & iterum talem accepit.** p. 385
**In Septemtrione congelari voces scri-
 bit Olaus.** p. 46
Somnus mortis frater. p. 4
ex Frebo & nocte natus. p. 16
**Socrates à morbis animi liberatus per
 cantilenas.** p. 331
**Spectrum larvatum à nocturnis grassa-
 toribus delictum pro capite calvam**
- M m m ; ha**

Historico-Mythologicus.

- habuit. p. 183
- Speculo ante Cereris templum pendente, apud Archivos ægri sanari creduntur. p. 179
- Styriæ Præses consentit in persequutionem decimarum, adiecto insigni dicto. p. 93
- T.**
- S.** Thecla in suppliciis lata. p. 334
- Theobaldus Comes verax à S. Bernardo laudatus. p. 249
- Theodosius Imperator contra Eugenium pugnans in finibus Carniolæ, precibus victoriam consequitur. p. 365
- Thomæ Labacensis Episcopi, insignia dicta. p. 102
- T. Manlius Torquatus severus in filium. p. 57.
- Tobias rectè educat filium. p. 69
- Toletanus juvenis dum moritur, Crucifixus obrutat aures suas. p. 42
- Tritici modius fert Byzatijs in Africa centum & quinquaginta modios. p. 112
- Tritici unum granum fert trecentas quadraginta stipulas. p. 113
- V.**
- V**arnarius usurpator rerum Ecclesiæ, Dei vindictâ percutitur. p. 96
- Varia otiosus pro mortuo habitus. p. 140
- S. Vdalricus suscitatur mortuum per suspicionem damnatum, qui multis annis supervivit. p. 353
- Vincentius Monachus è lupanari egressus & temerariè judicatus divino iudicio ostenditur innocens. p. 347
- Ulysses auxilio Minervæ gloriatur. p. 107
- Urbani VIII. finitè studijs Symbolum. p. 206

F I N I S.

Pagina 3. a. non occupat. *lege nos occupat.* p. 26. c. æmulatio. adde. *Et tamen non serio immissa cordi eius memoria quasi fidilis est.* p. 36. b. illum velati. l. *illum veluti.* p. 40. b. debelo. l. *delebo.* p. 45. c. frigite. l. *frigidè.* p. 55. lin. ult. quidquid l. *quidquam.* p. 61. a. conservatio. l. *conversatio.* ib. b. proferendam. l. *profferendam.* ib. procedit l. *præcedit.* p. 62. Sapiens quidem. l. *Sapiens quidam.* p. 63. c. dici hic. l. *dicier hic.* p. 64. a. eis proderunt. l. *eius proderunt.* p. 71. a. non eo. l. *monco.* p. 104. c. Qui pericula. l. *Quin pericula.* p. 107. c. vellatum l. *vallatum.* p. 114. b. quas Deus. l. *quas illa.* p. 117. b. frustra omnia. l. *frusta omnia.* ib. artificiosè collegit. l. *artificiosè compegit.* p. 120 c. Vado & . l. *vade &* p. 124. a. convenientis. l. *convenientius.* p. 126. c. fluminibus. l. *fulminibus.* p. 127. a. universa. l. *viceversa.* p. 132. lin. 1. tamen. l. *tantum.* ib. a. iugentibus. l. *in gentibus.* p. 133. a. solidisq; l. *fordidisq;* p. ead. c. Non abruerim l. *non abnuerim.* p. 134. c. Ridera. l. *Ribera.* p. 135. superbis dives? quid dives? *dele: quid dives?* p. 137. a. cœli vestibulum. l. *Orci vestibulum.* p. 140. c. speratur. l. *operatur.* p. 141. b. proegisset. l. *prodegisset.* p. 142. desidia & corpore. l. *desidia & torpore.* p. 143. b. maximè otiosos. l. *maximè negotiosos.* p. 144. c. lavabit se. l. *levabit se.* p. 146. per labores, & . l. *per labores querunt labores.* & committunt. p. 149. b. unum extrahebat l. *iterum extrahebat.* ib. c. mera delitia. l. *mera deliria.* p. 160. c. Judæis gloriantes. l. *Judæos.* p. 162. a. convivendo. l. *connivendo.* ib. c. conveniendo. l. *connivendo.* p. 170 c. Nam pudet l. *num pudet.* p. 176. c. sed utroq; l. *sed utrumq;* p. 178. b. adinuerit ad potius. l. *adinvenit an potius.* p. 179. a. ex moribus. l. *ea moribus.* ib. b. fortia audiendi. l. *audendi.* p. 180. c. calvitici. l. *calvitiei.* p. 181. b. vitæ prædam. l. *vita prædem.* p. 182. c. toto viso. l. *toto nisu.* p. 184. b. fortifice. l. *forfice.* p. 185. a. commune facit. l. *commonefacit.* p. 186. b. occultis designare. l. *oculis designare.* p. 187. a. nigerq; masculus. l. *musculus.* ib. nos absorbebat. l. *absorbeat.* ib. c. infelicis colla submittitis. l. *infelici colla submittis.* p. 192. b. servus cum fuerim. l. *serus cum fuerim.* p. 194. b. redeunt ij. l. *recedunt ij.* p. 201. c. dispensa Deo. l. *dispensante Deo.* p. 204. b. villica extinctas. l. *villicæ extinctæ.* p. 206. a. ut Dens illustrati. l. *ut eius illustrati:* p. 221. b. queritur. l. *queritur.* p. 222. Diabolus nominatur. l. *dominatur.* p. 224. c. sibi eam l. *sibi in eam.* p. 243. b. In alijs tuis. l. *In alijs tuis.* ib. c. penitus elevatur l. *penitus eluatur.* p. 263. c. assimilatus l. *assimilatus.* p. 274. c. pro arce. l. *pro arca.* p. 282. a. pœnantrum. l. *pœnarum.* p. 284. c. Adorant sessionem. l. *adorant.* p. 292. b. Sedulicus. l. *Sedulius.* p. 303. b. locus sit l. *loculus sit.* p. 316. a. Rumanæ. l. *humanæ.* p. 342. c. Phantasta quam l. *Phantasia quam.* p. 346. c. quasi non esset. l. *quasi non esset justa.* sed p. 350. c. in præcipienda. l. *in præcipienda.* p. 362. c. eos sumariam l. *eos Samariam.* p. 365. b. temellum l. *gemellum.* p. 367. b. enim orbes l. *enim urbes.* p. 374. a. reramissiones. l. *repromissiones.* p. 375. b. in rogandis. l. *in erogandis.* p. 392. b. O indigna. l. *O digna.* p. 396. de Aria. l. *de Arca.* p. 398. c. cœterum. l. *coæternuus.* p. 400. c. rapere legem. l. *rupeve legem.* p. 414. a. reverentem Regem. l. *revertentem Regem.* p. 432. c. iterum Sacerdos. l. *iterum Cbristus.* p. 436. b. præses. l. *præsides.* ib. c. pulamina. l. *putamina.* p. 439. a. etypon. l. *edypon.* p. 440. b. acclives si. nt. l. *acclines: fiant.* p. 442. b. centies ad ractum. l. *centies ad ructum.* ib. ad horos non ad aras. l. *ad boras non ad aras.* p. 444. sin. Trino & uno. l. *Trino & Uni.*